300 9200
300
100 1500
700

BIBLIOTECA NAZ.
XXVI*
A
40
NAPOLI

Boesii Miscella Comm. in Sbin
Evidii

Philonis Bizantii. De septem
mundi miraculis

Boesii Oratio ad Urban: VIII.
pro Lud. Rege Francorum
= exst. etiam in Miscell. 105. §. 11

D

1. — Lusus poetici

— Elogia illustrium viror.

Series magistrorum equestris
Templariorum

Digitized by Google

Digitized by Google

DIONYSII
SALVAGNII
BOESSII
REGI AB INTERIORIBVS
CONSILIIS,
ET IN SVPREMA RATIONVM
Fisci apud Delphinates Curia,
PRIMARII PRÆSIDIS,
MISCELLA.

LVGDVNI,
Apud LAVRENTIVM ANISSON,

M. DC. LXI.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

P. OVIDII NASONIS Libellus in IBIN, DIONYSII SALVAGNII BOESSII, *Commentario perpetuo, quà emendatus, quà illustratus, quà enarratus.*

VETVS interpres tandiu desideratus.

Phylo Byzantius de septem mundi miraculis, cum versione Latina eiusdem Saluagnij.

Oratio habita Romæ, nomine Ludouici XIII. Regis Francorum Christianissimi, ad Vrbanum VIII. Summum Pontificem, cum multis

ſcitu dignis ad Legationem Obedientiæ pertinentibus.

Luſus Poëtici de ſeptem Delphinatus miraculis, adiecta Præfatione hiſtorica.

Pia Carmina in honorem Mariæ Valernodiæ, fœminæ ſanctimonia vitæ inſignis.

Alia de B. Maria Viminali miraculis celebratiſſima.

Elogia illuſtrium aliquot virorum è Gente Saluagnia, tumulis ipſorum partim inſcripta partim inſcribenda.

DIONYSIO

DIONYSIO
SALVAGNIO BOESSIO,
IVVENI DOCTRINA
& Natalibus illustri.

EXILII opprobrio iustas succenderat iras
Nasoni in casta coniuge læsus amor.
Infelix vindictæ aciem fortuna retundit,
Nec procul è Geticis vim finit esse Tomis.
Qua valet arte, ferit. Tot diris deuouet hostem,
Quot vestris errant Styx Acherónque vadis.
Riserat ille minas vt brutũ fulmen inanes,
Non nisi Niliacæ nomine tactus auis.
Sed tetigit sua Pierides iniuria, vultque
Artificis vindex Delius esse sui.

Hos tibi dant SALVAGNI *animos*
Chorus atque Choragus,
Vltriceſq; animant ad pia bella manus.
Talibus auſpiciis ſqualore ſituq; ſepultum,
Verum lethæis eruis Ibin aquis.
Vtque ferum validis Barathri de fauce catenis
Traxerat Alcides Ore trifauce canem.
Sic ſolem inuiſum cogis lucémque videre,
Exoſum terris Sideribúſque caput.
Cui liceat ſacros impunè laceſſere vates?
Poſt cineres viuax ſurgit ad arma dolor.
Diſce Boëſſiaco poſt ſæcula vindice, ſeros
Vltores læſis vatibus eſſe Deos.

SCIPIO GVILLETVS.

DE

DE CHLORIDE

A DIONYSIO SALVAGNIO BOESSII Toparcho amata ; & IBIDE Ouidiana ab eodem explanata.

EPIGRAMMA.

TE simul, & Chloris, SALVAGNI, torquet & Ibis,
Vtraque permultis ante petita procis.
Amba, causa tua, sed dispar gloria, curæ ;
Hæc facilis, facilis non fuit illa tibi.
Scilicet est aliquid maius, te vincere Chlori,
Quàm te, visa diu maximus, Ibi, labor.

FELICIANVS BOFFINVS, Vriatici Baro ; & Regius in Senatu Delphinatum Aduocatus.

APPROBA

APPROBATIO.

NOs infrà scripti Societatis IESV Theologi fidem facimus in Opusculis clarissimi Viri DIONYSII SALVAGNII BOESSII Equitis Delphinatis, & in Regia fisci curia Primarij Præsidis nihil esse contra fidem, & bonos mores, Eaque multiplici, & recondità eruditione referta digna esse luce publica, vt chirographis contestamur. Lugduni die 14. Martij 1661.

IOANNES COLOMBI Soc. IESV.
CLAVDIVS FRANCISCVS DECHALES Soc. IESV.

LICENTIA ORDINARII.

VIsis Theologorum Approbationibus, Nos quoque censemus Opus inscriptum DIONYSII SALVAGNII Equitis Delphinatis, &c. Miscella, dignissimum esse quod in lucem prodeat, & ideò eius Editioni lubenter annuimus. Lugduni die 15. Martij 1661.

DE NEVE-VILLE Vic. General.

CONSENSVS.

LIbrum inscriptum, DIONYSII SALVAGNII Equitis Delphinatis, &c. Miscella, Typis mandari, & in lucem edi, à LAVRENTIO ANISSON Bibliopola, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura non impedio. Lugduni die 16. Martij 1661.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis consensu, Librum hunc Typis mandari à LAVRENTIO ANISSON Bibliopola Lugdunensi, concedimus; & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat prohibemus. Datum Lugduni die 16. Martij 1661.

SEVE.

DIONY

DIONYSII SALVAGNII BOESSII EQVITIS DELPHINATIS. COMMENTARIVS.

PROLEGOMENA.

Multos huic Poëmatio manus admouisse, nonnulla tamen in eo supereſſe quibus enodandis Oedipo vel Sibylla sit opus.

CAPVT I.

VVM primùm animum ad Ouidij libellum in Ibin enarrandum appuli, nihil mihi prius atque antiquius fuit, quàm vt omnium qui de hoc libello bene meriti essent, Commentarios vndique perquisitos euoluerem.

Enimverò plurimi tum noſtra, tum patrum & auorum memoria, in hoc Poëmatio, tanquam in Olympico ſtadio non citra pulueris tactum deſudarunt. Quorum vetuſtior ἄνθρωπος cæteris facem prætulit, ſed *eius ſcrinia*, inquit Adrianus Turnebus Aduerſar. lib. 9. cap. 25. *alij Interpretes compilarunt, & ſcripta etſi mendoſa, vnde tamen multa odorari poteramus, ſuppreſſerunt.* Nos illum tandiu deſideratum in lucem edemus. Sed enim quia fœdis gloſſematis ac ſuppoſititiis Authorum teſtimoniis inquinatus eſt, aurum ex eius ſtercore colligendum. Anno verò ſupra milleſimum quater centeſimo nonageſimoquinto, Domitius Calderinus Veronenſis, in id toto pectore incubuit: Vir quidem plurimæ in litteris induſtriæ, qui cum Romæ profiteretur, & obſcura duriorum Poëtarum ſenſa reconditæ lectionis admirabili teſtimonio dilucidaret, litterarij ſplendoris aſſertor, ac omnis obſcuritatis illuſtrator, acclamatus eſt, vti Paulus Iouius in eius Elogio prodidit: nec minus verè Henricus Stephanus Epiſtolâ ad Ludouicum Caſtelvetrum, quæ præfixa eſt editioni ſuæ Libri Iani Parrhaſij de rebus per Epiſtolam quæſitis, *Age*, inquit, *tu quicunque Beroaldi, aut Domitij ſcripta non vnius aſſis, præ iis quæ hodie eduntur, æſtimanda putas; quid ſine Beroaldo, ac Domitio aliiſque huiuſmodi Magiſtris ſcribi ab eorum poſteris potuiſſe arbitraris?* Neque enim ſolùm Domitius hunc Ouidij libellum, ſed etiam Ciceronis Epiſtolas, Martialem, Iuuenalem, Papinij Siluas, Suetonium, & quoſdam alios Scriptores enarrauit. Denique tot tantáque edidit,

dit, aiebat Egnatius, quot quantáque in hoc genere ad hanc diem nemo. Eò factum est, vt acerbas cum æmulis simultates exercuerit, à quibus piperatis literulis perstrictus fuit, quod sibi comparatam authoritatem retinere quàuis ratione & arte contenderet; atque ita crudos ingenij sui fœtus emittere coactus sit, quibus prouectior ætas proculdubio maturitatem attulisset. Quippe *authoritatis tam magnæ fuit*, inquit Angelus Politianus Miscellan. c. 9. *vt Romæ inter Professores iuuenis adhuc primam celebritatem sibi vindicauerit, cuius tuendæ ac retinendæ gratia factum compluries putamus, vt in suis operibus frontem perfricuerit, & per æqua, per iniqua famã captans, parum ex fide quapiam retulerit; nonnulla etiam male solers & præstigiosus speciem quidem primorẽ veri habentia, magno credentium dispendio sententiis ignorabilibus implicuerit, & puluerem, quod aiunt, oculis offuderit; aut sicubi maior difficultas, nec absistens, nec congrediens spem Lectoris eluserit. Ita, dum nescire se nihil probare contendit, etiam Parthis aliquoties & Cretensibus mendacior inuenitur.* Ideo Raphaël Volaterranus *Anthropologiæ*, *lib.* 21. dignum eum, vt de Cœlio Quintilianus ait, vitâ longiore, ingenio tamen meliore existimauit. Cùm enim trigesimumquartum ætatis annum attigisset, Romæ pestilentia, vel vt Iouius author est, febre correptus obiit. Ille ipse est quem de sacrificio illo, quod Gregorius Nazianzenus ἀναίμακτον θυσίαν, Synesius τελετὴν ἀπόῤῥητον vocant, male sentientem politissimus ille Politianus hoc Epigrammate facetissimè traduxit.

Audit Marsilius Missam, missam facis illam
Tu Domiti, magis est relligiosus vter?
Quis dubitet? tanto es tu relligiosior illo,
Quanto audire minus est bona, quam facere.

Nolim autem referre quod de eo Ludouicus Viues *lib.2. de veritate Fidei*, in hanc rem prodidit, ne pias Christiani Lectoris aures læserim. Cæterùm non multo post eandem prouinciam suscepit Christophorus Zarottus Iustinopolitanus, cui transuersum vnguem à veteris Interpretis sententia discedere religio est: Qua etiam tempestate; nempe anno millesimo quingentesimo decimo sexto, Andreæ Naugerij Annotationes, *De diuersitate Lectionum*, in omnia Ouidij opera Venetiis prodierunt. Post paulo, Iodocus Badius Ascensius in Domitij verba iuratus, hunc libellum tironibus enarrauit. Fuit ille Typographus, & in illa, tum celeberrima Luteriæ τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῆς Academia, Grammatices Professor, vbi familiares, vt ipse loquitur, expositiones in Authores, cum veteres, tum recentes, propè innumerabiles edidit. Quin etiam Baptista Egnatius Venetus, vir ætate sua magni nominis, breuibus suis Notationibus non parùm caliginis inde sustulit. Post illum Guido Morillonus, quem Adrianus Iunius virum multiiuga doctrina, & omnifaria lectione, atque humanitatis & Philosophiæ omnis ἀφροδίτην καὶ χάριτα vocare non dubitauit, cuiusque eruditionem Petrus Nannius *initio lib.5. Miscellan.* magnis laudibus extollit, hoc Opusculum extremis digitis attigit. Deinde Iacobus Micyllus Argentinensis, accurato vir ingenio,

ingenio, aliquas Obseruationes addidit, quibus non mediocrem laudem meruit. Hic Micylli nomen retinuit, quòd puer scitè personam egisset Micylli, vnius ex interlocutoribus in Dialogo Luciani, qui ὄνειρος ἢ ἀλεκτρυών inscribitur: Ouidianorum autem Operum recensione & variis Luciani Latinè redditis, tum poësi, & duobus Arithmetices Logisticæ libris, exemplis admodum vtilibus illustratis, nominis sui decus ad posteros propagauit. Heidelbergæ obiit anno 1558. relictis duobus filiis disparis sortis, Iulius enim Cancellarius fuit Ludouici Electoris Palatini, alter vero sartor erat Heidelbergensis. Tum Franciscus Sanctius Brocensis huic chartæ impalluit, & aliquid in eam non parui momenti contulit. Accesserunt Gregorij Bersmanni, Constantini Fanensis, & Herculis Ciofani Sulmonensis Scholia; eosque secutus est Didacus Mexia Hispalensis, qui apud Mexicanos Indos hoc Poëmation in Hispanam linguam traduxit, & Annotationes vernaculas adiecit, editas Hispali anno 1608. quas humanitati debemus Iacobi Mantelli hominis exquisita doctrina. Vidimus & quæ Ioannes Grejonius, itémque Iacobus Andreuius Lutetiæ, magno discipulorum plausu dictasse feruntur; hic anno 1584. ille 1571. Sed in illis merus Domitius, præterea nihil. Postremò Valerius Andreas Desselius plurima lectione exercitus non pœnitendam operam in hac Sparta ornanda collocauit, editis anno 1618. locupletibus Notis. Nec sine piaculo præteream Antonium Vrceum Codrum, Ianum Parrhasium, Angelum

Politianum, Andream Alciatum, Baptistam Pium, Paulum Leopardum, Adrianum Turnebum, Iosephum Scaligerum, Didacum Couarruuiam, Abstemium, Hartungum, Lipsium, Schottum, (Iupiter quos viros,) qui vel in Aduersariis & Miscellaneis dedita opera, vel in aliis Opusculis obiter quosdam Nasonis locos excusserunt, vt verè de hoc Poëmatio dici possit, *Cui non dictus Hylas.* Suppudeat autem, *me quoque Principibus permistum agnoscere Achiuis*, cui si paterna res administranda foret, ætatis venia non daretur. Et verò post tot eruditionis spectatæ viros in eandem palæstram descendere, hoc reuera est post Roscium in scena velle gestum agere; sed quia iacta est alea, efficiendum est ne mihi iure nouum opus nuncietur, aut interdicto quod vi, aut clam mecum agi possit. Neminem laude sua fraudabo, nobilis enim mihi semper visa est lex illa Laurentium, NE POMVM EX ALIENO. Itaque præcipuus hic nobis scopus ob oculos erit, vt quæ obscuriora, nec dum cuiquam explicata sunt, quoad eius fieri poterit illustratum eamus. Excusorum etiam librorum maculas manu Scriptorum ope, aut certè ipsi de ingenio eluamus. Prima quidem editione Obseruationum nostrarum difficiliora quædam loca saltuatim selegeramus. Planiora & quæ ab aliis enucleata silentio transmiseramus. Nunc hortatu virorum acri iudicio, vberiorem & perpetuum Commentarium damus, ne aliò quærenda sit fabularum minus obuiarum enarratio. Quanquam ne sic quidem nos omnes huiusce libelli

salebras explanaturos pollicemur, vt quiuis deinceps inoffenso pede quacumque progrediatur; id enim pleniorem quam ætas nostra ferat, eruditionem postulat. Deinde multa sunt in eo, quæ *nisi Sibylla legerit*, vt ait apud Plautum Pseudolus, *interpretari alium posse reor veminem*, cuiusmodi sunt ista.

Aut velut Euryali qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus anidis anguibus esca tui.

Et ista.

Aut pia te caso dicatur adultera, sicut
Quâ cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Item illa.

Æthalon vt vitâ spoliauit Isidius hospes,
Quem memor à sacris nunc quoque pellit Io.
Vtque Melantheum tenebris à sede latentem
Prodidit officio luminis ipsa parens.

Et similia, quorum interpretatio petenda esset ab illis Scriptoribus, qui temporis iniuria amissi, *triste* nobis & acerbum sui desiderium reliquerunt. Hîc enim fabulæ quædam siue historiæ tanguntur, quarum apud vnum duntaxat Authorem mentio est, quem si fortè desiderari contigisset, de earum enarratione proculdubio actum esset. Nimirum Achæi supplicium cuius meminit Ouidius *versu* 301. vnus Polybius commemorat. Pyrrhi Achillis filij reliquias per Ambraciæ vias disiectas esse, Higyno soli cum Nasone conuenit. De Eurydamante à Simone Lariſſæo circa Thrasylli tumulum raptato, præter Ouidium & Didymum Homeri Scholiasten ad Iliad. χ, nemo quicquam memoriæ prodidit.

Thraſum etiam à canibus laceratum Naſo duntaxat & Higynus retulerunt. Item carmen 507. ab vnico Diodoro illuſtratur, vt & verſus 531. ab Epigrammate ἀδήλῳ lib. 3. Anthologiæ, vt credibile ſit quædam hic eſſe obuia, quæ ſi quis alibi quærere velit, operam, credo, omnem luſerit. Sic apud Lycophronem, hiſtoriæ quædam extant, quas nemo alius attigit, vt Prylis, Midæ; & vocabula non pauca quibus præter eum, nullus vſus eſt, qualia φύλαμος, λάεις, πέρρα, πῖλαι. Eius tamen Alexandram, ſiue Caſſandram quamuis tenebricoſam Poëmatio noſtro obſcuriorem eſſe Domitius non concedit. Sic enim Peroratione Commentariorum ſuorum, *Lycophronis carmen legimus ſæpè, in quo argumento quidem Ouidio grandior, ſed verbis apertior nobis videtur; & cæci qui illum interpretantur, in tanta præſertim librorum copia. Non tam enim per coniecturam fabulæ, vt apud illum indaganda fuerunt, quam colligendæ à diuerſis Authoribus ſcriptæ.* Quamobrem nemini mirum videri debet, ſi tot Ouidianæ mentis Interpretes, in pleriſque locis veluti in circo Andabatarum more decertamus. A verſu nimirum 255. vnde Naſo fabulas & hiſtorias auſpicatur, ad verſum 645. qui libelli poſtremus eſt, triginta ſupra ducentas memorantur. Interdum vno diſticho tres continentur, interdum quatuor vt illo,

Vt fuit Oetæo quondam, generóque draconum,
Tiſameníque patri, Callirhoéſque viro.

Ita vt Ouidianum hoc Poëmatium fabularum Officina verè dici poſſit. Cauſa verò à nobis ſuo

loco

loco afferetur, cur Ouidius obscuritati studuerit; sed & ante illum Cinna Poëta Virgilij præconio celebratus Smyrnam poëma obscurissimum elaborauit, quod cum vulgo non intelligeretur, Crassitius Grammaticus Commentario luculento in ipsum edito, adeo inclaruit, vt hoc Epigramma de eo scriptum sit, teste Suetonio libro de Illustribus Grammaticis.

Vni Crassitio se credere Smyrna probauit,
Desinite indocti coniugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle,
Intima cui soli nota sua extiterint.

Smyrnam autem nouennij opus fuisse Catullus & Quintilianus prodiderunt. Quò fortasse respexit Horatius in Epistola ad Pisones, cum præcipit duratura poëmata in nonum annum premenda esse; Nec omiserim antiquissimos Poëtas, de industria obscuritatem affectasse, vt Æschyli Scholiastes notauit ad Προμ. δεσμ. his verbis, οἱ παλαιοὶ τὰ πιήματα ἀπῶν ὡρῶτον μὲν αἰνίγματι γεγράφασιν, ὕστερον δὲ καθόλυ φανερῶς ἐγεῶντο τῷ λόγῳ.

CAPVT II.

Germanus huic Opusculo titulus assertus.

ANTVERPIENSIS editio arida modo pumice Valerii expolita, hoc titulo circumfertur, *P. Ouidij Nasonis Diræ in Ibin*, quemadmodum egregium illud Poëmation, cuius Au-

thorem esse Valerium Catonem Grammaticum perspicaciores existimant. Verum ne DI sinant vt ab Epigraphe recepta deflectamus, nisi libros omnes tum excusos, tum exaratos valere iubeamus; nisi denique Nasoni ipsi affingamus, qui se hoc Opusculum, Libellum in Ibin inscripsisse liquidò testatur *vers.* 51. in hunc modum.

Et neque nomen in hoc nec dicam facta libello.

Iterum *versu* 461.

Hæc tibi tantisper subito sunt missa libello.

Qua dictione Poëmatia quæque propriè designantur. Sic enim Ausonius Griphum suum de Ternario numero indigitat. *Latebat inter nugas meas libellus ignobilis*: paulò pòst, *igitur iste nugator libellus tandiu secreta quidem, sed vulgi lectione laceratus peruenit tandem in manus tuas.* Idémque Protrepticon suum de puerili studio libellum nominat Epistola ad Hesperium: *Libellum quem ad nepotulum meum sororis tuæ filium instar Protreptici luseram, venturus tibi præmisi legendum.* Sic etiam Papinius Siluulas suas Libellos appellat, *Præfatione, lib.* 1. *ad Stellam.* Rursus *Præfat. lib.*2. *ad Meliorem Atedium.* Iterum *Præfat. lib.*3. *ad Pollium*, & *lib.*4. *Hendecasyl. ad Plotium.* Quin etiam Iurisconsulti ea carmina quibus alicuius fama proscinditur, cuiusmodi sunt ista Ouidiana, famosos Libellos vocant. Hæc autem minora fortasse videbuntur, quàm vt animaduersione digna essent. Parum enim Reipublicæ literariæ interest Diræ ne, an Libellus hoc Poëmation inscribatur: verùm legitimam scriptionem, atque ipsam Nasonis manum immutare nulli per me licebit. Vt

vt

vt sit, Nasonis votum omne in malis, monstris, morbis, exiliis, suppliciis, plagis, mortibus, cuiusmodi carmen Diras appellabant; quòd illæ scilicet vltrices Deæ putarentur, quarum numina precibus in hostium, aut inimicorum perniciem euocarentur. Priscum illud quidem, atque in scenis primum agitatum, mox ad recentiorum animos accommodatum, vt obseruatum est à Iulio Scaligero *lib.* 1. *Poëtices*, *cap.* 53. Exornatur autem vt ipse ait, sententiis non vulgaribus & variis historiarum ambagibus, qualia scripsit Ouidius in Ibin. In Horatij Epodo aliquid imaginis est. Expressior apud Catullum in Ariadnæ conquestione & in quarto Æneidos. Item quæ fundit Statianus Oedipus, sumpta de Græcis Tragicis, vt & Senecæ Theseus ex Euripide.

CAPVT III.

Argumentum libelli. Quare Callimachus Apollonium Ibidis nomine deuouerit, contra Minutiani, Alciati, Bisciolæ, & aliorum sententiam. Ioannis Meursij lapsus. Philippicæ. Alia scitu digna.

OVIDIVS hoc libello nescio quem sub Ibidis nomine graphicè exornatum Diris deuouet. Causa triplex ab ipsomet affertur. Ibis Ouidij nomen vbique maledictis lacerabat, ipsum

ipſumque in inuidiam atque odium apud Auguſtum vocabat, quò diutiùs Tomis exulantem remoraretur; Tum eius vxorem importunè ſollicitabat. Præterea Ouidij fortunis inhians, ipſum ad extremam inopiam redigere conabatur. Omne votum in ſuppliciis & mortibus, vt modò dicebam; idque Callimachi imitatione, qui in Apollonium Rhodium Argonauticorum Scriptorem Ibidis nomine notatum libellum ſcripſit, de quo Suidas in Καλλίμαχος. ἔστι δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν εἴς τινα Ἶβιν γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ Καλλιμάχου· ἦν δὲ οὗτος Ἀπολλώνιος ὁ γράψας τὰ Ἀργοναυτικά. *Eſt autem Poëma de induſtria cõpoſitum obſcurè, continens contumelioſam inſectationem in quemdam Ibin, qui fuerat inimicus Callimachi. Erat autem hic Apollonius, ille qui Argonautica ſcripſit.* Quare deierare auſim Callimachi manes, eundem Apollonium eſſe, quem ille Hymno εἰς Ἀπόλλωνα, ipſam inuidiam αὐξητικῶς appellat his verſibus:

Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λαθριος εἶπεν:
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει;
Τὸν φθόνον ἀπόλλων ποδὶ τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἄλλα τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι σύρφετον ἕλκει
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέοισι Μέλισσαι
Ἀλλ' ἥτις καθάρη τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη στιβὰς ἄκρον ἄωτον,
Χαῖρε ἄναξ, ὁ δὲ Μῶμος ἵν' ὁ φθόρος ἔντα νέοιτο.

Quos cum alij totidem Latinis expreſſerint, quid impedit quominus & nos id tentemus? interdum enim Latias Muſas noſtras inter Græcas luxuriari ſinimus.

Liuor

Liuor Apollineus occultè dixit in aures:
Non miror Vatem qui non canit æquoris instar,
Liuorem pepulit simul ille simulque locutus.
Assyrius latè fluit amnis, at ille palustris
Illuuiem terræ sordesque volutat in vndis.
Non quouis Cereri libant è fonte Melissæ,
Sed qui limpidus est, & limi prosilit expers,
Sacro fonte latex paruus, flos summus aquarum.
Salue Rex, abeat quò crux erit inuidus ille.

Causam autem profert Nicodemus Frischlinus in vita Callimachi Græcè conscripta: Εἰς ὃν καὶ ποίημα ἐπιτετήδευκε, διὰ τὸ προσποιητικὸν ἐκεῖνον τῶν τοῦ Καλλιμάχου βιβλίων, καὶ ἀλλοτρίων πόνων, ὠνόμασε δ' αὐτὸν κρυπτικῶς ἶβιν, ὡς καὶ Νάσων ὁ ποιητὴς ἔτω πως μαρτυρεῖ. *In hunc Callimachus, quòd suos ille libros sibi arrogaret & alienos labores pro suis venditaret, maledicum carmen edidit, ipsumque Apollonium suppresso nomine Ibin nominauit, quemadmodum Ouidius testatur.* Hæc ille, quòd apud alium notæ melioris Authorem non memini me legere, nisi quod hunc versum, qui apud eundem Apollonium extat *libro* 1. *Argonaut. pagina* 64. Editionis Stephaneæ:

Καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλα μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι.

Callimachi versum esse ab Apollonio vsurpatum, vetus ipsius Apollonij Scholiastes asserit: Nicodemum autem Frischlinum cùm in testimonium adduxi, miseret me acerbissimi eius fati: nam cum ob ea quæ ore nimis libero effutiisset in Viros nobilissimos, Moguntiæ in carcerem coniectus esset, indéque deductus foret in VVittembergici soli arcem Hohenauracensem; quo captiui

captiuitatem effugeret pannos diſcidit, vt his colligatis, ſe demitteret, ſed huiuſmodi funis perfidia in alias aliáſque petras præceps datus, confractis membris expirauit. Cæterùm Callimachus Apollonium Ibidis nomine, quæ eſt auis Ægyptia, notum eſſe voluit; non propter eius ſpurcitiam, cui roſtri aduncitate per eam ſe partem proluere inſitum eſt, quâ redduntur ciborum onera, vt Minutianus Grammaticus apud Cœlium Rhodiginum *lib.*13. *cap.*1. *Antiq. Lectionum.* Alciatus *Emblemate* 86. Zarottus, & plerique Grammaticorum exiſtimant; nec etiam quod libellus Callimachi diris & execrationibus eſſet refertus, quæ ſerpentium inſtar, quibus Ibis veſcitur, Apollonium morderent ac lacerarent: quæ ſententia eſt Lælij Biſciolæ in Horis ſubceſiuis, *lib.*5. *cap.*18. Sed vt Apollonius qui Alexandrinus erat, aliquâ ex parte indicaretur. Quamuis enim Rhodius diceretur, Alexãdrinum tamen fuiſſe prodidit Strabo *lib.*14. *pag.*45. editionis à Caſaubono recognitæ his verbis: Διονύσιος δὲ ὁ θρᾶξ, καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοὺς Ἀργοναύτας ποιήσας Ἀλεξανδρεῖς μὲν, ἐκαλοῦντο δὲ Ῥόδιοι. *Dionyſius vero Thrax & Apollonius Argonauticorum conditor Alexandrini quidem fuerunt, ſed nominati ſunt Rhodij.* Suidas Ἀπολλώνιος Ἀλεξανδρεὺς ἐπῶν ποιητὴς διατρίψας ἐν Ῥόδῳ υἱὸς Σιλλέως. Item Anonymus Author qui ſcripſit γένος Ἀπολλωνίου τοῦ Ῥοδίου. Quanquam Ælianus *lib.*15. *de Animalibus*, *cap.*23. eum Naucratitam facere videtur. Sed vtcunque eſt, Ægyptus patria fuit, Naucratis enim vrbs eſt Ægypti. Quamobrem longè fallitur Ioannes Meurſius

qui

qui *Syntagmate de Apollonijs*, pro diuersis habet Rhodium & Alexandrinum Sillei filium, qui Eratosthenis in Alexandrinæ Bibliothecæ præfectura successit. Ouidius autem Callimachi exemplo inimicum suum Ibin appellasse videtur, quemadmodum Tullius Orationes suas in Antonium Demosthenis imitatione Philippicas inscripsit, vti etiam Trogus Pompeius Historias suas æmulatione Theopompi, qui Philippicas scripserat. Sed magis est vt credam Nasonis Aduersarium Ibidis nomine designatum, quod is reuerà Ægyptius esset, qua de re sequenti capite disseremus; nam & Aristophanes in auibus Lycurgum Ibin nominauit, propterea quod genere & moribus Ægyptius esset; vt vetus Aristophanis Scholiastes exponit.

CAPVT IV.

Ibidis nomen coniectura perquisitum, fortè compertum.

NASCITVR sua sponte obscuritas ex istis priuatarum rerum historiis, quibus etiam Naso dedita opera tenebras offundit, vt arduum sit ex tam densis nebulis veri scintillam exsculpere. Ego tamen incusso ad illum tenebricosæ vetustatis pyriten chalybe, non mediocrem lucem expressurum me confido. Sed antequam sententiam roger, operæ pretium est veterem

Gramma

Grammaticum audire, qui teſte Cœlio Rhodigino *Antiquar. Lection. lib.* 13. *cap.* 1. Coruinum eſſe prodidit, quem hic Naſo ſale & reſina confricat. Eius verba ſunt, *Illud obiter annotarim in Cacilij Minutiani Apuleij fragmentis obſeruatum, annis ſeptem in exilio conſumptis functum eſſe fato Ouidium, quâ die Titus quoque Liuius deceſſerit. Structum item illi à Barbaris per multas lacrymas tymbon ante ianuam. Author idem Minutianus eſt Coruinum ab Ouidio appellatum fuiſſe Ibin, ex auis fœditate, cui ventrem roſtro purgare inſitum ſit, & hoc ex Collimachi imitatione. Pulſum quoque in exilium quod Auguſti inceſtum vidiſſet.* Hæc ille, quorum fides eſto penes Authorem, qui nondum lucem vidit, vnique Cœlio Rhodigino notus fuit, vti iam antea pronuntiauit Lilius Gyraldus *Dialogo* 4. *de Poetarum hiſtoria.* An Coruinus, quiſquis ille fuerit, in Libya natus eſt, vbi ſcilicet Ibin natales habuiſſe declarat Ouidius in his:

Qui ſimul impuræ matris prolapſus ab aluo eſt,
Cinyphiam fœdo corpore preſſit humum.

Item *verſu* 513. vbi Leænas quibus ſcatet Africa, Ibidis populares vocat. Verùm enim verò, ſi coniecturæ locus detur, dicam quid ego ſenſero, & vt apud Plautum Trachalio, *promittam capillum incipiamque hariolari.* Neque enim Cymbalum illud mundi Appionem Grammaticum imitandum mihi propoſui, qui teſte Plinio *lib.* 30. *cap.* 2. prodidit ſe euocaſſe vmbras ad percontandum Homerum, qua patria, quibuſve parentibus genitus eſſet, non tamen auſum profiteri

quid

quid sibi respondisset. Non Georgium Ioachimum Rheticum, Copernici discipulum, quem ferunt, dum in motu Martis hæreret mirabundus, neque se explicaret, ad Genij familiaris Oraculum confugisse: Atque hinc exasperatum Dæmona scisciatoris importuni caput ad imminens laquear afflixisse, iterúmque dimissi corpus ad pauimentum proturbasse, addito responso; hunc esse motum Martis, vt refert Ioannes Keplerus Epistola dedicatoria ad Rudolphum Imperatorem. Tota res coniecturis peragetur. Itaque suspicor C. Iulium Higynum esse, quem Ouidius ficto nomine Ibin appellat. Illum inquam, de quo Suetonius *libro de Illustribus Grammaticis*, retulit in hæc verba: *Cajus Iulius Higynus Augusti libertus, natione Hispanus, etsi nonnulli Alexandrinum putant, & à Cæsare puerum Romam aduectum Alexandria capta, studiosè & auidè imitatus est Cornelium Alexandrum Grammaticum Græcum, quem propter antiquitatis notionem Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant. Præfuit Palatinæ Bibliothecæ, nec multò secius plurimos docuit, fuitque Ouidio Poëtæ familiarissimus, & Cajo Licinio consulari Historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit & liberalitate sua quoad vixit sustentatum.* Huius *libertus fuit Iulius Modestus in studiis, atque doctrina vestigia Patroni secutus.* Hæc ille; cuius verba diligenter & acri iudicio perpensa non leuem suspicioni meæ ansam præbere videntur. Cum enim Higynum Ouidio familiarissimum fuisse dicit, vbi modò vel in omnibus vtriusque monumentis tantæ

neceſſitudinis veſtigium extat? Ouidius ad vxorem, ad Carum, ad Perillum, ad Brutum, ad Maximum, ad Rufinum, ad Græcinum, ad Meſſalinum, ad Seuerum, ad Flaccum, ad Germanicum, ad Solanum, ad Atticum, ad Cottam, ad Cotim, ad Suillium, ad Albinouanum, ad Gallionem, ad Tuticanum Epiſtolas mittit, ad Higynum vero nullam. An fortè ille eſt ad quem ſuppreſſo nomine toties ſcribit? neutiquam: Higynum enim admodum pauperem deceſſiſſe Tranquillus ait; alterum diuitem atque opibus abundantem fuiſſe, Naſo diſertè prodidit his verſibus, quos ad amicum mittit, cuius nomen conſultò præterit *Eleg.5. lib.4. Triſtium.*

O mihi dilectos inter pars prima Sodales,
Vnica fortunis ara reperta meis.
Cuius ab alloquiis anima hac moribunda reuixit,
Vt vigil infusâ Pallade flamma ſolet.
Qui veritus non es portus aperire fideles,
Fulmine percuſſæ confugiúmque rati.
Cuius eram cenſu non me ſenſurus egentem,
Si Cæſar patrias eripuiſſet opes.

Deinde in ea Epiſtola vxor, liberi & frater eius ad quem ſcripta eſt commemorantur, quorum Suetonius, cæteroqui non omiſſurus, nullam mentionem habet. Vnum autem & eundem eſſe animaduerto ad quem Ouidius tacito nomine literas iterum atque iterum dedit. Ipſemet enim teſtis eſt *lib.3. de Ponto Eleg.6.* vbi familiarem quendam his verbis alloquitur.

Ipſe ego quod primò ſcripſi ſine nomine vobis,
Vix excuſari poſſe mihi videor.

Vna

Vna tamen est quæ ad Higynum scripta videtur, nempe tertia *lib.4. de Ponto*; Amicum enim quemdam taxat, & eum notâ leuitatis inurit, quod cùm à teneris annis secum arctissimo necessitudinis vinculo iunctus fuerit, tandem in aduersa fortuna non modo eum deserat, sed nequidem cognouisse simulet. Eius est initium. *Conquerar an taceam.* Qua quidem Epistolâ facilè crediderim eundem ab Ouidio notari, in quem ipse nunc inuehitur. Nam quod ait

——— Sed & insultare iacenti
Te mihi, nec verbis parcere fama refert,

Repetere videtur in Ibin, hoc modo

Vulneráque immitis requiem quærentia vexat,
Iactat & in toto verba canina foro.

Et paulò post.

At tibi, calcasti qui me violente iacentem,
Qua licet heu misero debitus hostis ero.

Hanc autem Elegiam in Higynum conscriptam esse verisimile est, cum enim inquit:

Ille ego sum, quamquam non vis audire, vetustâ
Penè puer puero iunctus amicitiâ.

Dixit *penè*, quia, teste Suetonio, Higynus Alexandriâ puer aduectus erat, & Ouidio familiarissimus fuit. Rursus vbi sic,

Ille ego iudiciis vnica Musa tuis

Illum apprimè literatum atque etiam Criticum esse innuit, qualem fuisse constat Higynum, cuius in Virgilium commentaria laudantur ab A. Gellio. Iam verò cùm nullam apud Ouidium apertis verbis Higyni mentionem fieri liqueat, subortum equidem inter ipsos dissidium suspi-

cari licet, quòd Higynus Ouidij exulantis vxorem, ob priſtinam cum illo conſuetudinem proculdubio ſibi notiſſimam, ſollicitare auſus eſſet, eiúſque facultates ab Auguſto, cuius libertus erat, impetrare conaretur. Proinde Naſo iure in ipſum inuectus, Callimachum imitari voluit; ſcilicet vt ille Apollonium, quòd Alexandrinus eſſet, Ibin appellauit, ipſe pariter Higynum, qui à nonnullis Alexandrinus habitus eſt, Ibin vocitaret. Aduertendum præterea, quod Ibidi cùm Naſone ius arctum neceſſitudinis interceſſerat, vt ex his liquidò patet:

Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Iunctáque cum Lunâ lumina Solis erunt.

Deinde poſt ἀδύνατα multa,

Quàm mihi ſit tecum, poſitis quæ ſumpſimus armis,
Gratia, commiſſis improbe rupta tuis.

Hoc eſt planè quod de Higyno Suetonius teſtatum reliquit. Poſtremò cum ille Higynum admodum pauperem deceſſiſſe tradit, coniectura mea mirum in modum confirmatur; Ibidis enim paupertatem Ouidius ipſe innuit, hac imprecatione, quam Domitius non percepit

Filius & Cereris fruſtrà tibi ſemper ametur,
Deſtituátque tuas vſque petitus opes.

Naſonis enim votum eſt, vt Plutus Ceretis & Iaſij filius, qui diuitiarum Deus ab antiquis habitus eſt, moleſtas Ibidis preces nunquam exaudiat, eúmque ſemper inopiâ laborare ſinat. Is eſt autem cuius Mythologici libri omnium manibus triti ſuperſunt, vt meritò fabulis ſuis, quaſi propriis armis, iugulari videatur. Annon mirificè

ficè omnia conueniunt. Cæterum disticho superius adducto Cinyphius, id est, Africanus à Cinyphe Libyam alluente nominatur; quomodo Iuba Mauritaniæ Rex ab eodem Nasone *lib. 5. Metamorphoseon.*

——— *Numidásque rebelles.*
Cinyphiumque Iubam,

Et Bocchus à Sidonio Panegyrico Majoriani.

——— *Cum diuite cera*
Pinges Cinyphij captiua Mapalia Bocchi.

Hinc Hesychius Κινύφιον, inquit, ἡ Ἀνταίου, ἀπὸ Κινύφου τοῦ ποταμοῦ. Tametsi constet Regiam Antæi ad extremum Oceanum fuisse. Vnde apparet Cinyphium generaliter sumi pro Libyco, more scilicet Poëtarum, quibus vsitatum peculiari alicuius loci nomine totam designare Prouinciam. Neque verò refert quod Ibis licet Ægyptius ad Cinyphem editus fingatur. Poëtæ siquidem non semel regionum nominibus propter viciniam vtuntur; sic enim Claudianus, & ipse Alexandrinus, qui vxorem in patria duxerat, Libyæ appellatione vsus est; idémque Pelusiacus, & Canopicus à Sidonio dictus est, cum tamen Alexandriæ natus esset; sic Ausonius scribens in Monosyllabis:

Threicium, Libycum freta, Cimmeriúmq; ferat bos.

per *Libycum* intelligit Ægyptum, vt Scaliger obseruauit. Sic Persa pro Medo & contrà. Sic in Catalectis Gallus pro Britanno, propter vtriusque gentis vicinitatem. Ita quoniam Hadriaticum mare Ionio coniungitur κατὰ μετάδοσιν ὀνόματος Ionium appellatur, & Ionium vi-

ciſſim Hadriaticum, vt Apollonij Scholiaſtes ad *lib.4. Argonau.* & Euſtachius ad Dionyſij Periegeſin notant. Ouidius autem quo σοφατομωλωσίαν Ibidi ſuo exprobraret, iuxtà Cinyphem natum fingere mihi videtur, vbi proceriſſimi naſcuntur hirci, qui inde Cinyphij dicuntur Silio *lib.3.* Martiali *lib.7.* Epigrammate in Linum. Item Virgilio *lib.3. Georg.* cùm ait:

Nec minus interea barbas incanáque menta
Cinyphij tondent hirci ——————

Sed hæc hactenus quæ pro compertis non tradimus, donec ſuper iis habita ſint doctiorum Comitia.

PVBLII

PVBLII OVIDII NASONIS LIBELLVS IN IBIN.

TEMPVS ad hoc lustris mihi iam bis quinque peractis,
Omne fuit Musæ carmen inerme meæ:
Nullaque, quæ possit, scriptis tot millibus, extat
Litera Nasonis sanguinolenta legi.
Nec quemquam nostri, nisi me, lasere libelli, 6
Artificis periit cum caput arte sua.

COMMENTARIVS.

Quid sit lustrum aduersus viros eruditos. Ouidij calamus argenteus in Pannonia repertus. Ouidiani exilij causæ.

VERS. 1 *TEMPVS ad hoc lustris.* Inter eruditorum contentiones hæc etiam non postremum locum habuit, quid esset lustrum; pugnantia enim inter eos studia & opi-

niones fuerunt, & adhuc sub iudice lis est. Nam cum Varro *lib. 3. de lingua Latina*, Festus, Seruius & alij vetustatis assertores lustrum quinquennale tempus esse literis prodiderint, hoc ita Budæus omnium qui hoc, patrúmque sæculo vixerunt extra omnem aleam doctissimus *Annot. in Pandectas*, exponit *lustrum à Latinis dicitur quod Olympias apud Græcos dicitur, id est, quinquennium; ita tamen vt quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte lustrum peractum esse intelligatur.* Cui Lilius Giraldus *lib. de mensibus & annis*, Henricus Glareanus *Chronolog. in Dionysium*; Lalamantius *lib. de mensium ratione*, Cujacius *in lib. 11. Cod. de lustrali auro*; Iosephus Scaliger *lib. 5. de emendatione temporum, & Ausonian. lectionum, lib. 2. cap. 23.* Iterúmque *libro posthumo de re numaria*, Anton. Nebricensis *in Quinquagena*, aliíque niueos calculos tradunt. Complures tamen lustrum quinquennio completo terminari contendunt. In his Brodæus in Epigrammata Græca; Iosephus Castalio *variar. lection. lib. 1. cap. 19.* & *obseruat. in Criticos, cap. 10.* Ioannes Sauaro *notis ad Sidonium*, & alij, Poëtarum duntaxat authoritate freti: qui *lustrum* & *Olympiada* pro quinquennio semper vsurpant; quamuis Olympiadas ex Dionysio, Plinio, Plutarcho, Solino, Censorino, Eusebio, Tzetze, Suida, quinto quoque anno non exacto, sed ineunte celebrari solitas constet. Quamobrem aliunde petenda erit illis authoritas; Attamen ego facilè adducor, vt in eorum sententiam pedibus eam, propterea quod non solum Poëtæ, sed etiam Historici, Rhetores, & Iurisconsulti lustro passim

passim pro quinquennio vtuntur. Tacitus enim *lib.* 16. *Annal. lustrale certamen*, pro quinquennali dixit. Pacatus Panegyrico, quinquennium, quo Maximus Imperium in Galliis occupauerat *lustrale iustitium* vocat. Eumenius etiam *Oratione pro restaurandis Scholis*, Constantinum, qui ciuibus Æduensibus quinquennij tributa relaxarat, sic alloquitur: *Quinque annorum nobis reliqua remisisti, O lustrum omnibus lustris felicius.* Notum est præterea vel ex Cicerone *lib.* 6. *Epistola* 2. *ad Atticum*, & *lib.* 2. *Epistolarum ad familiares*, cum ad Cœlium scribit tempus illud ad quod vectigalia locabantur lustrum appellari. Quod quidem spatium Callistratus *l. non intelligitur*, *ff. de re fisci*, modo quinquennium, modo lustrum appellat. Neque verò tantum vectigalia, sed etiam prædia omnia & vrbana & rustica, veteres in quinquennium locare solebant, vt ex Higeni libro de Limitibus patet. Illud autem spatium locationis lustrum itidem Iurisconsulti vocant, de quibus Vlpianus *l.* 4. §. *res pignori*, *ff. de reb. credit.* *cert. pet.* & *lege* 30. *ff. de legat.* 3. Celsus *lib.* 7. §. *vlt.* *de furtis.* Hinc etiam *lustrale aurum* dictum de quo titulus 11. *lib. Cod. quod quinto quoque anno conferendum debatur.* Porrò, lustrum in veteri Glossario quod Henricus Stephanus edidit πενταετηρὶς exponitur. Sed & Asconius Pædianus in primam Ciceronis actionem contra Verrem, quæ Diuinatio dicta est, Censores *completo quinquennio solitos lustrare* solitos ait. Quid apertius? Lustrum igitur ex eo dictum quod quinto quoque anno Roma lustraretur, innuit Liuius *lib.* 1. & clarè

tradit Isidorus *Etymolog. lib. 25. cap. 37.* Itémque Seruius, cuius inter Grammaticos non postrema est authoritas, *in lib. 1. Æneid.* his verbis: *Lustrum dictum, quod post quinquennium vnaquaque ciuitas lustrabatur*; licet Varro *à luendo*, id est, soluendo, lustrum ducit, quod quinto quoque anno vectigalia & vltro tributa per Censores persoluebantur. Vt vt sit, intuere propius in illud Asconij *completo quinquennio*, & in id Seruij *post quinquennium*; Ieriſne modo inficias?

Vers. 3. *Nullâque quæ possit.* Id ipsum profitetur & aliis locis, vt verisimile sit neminem priuatim ab ipso læsum, in eo libro quem authore Fabio in malos Poëtas ediderat. Succurrit hoc loco meminisse argentei calami non multò ante annum M. D. XL. sub antiquis ruinis in Pannonia reperti, cum hac inscriptione, *Ouidij Nasonis calamus*, quem Isabella Pannoniæ Regina & plurimi facere, & Tauruni, quæ est vrbs inferioris Pannoniæ, viris eruditis ostendere solebat, vt scriptum reliquit Hercules Ciofanus in Ouidij vita; cuius etiam calami meminit Cœlius Calcagninus, in ea Elegia qua Scytharum mores describit.

Vers. 6. *Artificis periit cum caput arte sua.* Ducta est locutio illa ex Iurisconsultorum penu, quibus capite deminuti dicuntur tribus modis. Verum Naso more Poëtico eâdem abusus est, neque enim relegati, qualem se profitetur, capite minuuntur, vt paulò pòst dicemus. Ita *lib. 1. Tristium Eleg. 2.*

Quod periit, saluum iam caput esse potest.

Arte

Arte sua. Licet enim duplicem exilij sui causam alibi proferat, quarum alteram vbique fatetur, alteram nunquam aperiat, qua de re multi multa, illam ipse prætulit, qua & cæteras prætexuisse videtur Augustus, quod nimirum tribus libris de arte amandi Romanam iuuentutem corrupisset. Eaque fuit Aurelij Victoris sententia in Augusto. Hinc *Eleg.* 1. *lib.* 1. *Tristium*, libros illos *Oedipodas & Telegonos* appellat, quod patri suo causa fuerint exitij.

Vnus, & hoc ipsum est iniuria magna, perennem
Candoris titulum non sinit esse mei.
Quisquis is est, nam nomen adhuc vtcumque tacebo,
Cogit inassuetas sumere tela manus.
Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
Non sinit exilio delituisse meo.
Vulneráque immitis requiem quærentia vexat,
Iactat & in toto verba canina foro.
Perpetuóque mihi sociatam fœdere lecti
Non patitur miseri funera flere viri.

COMMENTARIVS.

Cur Ibidis nomen suppressum. Tria exulum genera. Quid sit propriè conuicium. Tres Ouidij vxores. Renasci dicuntur qui ab exilio reuocantur. Natales Martyrum.

VERS. 8. CANDORIS *titulum.* Candoris titulo passim gloriatur, tum *lib.* 2. *Tristium.*

Nec mihi credibile est quemquam insultare iacenti,
Gratia candori si qua relata meo est.

Item *lib.* 3. *de Ponto, Eleg.* 4.

Viribus infirmis vestro candore valemus,
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.

Et *lib.* 4. *Eleg.* 14.

Tam felix vtinam quàm pectore candidus essem;
Extat adhuc nemo saucius ore meo.

VERS. 9. *Nam nomen adhuc vtcumque tacebo.* Neminem Interpretum obseruasse video, cur Ouidius Ibidis nomen subticuerit. Mihi tamen hæc indagatio dignior visa est quam vt prætermitti debeat. An, ne carminibus Ouidianis Ibis inclarescceret, in quam sententiam eundem ni fallor, sic alloquitur *lib.* 4. *de Ponto, Eleg.* 4.

Conquerar an taceam; ponam sine nomine crimen?
An notum qui sis omnibus esse velim?
Nomine non vtar, ne commendere querelâ,
Queratúrque tibi carmine fama meo.

Quod

Quod ante Naſonem Catullus elegantiarum Latinarum deliciæ obiecit Rauido his verſibus:

Quenam te mala mens miſelle Rauide
Egit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non benè aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An vt peruenias in orâ vulgi?
Quid vis? Quà lubet eſſe notus optas;
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longâ voluiſti amare pœna.

Vix tamen eſt, vt hæc fuerit mens Ouidij, quoniam poſtremo diſticho huius libelli, verum Ibis nomen pollicetur, cum ait.

Poſt modo plura leges, & nomen habentia verum.

In Naſo reuerentiâ legis 12. Tabularum ſibi temperauit, quâ nimirum famoſos libellos proiicere capitale fuit. Eius meminit Eloquentiæ parens *lib.4. Tuſculan.* in hunc modum, *Quamquam quidem etiam duodecim Tabulæ declarant, condi tum ſolitum carmen, quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege ſanxerunt.* Idem *lib.4. de Repub.* apud S. Auguſtinum, *lib.2. de Ciuitate Dei, cap.9. Noſtræ contra duodecim Tabulæ cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam puterunt, ſi quis occentauiſſet, ſiue carmen condidiſſet, quod infamiam afferret flagitiumve alteri.* Arnobius *lib.4 aduerſus gentes. Carmen malum conſcribe quo fama alterius coinquinetur & vita, Decemuiratus ſcitis euadere noluiſtis impunè, ac ne veſtras aures iuicio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus forlas conſtituiſtis iniuriis.* Poſteà fuſtuarij pœna deta, vnde Flaccus Epiſtola ad Auguſtum.

Quin

Quin etiam lex,
Pœnáque lata, malo quo nollet carmine quisquam
Describi; vertere modum formidine fustis.

Item *Sat.* 1. *lib.* 2.

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciúmque:

Quæ postrema Flacci verba Sidonius *Epist.* 11. *lib.* 1. in eam rem profert, eóque respexisse Persium non dubito, cum exclamat *Sat* 1.

Nam Roma quis non? ah si fas dicere——

Deinde,

Men' mutire nefas, nec clam nec cum scrobe?

Tandem non alia quam infamiæ pœna fuit; abrogatis enim 12. Tabularum legibus, qui libellum ad infamiam alicuius pertinentem scripserat, intestabilis esse iussus est, *l. lex Cornelia*, §. 9. *ff. de iniuriis & fam. libell.* Donec item capitale fuit, *l si quis famosum*, *C. de famos. libell.* Cæterùm Codices in hoc versu variant. In aliquibus enim legitur *vitiúmque tacebo*, id est, quod alibi dicit. *Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello*, in aliis: *Nam nomen adhuc vtrumque tacebo*, quod Ascensius retinet. Ego *vtcumque* quod hîc valet, aliqua ex parte; nam subinde patriam Ibidis indicat.

Vers. 11. *Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus.* *Relegatum* se non exulem dicit. Nam cum tria sint exulum genera, quorum alij interdicti, alij relegati, alij deportati nominantur; exulum appellatio, quæ generalis est, ad deportationis speciem nonnunquam reuocatur, vt de ea intelligatur, in quam sententiam Ouidius *lib.* 2. *Trist.*

Adde

Adde quod edictum quamuis immite minaxque,
Attamen in pœna nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non exul dicor in illo,
Parcáque fortunæ sunt tibi verba meæ.

Item:

Nec mea concessa est aliis fortuna, nec exul
Edicti verbis nominor ipse tui.
Aruarelegatum iussisti visere Ponti,
Et Scythicum profugâ scindere puppe fretum.

Et *lib.5.*

Ipse relegati non exulis vtitur in me
Nomine, tuta meo iudice causa mea est.

Et interdicti propriè dicuntur, quibus interdictum est certi loci aditu & commercio, veluti si quis Româ abesse iubeatur. Relegati qui in locum aliquem remotum amandantur, aut qui certum in locum quodammodo circumscribuntur; vt cum quis domo sua, aut patria excedere vetatur, vnde Naso de se *lib.2.Trist.*

Insuper accedunt, te non adimente, paterna.
Tanquam vita parum muneris esset, opes.

Et alibi:

Nec mihi detractas possidet alter opes.

Item:

Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reuerti.

Et *hoc libello.*

Dii melius; quorum longè mihi maximus ille est,
Qui nostras inopes noluit esse vias.

Interdum tamen Relegati dicuntur qui propriè sunt interdicti. Deportati verò ius omne ciuitatis & agnationis bonáque omnia amittunt: líque perpetuo exilio damnantur, & seruis publicis vt

eos

eos in Insulam transferant traduntur. Operæ pretium fuit hæc omnia enarrare, tametsi Iurisconsultorum filiis notissima ex *tit. Pandect. de interdictis, relegatis & deportatis.*

Gelidos Aquilonis ad ortus. Quia vt ipse ait *lib.4.de Ponto, Eleg.10.*

Hinc oritur Boreas, oræque domesticus huic est,
Et sumit vires à propiore loco.

Vt non dubitem spuriam esse lectionem illam, quam Domitius agnouit: *Gelidas Aquilonis ad arctos*

VERS.14. *Iactat & in toto verba canina foro.* Sic Iulianus ille quem plerique ἀποστάτην, Eustathius παραβάτην semper nominat in Misopogone: οὕτω δὴ καὶ ὑμεῖς ἐν τῇ ἀγοραῖς ἐπιτρίβετε λοιδορούντες, *Sic inquam vos in foro conuiciis assiduè in nos debacchamini*; In foro siquidem vel circulis conuicia iaciuntur, cæteroqui non propriè conuicia dicuntur, vt eleganter definit Vlpianus *l.item apud Labeonem*, §.12. *ff. de iniuriis*, hoc modo, *siue vnus siue plures dixerint, quod in cœtu dictum est, conuicium est; quod autem non in cœtu nec vociferatione dicitur, conuicium non propriè dicitur, sed infamandi causa dictum.* Tullius autem pro Cœlio, *Maledictio*, inquit, *nihil habet propositi præter contumeliam, quæ si petulantius iactatur, conuicium; si facetius, vrbanitas nominatur.*

VERS.15. *Perpetuóque mihi sociatam fœdere lecti.* Perpetuo scilicet, nam cum tres vxores duxisset Ouidius, duas facto diuortio repudiauit, tertiam vnicè dilectam ad mortem vsque retinuit, cuius laudationem prosequitur, cum alibi

tum

ım *Eleg. 5. lib. 1. Triſt.* quâ fidem eius & indu-
riam prædicat, quod cum aliquis auidiſſimè
ɔrtunis ſuis inhiaret, ipſa ingenio & amicorum
ıxilio integra omnia ſeruauerit. Grauiter fal-
tur Crinitus qui Perillam eſſe putat.

VERS. 16. *Non patitur miſeri funera flere viri.*
.1. Eleg. 10. de Ponto, vbi de Celſo loquens ait:

Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quàm ſi frater in igne foret.

ıpropriè tamen, quia relegationi tribuit quod
portationis proprium eſt. Siquidem mors alia
turalis eſt, animæ ſcilicet à corpore diſceſſus;
a ciuilis, cum ratione iuris aliquis pro mortuo
ıetur. Homines enim media & maxima capi-
diminutione ciuiliter intereunt, *lib. 64. §. vlti-*
, ff. pro ſocio. Vnde Therſander apud Achillem
atium *lib.* 8. de Clitophonte, morte iam dam-
to, ſic loquitur, τέθνηκε τοῖς νόμοις. *Iam quod ad*
es attinet mortuus eſt. Claudianus *lib. 1. in Eu-*
pium

——*Certè pudeat quod iure ſepultum*
Mancipium tot regna tenet, tot diſtrahit vrbes.

ıapropter ij qui ab exilio reuocantur renaſci
untur. Papinius in Etruſci lacrymis 3. *Syluar.*

Quas tibi deuoti iuuenes pro patre renato
Summe ducum Vates, aut quæ pia vota rependunt?

nius *Panegyrico Trajani*, *Sparſas atque ita dicam*
eras gentilitates colligere & renaſci iubere.

audianus *de Bello Getico*

——*Tectiſque ſuis redduntur & agris*
Damnati fato populi, virtute renati.

cò Tullius *lib. 3. ad Atticum,* diem quo reuoca-

tus est ab exilio natalem suum vocat. Ouidius igitur se mortuum sæpius appellat, tum *lib.4. de Ponto, Epist. postrema*, quâ monet inuidum ne carmina sua laceret, se enim mortuum esse dicit, proindéque nullius liuori obnoxium, cum liuor post mortem quiescere soleat. Eius est initium.

Inuide quid laceras Nasonis carmina rapti?
Non solet ingeniis summa nocere dies.
Famáque post cineres maior venit, & mihi nomen,
Tunc quoque cum viuis annumerarer, erat.

Quemadmodum autem Natalis dies appellatur is, quo exules ciuile caput, & iura viuentium recuperant; ita Natalis dicitur à Christianis dies quà Martyres & Confessores obeuntes, ab huius orbis exilio quodammodo reuocantur; sic in Martyrologiis per Natalem, dies obitus intelligendus. Origenes *lib.3. Comment. in Iobum*, Albin. Flaccus *de diuin. Offic. cap. de Feria sexta*. Nicolaus Papa *Epist. ad Consulta Bulgarorum, cap 5.*

Cumque ego quassa mea complectar membra carina,
Naufragy tabulas pugnat habere mei.
Et qui debuerat subitas extinguere flammas,
Hic prædam medio raptor ab igne petit.
Nititur vt profugæ desint alimenta senectæ;
Heu, quanto est nostris dignior ille malis!
Di melius, quorum longè mihi maximus ille est,
Qui nostras inopes noluit esse vias.
Huic igitur meritas grates, vtcumque licebit,
Pro tam mansueto pectore semper agam.

Audiet

Audiet hæc Pontus, faciet quoque forsitan idem
Terra sit vt propior testificanda mihi.

COMMENTARIVS.

Ouidiani loci noua interpretatio. Quædam scitu digna de incendiorum cura apud Romanos. Augusto viuo diuini honores tributi. Quæ sit differentia inter gratias agere, & referre. Pectus amicitiæ quid.

VERS. 19. ET *qui debuerat subitas extinguere flammas.* Ouidius quo maiorem Ibidi suo inuidiam conflaret, metaphoram duxit ab huiusmodi raptoribus, qui lege Iulia de vi publica tenentur, *l. in eadem causa, §. sed & qui in incendio, ff. ad leg. Iul. de vi publica.* Verùm suspicor hunc locum metaphoricè sumi non debere, sed illi aliquid inuolucri subesse, quod oculis omniuentibus prætereundum non sit. Suspicor inquam munus ac officium Ibidis significari, quo scilicet aliquatenus indicaretur. Quid enim τὸ *debuerat*, nisi ipsi id oneris incubuisset, vt portæ incendia restingueret, quibus obnoxiam fuisse vrbem Romam notum est. Fuerat is fortè cohortibus vigilum, qui per vrbis regiones dispositi & excubantes incendiorum curam gerebant,

rebant, vti nos docent Paulus *l.3. ff. de officio Prefecti vigilum*; Suetonius in Augusto *cap.25*. Et has quidem cohortes, quæ septem erant, ex libertinis conscriptas, dato ex Equestri ordine Præfecto scribit Dio *lib.55*. Item Strabo *lib.5*. Plerique tamen libertinorum huiusmodi militiam, quæ grauior erat detrectabant; quorum alliciendorum causa, Latinis qui sex annis in cohorte vigilum militassent, ius Quiritium pro præmio, Visellia lege, propositum est. Postea verò cum longius sexennij tempus existimaretur, Senatusconsulto ad triennium reductum est, quemadmodum retulit Vlpianus *Institut. tit.3*. Hæc autem maximè conueniunt Higyno, qui mihi videtur ab Ouidio perstringi; siquidem ipsum Augusti fuisse libertum Suetonius prodidit. Sed vt ista sunt in coniecturâ posita, & à me inuestigandi tantùm, non etiam affirmandi gratia proposita, ita velim à Lectoribus accipi & æqui bonique consuli. Plura de incendiorum cura & instrumentis ad ea restinguenda comparatis, Barnabas Brissonius *lib.2 cap.8*. Selectarum ex iure Ciuili antiquitatum.

VERS.23. *Di melius quorum longè mihi maximus ille est.* Augustus nimirum, cui viuo & præsenti, vt Horatius loquitur, diuini honores tributi, cuiusque Genio in compitis culto Sacerdotes ex libertinis dati, Augustales appellabantur. Nam & patrum memoria Narbone reperta est ara Genio Augusti consecrata. Perperam Zarottus hunc Ouidij locum ad Germanicum retulit.

VERS.26. *Huic igitur meritas grates.* Virgilium

ni

ni fallor adumbrauit, apud quem Tityrus *Eclo-ga.1.* se obstringit fore vt nunquam Augusti beneficiorum obliuiscatur, quem Deum appellat, cuique sæpè sacra facturum se pollicetur. Sic enim Tityrus,

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Et paulò pòst:

Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Cæterùm quæ sit differentia inter gratias agere & gratias referre, ostenditur ex his Planci ad Ciceronem *Epist.11. lib.10. Immortales ago tibi gratias agamque dum viuam, nam relaturum me affirmare non possum; tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse: nisi fortè vt tu grauissimè diligentissiméque scripsisti, ita sensurus es, vt me referre gratiam putem, cum memoria tenebo.* Item ex his Ausonij Plancum imitati; Actione gratiarum ad Gratianum pro consulatu. *Ago tibi gratias, Imperator Auguste, si possem etiam referrem; sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem: Priuatorum ista copia est inter se esse munificos: Tua beneficia vt maiestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias agam.*

VERS.27. *Pro tam mansueto pectore.* Pectus enim mansuetudinis & amicitiæ sedes est, vnde Seneca *lib.6. cap.34. de benef. In pectore amicus non in atrio quæritur; illo recipiendus est, illic tinendus est, & in sensus recondendus.* Hinc nici à probatissimis authoribus amicitiæ pe-

ctora dicuntur. Manilius *Astronom. lib. 2.*

Quo circa nihil ex semet natura creauit
Pectore amicitiæ maius.

Martialis *Epig. 15. lib. 9.* in fictos amicos

Hunc quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum
Esse putas fida pectus amicitia.

Papinius ad Marcellum *cap. 4. Sylu.*

Iámque vale & penitus notitibi Vatis amorem
Corde exire veta, nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ.

At tibi calcasti qui me violente iacentem,
Qua licet, heu misero debitus hostis ero.
Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
Iunctáque cum Luna lumina Solis erunt.
Parsque eadem cœli Zephyros emittet & Euros.
Et tepidus gelido flabit ab axe notus:
Et noua fraterno veniet concordia fœmo,
Quam vetus accensâ separat ira pyrâ:
Et Ver Autumno, Brumæ miscebitur Æstas,
Atque eadem regio Vesper & Ortus erit.
Quam mihi sit tecum, positis quæ sumpsimus armis,
Gratia, commissis improbe rupta tuis.
Quàm dolor hic vnquam spatio euanescere possit,
Leniat, aut odium tempus & hora meum.
Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.
Prima quidem cœpto committam prælia versu,
Non soleant quamuis hoc pede bella geri.
Vtque petit primò plenum flauentis arenæ

Nondum

Nondum calfacti velitis hasta solum.
Sic ego te ferro nondum iaculabor acuto,
Protinus inuisum nec petet hasta caput.
Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello,
Teque breui qui sis dissimulare sinam.
Post modo si perges, in te mihi liber Iambus
Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.

COMMENTARIVS.

Eteoclis & Polynicis dissidium. Admiranda Scythicæ herbæ natura. Iudæorum & Millenariorum error. Hasta velitaris. Samnites. Eumenius ab emendatione Lipsij defensus. Alia scitu digna. Mors Lycambis.

VERS. 35. ET *noua fraterno.* Eteoclis & Polynicis Oedipi & Iocastæ filiorum discordia morte finiri non potuit, postquam enim mutuis se se vulneribus confecissent, coniectis in eandem pyram cadaueribus, flamma cum fumo diuisa fuisse traditur: ex Ouidio ipso *lib.5. Trist. Eleg.6.* vbi Callimachum authorem laudat, Higyno *fab.68.* Pausania *in Bœoticis*, Lucano *lib.1.* Papinio *lib.12. Thebaid.* qua de re Bianoris Epigramma legitur *lib.3. Anthelog.* item Ausonij. Hinc

acerbæ fratrum inimicitiæ, *Contentiones Eteocleæ* dicuntur Apulejo *lib.*10. *Metamorph.*

VERS.43. *Pax erit hæc vobis.* Ruptam inter se & Ibin amicitiam nunquam posse iterum coire asserit, inductâ multarum rerum comparatione, quæ conuenire inter se nullo modo possunt: siue rerum ordine pugnent. Vt Luna cum Sole, Zephyrus cum Euro, Aquilo cum Noto, Ver cum Autumno; siue naturâ vt ignis cum aqua, Lupi cum agnis, Plato λυκοφιλίαν vocat *Epist.*2. *ad Dionem.* Sed enim admiratione dignum mihi videtur quod de *Borametz*, id est, *agno* planta Scythica proditum est. Illam nimirum apud Tartaros in Zauolhensi regione inter Volgam & Iaik fluuios, agni figura crescere, & à lupis tantum appeti, non item ab aliis animantibus quæ carne vescuntur, vt refert Iulius Scaliger aduersus Cardanum *exercit.*181. *distinct.*29. Guilielmus Postellus *libro de causis vtriusque naturæ*, Ioannes Khuuenius Breidbachius *lib.*1. *Zodiaci*, Ioannes Baptista à Porta naturæ intelligẽtissimus *lib.*4. *Phytognomonicôn*, quem iniquè prorsus Ioan. Bodinus in Dæmonologia sua, vt magnum veneficum incessit, libróque eiusdem de magia naturali flammis dignos arbitratur. Verum aliquando futuram inter lupos & oues concordiam cecinit Esaias *cap.*11. *vers.*6. Et post eum Sibylla Erythræa; quod cum metaphoricè sumi debeat, vt S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, aliíque Isaiæ Interpretes, itémque Eusebius *lib.*3. *demonstrat. cap.*2. & S. Gregorius *homil.*16. *in Ezechielem*, exponunt;

exponunt: Iudæi tamen hoc reuera futurum arbitrantur, ideóque nondum Messiam suum aduentasse contendunt, sicut Origenes scriptum reliquit *lib.*4. *Periarch. cap.*2. & Philocal. *cap.*1. Eosque meritò refellit ex veteribus Rabbinis Galatinus *lib.*5. *cap.*8. Quo etiam in errore versatus est Lactantius *lib.*7. *diuinarum Instit. cap.*24. atque adeò Chiliastæ siue millenarij omnes, quorum author fuit Papias S. Ioannis discipulus.

VERS.47. *Vtque petit primo plenum flauentis arena, nondum calfacti velitis hasta solum.* Tria erant in exercitu Romano militum genera; Equites, Pedites, Legionarij cum suis signis. Pedites leuis armaturæ sine signis. Hi Velites vocabantur, & vbi confligendum erat inter vtramque aciem excurrentes, leuibus armis instructi prælium committebant, mox recedentes locum certandi Legionariis dabant. Hastâ verò iaculatoriâ vtebantur quam Polybius γρόφον appellare videtur. Liuius *gladiis à velitibus trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet & in dextera hastas quibus eminus vtitur, gladio Hispaniensi est cinctus.* Meminit & aliis locis hastæ velitaris. Hinc, *velitatio & aduelitatio* dicta, quod est authore Festo *iactatio quædam verborum figurata ab hastis velitaribus.* Quamobrem nescio quid in mentem venerit Lipsio, cum scribit *lib.*3. *de militiâ Romanâ*: Iaculatorem pro Velite ab Ouidio innui, propterea quod Ouidij ætate Velites non essent. Quid habebat in animo cum hæc scriberet. Hasta autem Velita-

ris amentata erat, vt ex hoc Ciceronis loco discimus in Bruto, *Hastæ Velitibus amentatæ traduntur*, qui locus Adrianum Turnebum fugit cum *lib.*14. *Aduers.cap.*11. scribit hastam amentatam à velitari differre. Ex hoc item disticho patet Velites ante pugnam præludere & hastas vibrare solitos esse, quò fortè respexit & Cicero *lib.*2. *de diuinatione*, his verbis: *Hæc fuerit nobis tanquam leuis armaturæ prima orationis excursio.* Quin & Samnitibus idem moris fuisse tradit idem Cicero in hunc modum *lib. de oratore: Atque eiusmodi illa prælusio esse debet, non vt Samnitium qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur.* Extátque locus insignis apud Strabonem *lib.*10. de gladiatorum prælusionibus: καὶ οἱ μονομαχοῦντες τοῖς παλτοῖς χρώμενοι, δόρατιν εἰσάγονται πρότερον, εἶτα ἐπὶ τὰ ξίφη βαδίζοντες. *Et qui singulari certamine congrediuntur, primùm hastis missilibus rem gerere scribuntur, deinde ad gladios venire.* Quem morem à Græcis manasse docet Æschylus, qui in Agamemnone κάμακα διακναιομένην vocat προτέλεια, siue grauioris pugnæ præludia.

Vers.48. *Nondum calfacti.* Elegans tralatio verbi *calfacere*, bonis vtique Scriptoribus vsitata; Cicero de Oratore, *Et ait cum brachium calfecerit, tum se solere pugnare, neque attendit eos ipsos* (gladiatores intelligit) *vnde hoc simile ducit, illas primas hastas ita iactare leuiter, vt & venustati vel maximè seruiant, & in reliquum, viribus.* Sic apud Plutarchum θερμὸς ἀπὸ μάχης

&

& θερμὸν ὄντα τῷ ἀγῶνι, pro eo quod Latini dicerent, *cum incaluisset feruore certaminis.*

Vers. 49. *Sic ego te ferro nondum iaculabor acuto.* Obtusa erant arma quibus præludebant; quapropter, ea quibus seriò decernebant Ouidius ferrum acutum vocat, quomodo *lib. 3. de Arte.*

Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Iterum,

Sic vbi præluſit, rudibus puer ille relictis,
Spicula de pharetrâ ſumit acuta manu.

Similiter Dio cum de lenitate Marci disserit; Σιδήριον γὰρ ἐδένποτε ἐδενὶ αὐτῶν ὀξὺ ἔδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἀμβλέσιν ὥσπερ ἐσφαιρωμένοις πάντες ἐμάχοντο: *Ferrum enim acutum nemini eorum commisit, sed obtusis & velut orbiculatis gladiis omnes pugnabant.* Eumenius Rhetor Oratione pro restaurandis scholis, *tela splendentia* vocat, his verbis: *Neque enim tanta me, aut negligentia, aut confidentia tenet, vt nesciam quanta sit inter hanc aciem & fori, & nostra illa secreta studiorum exercitia diuersitas: Ibi armantur ingenia, hîc præliantur: ibi præluſio; hîc plerumque velut ſudibus & ſaxis; illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur.* Quo quidem loco Lipsius *Saturnal. lib. 2. cap. 19.* rescribendum contendit *rudibus & hastis*, ego *ſudibus* retinendum asserо, siquidem tirones ad palum sudibus exerceri solitos tradit Vegetius *lib. 2. c. 23. Ad palum quoque ſudibus iuniores exerceri percommodum eſt*, & Iuuenalis Satyra 6.

——*Vel quis non vidit vulnera pali,*
Quem cauat aſſiduis ſudibus ſcutóque laceſſit.

Vers.

VERS.53. *In te mihi liber Iambus.* Iambum liberum vocat, vt *lib.1.de remedio amoris.*

Liber in aduersos hostes stringatur Iambus,

siue quod sit orationi liberæ simillimus, vt ait Cicero in Oratore, & Theo in Progymnasmatis τὸ Ἰαμβικὸν ἔχει ὁμοιότητα πρὸς τὸ πεζόν. *Iambicum cum pedestri oratione habet similitudinem.* Imo & Aristoteles *lib.4.de Poëtica, cap.4.* Μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι. *E metris sermoni maximè idoneum est Iambicum*; siue quod præcipuus est in conuiciando carminis Iambici vsus, quemadmodum vocem illam exponit Proclus in Chrestomathia & Scholiastes Ephæstionis.

VERS.54. *Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.* Non dissimile illud Martialis *Epig.11. lib.7.*

Quid prodest cupiant cum quidam nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent.

Cum Lycambes filiam Neobulen Archilocho Poëtæ despondisset, eámque posteà pacti pœnitens, alteri collocasset, virulentis Iambis ab ipso Archilocho vsque adeo perstrictus fuit, vt doloris impatientia mortem sibi laqueo conscíuerit, vt scribit Aristoteles *lib.3. Rhetor.* Pausanias *in Achaicis.* Hinc Horatius *Epod.6.*

Caue caue, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambes spretus in fide gener

Item.

Archilochus isto sæuit iratus metro
Contra Lycambem & filias.

Et

Et *Epistola* 19. *ad Mecanatem.*

Nec socerum quærit quem versibus oblinat atris,
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit,

De Archilochi vitulentia plura dicentur ad *versum* 523.

Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
Hoc ego deuoueo téque tuósque modo.
Vtque ille historiis inuoluam carmina cæcis,
Non soleam quamuis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibida, dicar
Oblitus moris, iudiciique mei.
Et quoniam qui sis nondum quærentibus edo,
Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Vtque mei versus aliquantum noctis habebunt,
Sic vitæ series tota sit atra tuæ.

COMMENTARIVS.

Error Ioannis Tortellij. Callimachi poëmation in Ibin perobscurum fuisse. Eiusdem Ætia. Quare Callimachus & Ouidius in Ibin obscuri. Alanus emendatus.

VERS. 55. NVNC *quo Battiades inimicum deuouet Ibin,* Ioannes Tortellius Aretinus,

Aretinus, homo bene literatus, qui auorum nostrorum memoriâ iuuentutem Italam diuturnis ignorantiæ tenebris inuolutam, quasi ex altissimo veterno excitare, & cum Laurentio Valla coætaneo & familiari suo, rem literariam multis scriptionibus iuuare conatus est, in suis de Orthographia Commentariis anno 1488. Venetiis excusis Archilochum esse falsò putauit, quem Ouidius ad imitandum sibi proposuit, fortè quod Archilochus maledicentiâ nobilis fuit Callimachus intelligendus, qui ficto Ibidis nomine Apollonium Rhodium discipulum, diris imprecationibus deuouit; vt supra dictum in Prolegomenis, quod hîc non repeto. Is enim *Battiades* ab Ouidio, Catullo, Papinio dictus, quod Batti filius esset, vt ipse testatur hoc Epigrammate in Battum.

Ὅστις ἐμὸν παρὰ σῆμα φέροις πόδα, Καλλιμάχου με
ἴστι Κυρηναίου παῖδά τε καὶ γενέτην
Εἰδείης δ' ἄμφω ——————

Quisquis adis tumulum me noueris esse, viator
Callimachi natum Callimachique patrem,
Sic ambos noris ——————

Quin etiam originem suam ad Battum Cyrenarum conditorem referebat, à quo posteri omnes Battiadæ appellati.

VERS. 57. *Vtque ille, historiis inuoluam carmina cæcis.* Suidas etiam Callimachi libellum in Ibin perobscurum fuisse testatur, de quo Papinium loqui non dubito *lib.* 4. *Sylu.* cum patrem laudat in eius Epicedio, quòd Callimachi,

Lycophro

Lycophronis, Sophronis, & Corinnæ, versus obscurissimos intelligeret, sic enim canit.

———*Tu pandere doctus*
Carmina Battiadæ, tenebrásq; Lycophronis atri,
Sophronáque implicitum, tenuísque arcana Corinnæ.

Sed & Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Strom.* Εὐφορίων γὰρ ὁ ποιητὴς, inquit, καὶ ἡ Καλλιμάχου Ἶβις, καὶ τὰ αἴτια, καὶ ἡ Λυκόφρων & Ἀλεξάνδρα, καὶ τὰ ταύτοις ὁμοπλήσια γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν γραμματικοῖς ἔκκειται ἅπασιν. *Euphorion enim Poëta & Callimachi Ibis & causæ & Lycophronis Alexandra, & quæ sunt his similia sunt instar gymnasij proposita ad explicandum omnibus grammaticis.* Sic enim manuscriptus meus peruetustus Codex, cum in omnibus Editionibus desint hæc verba καὶ ἡ Καλλιμάχου Ἶβις, in eandem quoque sententiam fortè Spartianus intelligendus, vbi de Adriano ait, *Catacrianos libros obscurissimos Antimachum imitando scripsit.* In cuius loci explanatione, cum se multorum ingeniæ mirificè torserint, Ianus Parrhasius Epistola ad Adrianum Cardinalem existimat Adrianum Imperatorem in Cœlium Aëtianum tutorem olim Præfectúmque suum, cui successorem dedit, quémque mox hostis habuit loco, diras effudisse æmulatione Callimachi, ideóque rescribendum κατ' Αἰτια ἓ *libros obscurissimos Callimachum imitando scripsit.* Atque vtinam libellus ille Callimachi saluus ad nos enatasset; equidem quid ab eo noster in suum peculium transtulisset, animaduerteremus. Eum enim mea sententia Naso magna ex parte Latinis

tinis verſibus expreſſit, quemadmodum Catullus poëmation de coma Berenices. Verùm demerſus eſt naufragio Ætiorum, Hecales, & aliorum Opuſculorum, quæ ſcripſiſſe quam plurima Athenæus & Suidas prodiderunt. Ætiorum autem poëmation, quo ſacrorum ritus & cauſas complexus eſt Callimachus, σκοτεινὸν fuiſſe Clemens Alexandrinus modò laudatus aliíque teſtantur. In eo verò Callimachus hiſtorias ab omni cognitione remotiſſimas ſcripturus, finxit ſomniaſſe aliquando ſe Muſarum cœtui interueniſſe, quas cum de rebus antiquiſſimis & obſcuriſſimis interrogaret, accepiſſe ab iis ea quæ poſtea memoriæ tradidit, vt oſtendit quoddam in eum Epigramma cuius initium ὦ μέγα Βαττιάδα τὸ φῶς περίπυστον ὄνειρα: vnde Propertius librum illum *Callimachi ſomnia* vocat *Eleg.vlt.lib.2.* cum ait:

Tu ſatius muſis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati ſomnia Callimachi.

Eiúſque meminit Martialis his verſibus ad Mamurram, cum ſuadet non alium librum quærere quam Ætia Callimachi, ſiquidem obſcuris delectatur.

Sed non vis Mamurra tuos cognoſcere mores,
Nec te ſcire, legas Ætia Callimachi.

Ipſéque Ouidius ad hoc alluſiſſe videtur, vbi ſic

Tempora cum cauſis Latium digeſta per annum,
Lapſáque ſub terras, ortáque ſigna canam.

Κίτια quippe, id eſt, *cauſæ*, eodem penè argumento, quo Faſti Ouidiani, conſtabant. Callimachus

machus autem & ipſum imitatus Ouidius, ideo mihi videntur obſcuritatem affectaſſe, quod ipſorum vota & imprecationes inſtar eſſent oraculorum, quæ ænigmaticè efferebantur, vnde Clemens Alexandrinus libro laudato: Ὁ καθαρῷ γὰρ καθαρῶς στράπτεσθαι θεμιτὸν ἐστὶ συνεδόκοι καὶ Πλάτονι: ἐντεῦθεν αἱ προφητεῖαι, οἵτε χρησμοὶ λέγονται δ' αἰνιγμάτων. Nec aliam ob cauſam Lycophron obſcurus fuit in Caſſandrâ.

VERS. 58. *Non ſoleam quamuis hoc genus ipſe ſequi.* Alia Ouidiani ingenij monumenta cuiuis adeo plana & perſpicua ſunt, vt Alanus ille Doctor vniuerſalis ob multiplicem doctrinam à Germanis appellatus, *Anticlaudiani, lib.* 1. dicere non dubitarit:

Inſtruit vt Seneca, blanditur vt Appius, vrget
Vt Cato, ſuccendit vt Curio, velat vt alter
Perſius, vt Craſſus ſimulans, vt Iulius alter
Diſſimulans, vt Soldius implicat, explicat idem
Vt Naſo, vernat vt Statius——

Quo tamen loco dele *Soldius*, pro quo repone *Sollius*, per quem Sollius Sidonius Apollinaris intelligendus.

Hæc tibi natali facito Ianique Calendis
Non mentituro quilibet ore legat.
Di Maris & terræ, quique his meliora tenetis
Inter diuerſos cum Ioue regna polos.
Huc precor, huc veſtras omnes aduertite mentes,
Et ſinite optatis pondus ineſſe meis.

Ipſaque tu tellus, ipſum cum fluctibus æquor,
Ipſe meas Æther accipe ſumme preces.
Sideráque, & radiis circumdata Solis imago,
Lunáque, quæ nunquam quo prius ore micas.
Nóxque tenebrarum ſpecie reuerenda tuarum,
Quæque ratum triplici pollice netis opus.
Quique per infernas horrendo murmure valles
Imperiurate laberis amnis aquæ.
Quáſque ferunt torto vittatis angue capillis,
Carceris obſcuras ante ſedere fores.
Vos quoque plebs ſuperûm Fauni, Satyríque Laréſque
Flumináque & Nymphæ Semideúmque genus.
Denique ab antiquo Diui veteréſque nouíque,
In noſtrum cuncti tempus adeſte Chao.
Carmina dum capiti malefido dira canuntur,
Et peragunt partes ira dolórque ſuas.
Annuite optatis omnes ex ordine noſtris:
Et pars ſit voti nulla caduca mei.

COMMENTARIVS.

Aliqua de die Natali & Calendis Ianuarij. Accipere preces. Æther summus. Imago Solis. Imperiurare. Cur iuraretur per Stygem. Vappæ Deorum. Semones. Dij Selecti. Dij noui. Virgilius explicatus. Vota caduca.

ERS.65. HÆC *tibi natali facito, Ianique Kalendis.* Priusquam Naso eos inuocandos sibi conciliet, Ibin monet vt atali suo Kalendisque Ianuariis has diras quouis legendas, sibique pro faustis precatiobus recitandas curet, quo scilicet iis diebus onunciatæ certiorem perniciem portendant. eteres enim quidquid ominis mali diebus is auditum fuisset, dirum nescio quod exium minari credebant; contra dies illos, si hil infausti contigisset; faustos censebant. atalem enim quisque suum præcipua quam religione ac lætitia priuatim prosequetur. Cuius antiquissimæ consuetudinis, etiam entio Geneseos *c.4.com.49.* Ideóque moris itim fuit, vt amicis eo die munera missitarentur, de iocus Martialis in Clytum. *Epig.64.lib.8.*

Vt poscas Clyte munus, exigásque,
Vno nascaris octies in anno

Qui ductus videtur ex his Ouidij meretricum morem notantis.

Quid, quasi natali cum poscit munera libo;
Et quoties opus est nascitur illa sibi?

Kalendas autem Ianuarias lætis precationibus inuicem faustas ominabantur, teste Plinio, *lib.* 28. *cap.* 2. & Ouidio ipso *lib.* 1. *Fastor.* cum ait

At cur lata tuis dicuntur verba Kalendis;
Et damus alternas accipimúsque preces?

Quod iterum significat *lib.* 4. *de Ponto*, *Eleg* 4. Eiúsque moris meminit Lucianus in eo libro qui ψευδολογιστὴς inscribitur, & Herodianus *lib.* 1. Hinc ortæ superstitiones multæ. Quamobrem extat in sermonibus Ambrosianis, & apud S. Augustinum, Ioannem Chrysostomum, Maximum Taurinensem, Petrum Chrysologum, & alios acerba eorum increpatio, qui cum Gentilibus Kalendas celebrabant. Ac planè Synodi Taurinensis secundæ *cap.* 23. Kalendarum Ianuarij cultus nominatim prohibitus est, vt & Synodo Antisiodorensi, *cap.* 1. quo præsertim vetitæ sunt Strenæ, quarum vsus iam inde à Tatio Rege, qui primùm Romuli hostis, deinde collega in Regno Romano fuit, originem ducens, cum verbenas felicis arboris ex Luco Streniæ anni noui auspices primus accepit.

VERS. 72. *Ipse meas Æther accipe summe preces.* Ex formula veteri, qua preces suas accipi rogabant, vt apud Virgilium *lib.* 4. *Æneidos.*

Accipite

Accipite hæc meritúmq; malis aduertite numen.

Valerium Catonem diris:

Littora quæ dulces auras diffunditis agris
Accipite has voces ————

Apud Ouidium ipsum passim. Neque verò temere dixit *Æther summe*; Tullius enim *lib.2. de natura Deorum*, ex Euripidis sententia Æthera summum Deum appellandum esse prodidit in his

Vides sublime fusum immoderatum Æthera,
Qui tenero terram circumuectu amplectitur;
Hunc summum habeto Diuum, hunc perhibeto Æthera.

Hinc Virgilius *lib.2. Georg.* non solum patrem, sed etiam omnipotentem vocat, quo nomine nullum neque elementum, neque mundi partem, neque Deum præter vnum Iouem appellitarunt.

Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus Æther.

Et verò Iupiter & Æther iidem crediti.

VERS.73. *Sideráque & radiis circumdata Solis imago.* Sic Atridis imprecatus Ajax apud Sophoclem conuertit sermonem ad Solem: Σὺ δ' τὴν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν ἥλιε. Et Prometheus apud Æschylum: Καὶ τὴν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ. Sic Dido imprecata Æneæ.

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Túque harum, &c.

Cæterum *imaginem Solis* dixit, vt Virgil. *lib.8.* Æneidos *imaginem Lunæ.*

Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ.

De qua locutione peracute suo more Iulius Scaliger vir summus his verbis ; *An Poëta sciebat hoc à Philosophis disputari , lumenne res sit quædam suapte natura existens : id quod est veluti color in herba viridis , an imago quædam corporis lucentis ? qualitas est viriditas in speculo , ex vero herbæ colore manans, idcirco Lunæ imaginem lumen ipsum intellexit , vt sit , lumen in laquearibus esse Lunæ imaginem exceptam atque repercussam. Libet inquam Poëtam suprà triuialia ingenia interpretari, nusquam enim Musa illius mortale quicquam sonat.* Ex his vero Scaligerianis patet, quàm verè scripserit Politianus *in Miscellaneis, cap.4.* ei qui Poëtarum interpretationem suscipit, non prospiciendas Philosophorum modo familias, sed Iurisconsultorum, item & Dialecticorum, & quicunque doctrinæ illam orbem faciunt, quæ vocamus Encyclia.

Vers.74. *Lunáque , quæ nunquam quo prius ore micas.* Quia modo curuata in cornua, modo æqua portione diuisa, modo sinuata in orbem, maculosa, eadémque subito prænitens, immensa orbe pleno , ac repentè nulla , aliàs pernox, aliàs sera, & parte diei Solis lucem adiuuans, vt eleganter loquitur Plinius *lib.2. Histor. naturalis, cap.9.*

Vers.77. *Quique per infernas horrendo murmure valles, imperiuratæ laberis amnis aquæ.* Horrendum Stygi murmur tribuit , quam *lib.4. Metamorph.* sibi contrarius , inertem vocat in his.

Est via declinis funestà nubila taxo,

Ducit

Ducit ad infernas per muta silentia sedes:
Styx nebulas exhalat iners ——

Alij tacitam & stupentem dicunt; siquidem altum apud inferos silentium. Certè huic loco Nasonis consentanea scripsit Hermesianax Colophonius in Elegiacis apud Athenæum *lib.*13. *cap.*7. his versibus:

Αἰδόθεν ἔπλευσε δ᾽, κακὸν καὶ ἀπειθέα χῶρον
Ἐνθὰ χάρων, ἀκοὴν, ἕλκεται εἰς ἄκατον.
Ψύχας οἰχομένων, λίμνη δ᾽ ἐπὶ μακρὸν ἀΰτει
Ρεῦμα δ᾽ ἐκ μεγάλων ῥυομένη δονάκων.

Ex inferis cum ad dirum & inexorabilem
cœtum nauigauit
Vbi Charon, vt fama est, in cymbam trahit
Animas defunctorum & procul sonat paludis
Vnda per densas illisa arundines

Verbum autem *imperiuratæ* pro eo quod est periurio non violatæ, nescio an alibi reperias. Notum ex Hesiodo quâ pœna afficerentur Dij ipsi qui datam per Styga fidem fregissent: cuius quidem Sacramenti rationem fabulosam reddit Apollodorus *lib.*1. Theologicam Aristoteles ex quorumdam opinione, *Metaph. lib.*1. *cap.*3. vbi Thaletis de aqua sententiam excutit: ἐκεανόν τε γὰρ, καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας καὶ τὸν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ τὴν καλουμένην ὑπ᾽ αὐτῶν Στύγα ποιητῶν τιμιώτατόν ἐστιν: *Oceanum & Tethyn generationis parentes fecerunt. Iusiurandum quoque Deorum aquam esse Stygem ab ipsis Poëtis appellatam. Honorabilissimum enim quod antiquissimum est, iusiurandum autem honorabilissimum est.*

VERS.81. *Vos quoque plebs Superûm.* Hi sunt

minorum gentium Dij, quos Plautus Ciſtellaria *Minutos & Patellarios* appellat, & facetè Poëta Ityphallicus, ſiue eſt Virgilius, ſiue Ouidius *Vappas & puſilla numina* in his

Iſtuc cœlitibus datur ſeueris.
Nos Vappæ ſumus, & puſilla culti
Ruris numina

Quod genus Dij *Semones* vocabantur, cum nec cœlo digni putarentur, ob meriti videlicet paupertatem, ſicuti Priapus, Hippona, Vertumnus; nec terreni quoque deputarentur propter gratiæ venerationem, vt loquitur Fulgentius ad Chalcidium, ita vero dicti quaſi *Semihemones*, id eſt, *Semihomines*, veteres enim hemones dicebant. Eoſdem etiam *Dæmones* Græci, *Medioximos* Latini vocabant, libentius autem *Genios*; qui quidem omnes minus lucidæ ſplendidæque naturæ, quam illi cœleſtes ſunt, inquit Martianus Capella *lib.* 2. Nec tamen ita ſunt corpulenti, vt hominum capiantur obtutu. Horum autem ſingulos vnicuique eorum ſuperiorum deſeruire creditum eſt, vt ibi quoque Martianus obſeruat. Vnde Apulejus *lib. de dogmate Platonis, Dæmones quos Genios & Lares poſſumus nuncupare miniſtros Deorum arbitrantur, cuſtodéſque hominum & interpretes, ſi quid à Deis velint.* Summates vero ac maiorum gentium Dij propriè *Selecti* dicebantur, de quibus fusè & eleganter S. Auguſtinus *lib.* 7. *de Ciuitate Dei, cap.* 1. 2. 3. *&* 4. vbi iocus ille Tertulliani refertur: *Si Dei ſeliguntur vt bulbi, vtique cæteri improbi iudicantur.*

VERS.

VERS. 83. *Denique ab antiquo Diui veteréſque nouíque, In noſtrum cuncti tempus adeſte Chao.* Ex ritu Pontificio, poſt inſigniorum Deorum nomina, reliqui Dij generatim inuocabantur, vt notat Seruius *initio Georg.* his verbis: *Poſt ſpecialem inuocationem tranſit ad generalitatem, ne quod numen prætereat more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus ſacris poſt ſpeciales Deos, quos ad ipſum ſacrum quod fiebat neceſſe erat inuocari, generaliter omnia numina inuocabantur.*

Diui veteréſque nouíque. Veteres eos intelligit qui Diui ſemper habiti ſunt, cuiuſmodi qui *Conſentes* & *Selecti* vocantur, duodecim nimirum, ſex mares, totidem feminæ. Nouos qui per ἀποθέωσιν facti ſunt ex hominum genere conſecrati; quos Indigetes appellabant. Vtroſque ſic definit Cicero *lib. 2. de legibus: Diuos & ollos qui cœleſtes ſemper habiti colunto, & ollos quos endo cœlo merita vocauerint, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.* Nam vt idem ſcribit *lib. 2. de naturâ Deorum, Suſcipit vita hominum & conſuetudo communis vt beneficiis excellentes viros, in cœlum famâ tollerent. Hinc Hercules, Caſtor, & Pollux, hinc Æſculapius, hinc & Liber*; nec abſimiliter Horatius *lib. 3. Carm. Od. 3.*

Hac arte Pollux, hac vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas.

Et hi quidem ſæpè nomen mutabant, vt ait Lactantius. Enim vero iam inde vſque ab Homero opinio fuit aliis res vocabulis apud Deos eſſe, aliis apud homines. Sic Romulus poſtea-

quam in Deorum numerum relatus est, Quirinus vocatus est; Ino, mater Matuta; Palæmon, Vertumnus; Herſilia, Ora. Alio ſenſu Dij noui dicuntur apud eundem Ciceronem, *lib. modo laudato*, ij nempe quos in Lararijs ſuis aliqui priuatim conſecrabant, quique publicè non colebantur, nec à Sacerdotibus, & Senatu recepti erant.

Ab antiquo Chao. Sic prorſus legendum apud Virgilium, *lib. 4. Georg. hoc loco.*

Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martíſque dolos & dulcia furta;
Abque Chao denſos Diuûm numerabat amores.

Enimverò mendosè legitur in pleriſque tum antiquis tum recentioribus editionibus *atque Chao*, quod proinde Lacerda illas ſecutus perperam enarrauit, tametſi nullus ex ea lectione ſenſus elici poſſit; eſt enim ſententia Virgilij Clymenen crebros nmmeraſſe Diuorum amores ab ipſo Chao, id eſt, ab ipſa mundi origine.

VERS. 77. *Annuite optatis omnes ex ordine noſtris.* Dij ſcilicet in votis ordine vocandi erant. Hinc & Statius *lib. 1. Theb.*

Hanc vndante mero fundens vocat ordine cunctos
Cœlicolas Phœbum ante alios ——

Hæc autem locutio *ex ordine* Virgilio perfamiliaris eſt.

VERS. 88. *Et pars ſit voti nulla caduca mei.* Idem *lib. 1.* Faſt. *caducas preces* dixit in his.

—— *Nec lingua caducas*
Concipit vlla preces ——

Quem

Quemadmodum Tibullus *vota cadere*, *lib.*2. *Eleg.*2.

Vota cadunt, vtinam ſtrepitantibus aduolet alis

Et Propertius *lib.*1. *Eleg.*17.

——*Ingrato littore vota cadunt.*

Quaque precor fiant vt non mea dicta, ſed ille
Paſiphaës generi verba fuiſſe putet.
Quáſque ego tranſiero pœnas, patiatur & illas;
Plectius ingenio ſit miſer ille meo.
Neve minus noceant fictum execrantia nomen
Vota, minus magnos commoueántque Deos.
Illum ego deuoueo, quem mens intelligit Ibin,
Qui ſe ſcit factis hæc meruiſſe ſuis.

COMMENTARIVS.

Theſei diræ in Hippolytum. Noua expoſitio adducta. Nomen in deuotionibus requirebatur.

VERS.89. *QVÆQVE precor fiant vt non mea dicta, ſed ille Paſiphaës generi verba fuiſſe putet.* Theſei diras intelligit, quibus Hippolytum filium de Nouerca ſibi ſuſpectum deuouit. Author idem Naſo, *lib.*5. *Metamorph.*

Arguit

Arguit immeritúmque pater deiecit ab vrbe,
Hostilíque caput prece detestatur euntis.

Plutarchus Theseum Romulo conferens Ἡ δὲ Θησέως ὀργὴ μέχρι λόγου καὶ βλασφημίας καὶ κατάρας βρεσβυτικῆς προῆλθε. *Thesei indignatio ad verba vsque & conuicia & deuotiones aniles est progressa.* Quod etiam *Parall.cap.*34. commemorat,& eo antiquior Cicero *lib.*3.*de Offic. Quid quod Theseus exegit promissum à Neptuno, cui cum tres optiones Neptunus dedisset, optauit interitum Hippolyti filij sui, cum is patri suspectus esset de Nouerca?* Earum etiam meminerunt Euripides *in Hippolyto.* Pausanias *in Atticis* & *Corinthiacis.* Item Plato *Dialogo* 11. *de legibus*, quo loco parentes colendos esse monet, eorum enim detestationes à Diis exaudiri, neque quicquam filiis accidere perniciosius, exemplo dirarum Oedipi,Amyntoris,& Thesei in filios. Quamobrem Naso deuotiones suas in Ibin non minus ratas ac certas esse deprecatur,quàm Thesei Pasiphaës generi in Hippolytum. Quid si loco Thesei Glaucus Vates intelligatur, quasi Nasonis votum sit, vt Ibis has imprecationes, non tanquam Nasonis ipsius,sed Vatis alicuius ore prolatas, ideoque certissimas esse putet. Glaucus enim Pasiphaës gener dictus videretur,quod ipse cum Ariadna Pasiphaës filia rem habuerit, vt ex Euanthe prodidit Athenæus *lib.*7.*cap.*12.editionis à Casaubono recognitæ. Glaucum autem eximium Vatem fuisse testis est Aristoteles apud eundem Athenæum *loco citato.* Euripides in Oreste, vbi dicitur Νηρέως

προφήτης Γλαῦκος ἀψευδὴς θεός, *Glaucus Propheta Nerei verax Deus.* Et Pausanias *in Bœoticis, pag.* 289. editionis Basileensis.

VERS. 91. *Plenius ingenio sit miser ille meo.* Eodem sensu capio hunc versum Valerij Catonis *in Diris.*

VERS. 93. *Neve minus noceant.* Ouidius à Diis petit, vt diras suas non minus ratas ac firmas esse velint, quam si verum Ibidis nomen exprimerent. Etenim deuouendus vero nomine compellaretur, necesse erat; secus irritæ futilésque deuotiones habebantur. Quò Romani respiciebant, cum vrbem deuoueri, & numen in cuius tutela esset, euocari non posse crederent, quorum arcana & vera nomina ab hostibus imprecantibus ignorarentur; idcirco ne Deum suum tutelarem adeóque ipsius vrbis antiquum nomen Latinum cuiquam fas esset nuncupare, sanxerunt, vt author est Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. & *lib.* 28. *cap.* 2. Plutarchus *Probl. cap.* 61. Solinus *cap.* 2. Macrobius *lib* 3. *cap.* 9. Seruius *ad lib.* 1 *Æneid.* & obiter Festus *in Indigetes*, imo grauissimas ab iis pœnas repetebant qui illud patefeciissent. Cui propterea interdicto cum Valerius Soranus non paruisset, & arcana cærimoniarum enuntiasset, misero supplicio interfectus est: Quamobrem inter antiquissimas religiones sacellum colebatur Angeronæ, quæ Diua præsul silentij istius, prænexo, obsignatóque ore simulacrum habet. authore Solino *cap.* 1. & Sempronio, si tamen is est, *lib. de diuisione Italiæ.*

VERS.

VERS. 95. *Illum ego deuoueo. Illum* scilicet quasi iniecto digito & demonstrante ex cautione rituali, in sacris enim magicis omnia certa demonstratione aguntur, nę in rebus, aut personis error committatur, quod exitiosum esse solet. Existimant alioqui demonstrationibus tantam vim inesse, vt fata transeant in rem demonstrandam, etiamsi alteri destinata essent. Sic apud Vergilium in Pharmaceutria: *Limus vt hic duresçit, & hæc vt cera liquesçit.* Et paulò pòst: *Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit.* Deinde, *Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena*, omnia δεικτικῶς.

Nulla mora est in me, peragam rata vota Sacerdos,
Quisquis ades sacris ore fauete meis.
Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba,
Et fletu madidis Ibin adite genis.
Nominibúsque malis, pedibúsque occurrite lauis,
Et nigræ vestes corpora vestra tegant.

COMMENTARIVS.

Ore fauere quid. Quædam sacra fuisse quæ maledictis peragerentur. Ouidius eleganter emendatus. Multa scitu digna super bonis & malis nominibus. Albi coloris vsum in sacrificiis antiquissimum esse.

VERS. 98. *QVISQVIS ades, sacris ore fauete meis.* Vtitur hac formula contra Senecæ mentem, qui receptam à plerisque interpretationem explodit his verbis: *Et ipsam & Deos professores eius & Antistites colite; & quando mentio sacrarum literarum interuenerit, fauete linguis. Hoc verbum non vt plerique existimant à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt ritè peragi possit sacrum, nullâ mala voce obstrepente, quod multo magis necessarium est imperari vobis, vt si quid ex illo profertur Oraculo intenti & compressa voce audiatis.* Neque enim silentium imperatur ab Ouidio, qui mox subiicit *lugubria dicite verba.* Sic etiam *lib.* 15. *Metamorph.* iussi fauere linguis verba Sacerdotis geminata referunt, tantùm abest vt silentium præstare debeant. Multò minus vsurpat huiusmodi formulam ex sensu Pauli, qui in Epitome Festi Pompeij *fauentem* bonam

bonam ominationem interpretatur, & ita præcones clamantes populum sacrificiis fauere iussisse tradit, quod fauere sit, bona verba fari. Ouidius enim tum lugubria verba imperat, tum dirarum obnunciatione sacrum suum peragit. Quamobrem hæc formula nihil aliud significari voluit, quam vt ij qui aderant fauorem præstarent execrationibus suis, eásque votis fauentibus comprobarent, & præeuntem Sacerdotem verbis subsequerentur.

VERS. 99. *Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba.* Quædam apud veteres sacra erant quæ non *εὐφημία*, sed maledictis & imprecationibus peragebantur, quæque pro violatis habebantur, si quando inter solemnes ritus, vel imprudentia alicui excidisset bonum verbum, vt ex Lactantio discimus *lib.* 1. *diuin. Instit. cap.* 21. cuiusmodi erant illa Herculis sacra, quorum meminere Apollodorus, *lib.* 2. *Biblioth.* & Philostratus *in Icone Thiodamantis.*

VERS. 101. *Nominibúsque malis, pedibúsque occurrite læuis.* Ouidius huc multa congessit quæ veteribus ominosa fuisse constat: nimirum tristia verba, lacrymas, pedes læuos, atras vestes, ferales vittas: quorum nonnullis enumeratis non video cur adiecerit *ominibúsque malis*, statimque subiecerit *pedibúsque occurrite læuis*, cum hoc ipsum mali itidem ominis esset. Ideo quouis pignore certauerim legendum *nominibúsque malis* quomodo edendum curaui, quæ certè lectio non coniectura, sed res ipsa est. Enimverò magna semper antiquis religio

fuit,

fuit, vt bonis nominibus essent, qui victimas ducerent, vnde Naso contra, malis nominibus homines Ibidis sui sacrificio interesse cupit. De hac superstitione Cicero *lib. 1. de diuin. Itémque in lustranda Colonia ab eo qui eam deduceret & cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur; quod idem in delectu Consules obseruant vt primus miles fiat bono nomine.* Plinius *lib. 28. cap. 2. Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus.* Quæ vero Cicero *bona nomina*, Plinius *prospera* vocat, Suetonius in Caligula *fausta* dixit, vt & Tacitus *lib. 4. Histor.* his verbis: *Vndecimo Kalend. Iulias serenâ luce spatium omne quod templo dicabatur euinctum vittis, coronisque ingressi milites quibus fausta nomina, felicibus ramis.* Sic enim rectè Lipsius emendauit. Bona autem nomina erant, ex quibus aliquid boni ominis erui poterat, vt *Valerius, Saluius*, &c. mala è quibus mali, vt *Hostilius, Furius*, Festus, *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur emendus ominis boni gratia, vt delectu censuve primi nominantur Valerius, Saluius, Statorius.* Scilicet omina captabant ex nominibus, quod Plauti locus docet Persâ, vbi cum leno Dordalus nomen Virginis quæsisset, illa respondet quò vendibilior esset,

——— *Lucridi nomen in patria fuit:*
Subinde Toxilus
Nomen atque omen quantiuis est pretij, quin tu hanc emis.
Statímque leno

Si te emam
Mihi quoque Lucridem confido fore te

Pythagorei tria ponebant Fatum, Genium, Nomen, hæc omnia si conueniant optimè, aut pessimè nobiscum agi, sin minus euenta miscceri, animum, actiones pro cuiusque vi. Igitur hæc postrema duo mutanda censent, atque ita fortunam mutatum iri. Certè magno studio veteres conati sunt, vt insignia nomina liberis imponerentur. Hebræi enim, Græci ac veteres Arabes nunquam sine aliquo significatu, Romani verò non sine Deorum consensu nomina indebant, quippe semper factis sacris. Quin etiam priscis Francorum nominibus, aliquid inerat significatus. Idem est *Conrad* quod consulta audacia. *Fridericus* quòd pacis diues, *Guiscardus* quod versatile ingenium. *Carl* quoque vox est quâ fortes viri designabantur; id enim est *Carlman* quod *Andreas*, Latini Carolum fecere. Tantam autem vim esse in nominibus quidam crediderunt, vt quæ numeris eminerent, cæteris inferioribus longè præstantiora felicioráque esse putarent. Quamobrem ducibus singulari certamine congressis ex literis numerabilibus quæ in cuiusque nomine reperiebantur, omen captabant victoriæ. Hac ratione Hectorem Patroclo, Achillem Hectore superiorem extitisse memorant. Hectoris enim nomen numerum habet 1225. Patrocli 871. Achillis 1276. vt ex numerorum Græcorum ratione & singularum literarum supputatione patet, quemadmodum testatur Terentianus

Maurus.

Maurus. Et hac in re nugatoriæ sunt Rabbinorum sententiæ, quas multis sæculis intermortuas, maiorum nostrorum memoria reuocauit Rucelinus quidam natione Brito Petri Abailardi præceptor. Primus enim Sectam Nominalium contra Reales instituit, & nomi-num cognitione rerum quoque cognitionem contineri magna contentione defendit, sub annum 1140. ex quo grauia & cruenta inter studiosos Parisienses prælia sunt excitata. Qua de re Auentinus, *lib.6.*

VERS.102. *Et nigra vestes corpora vestra tegant.* Hinc colligere est piaculares homines qui Græcis καθάρματα, Latinis *sacri* dicuntur, inuerso ritu mactari solitos. Hîc enim pro bonis verbis, mala; pro lætitia, fletus; pro fausti ominibus, infausta; pro dextro occursu, læuus; pro albis vestibus, atræ poscuntur, qui color Diis inferis acceptissimus. Contrà, superis deabus gratissimus ex doctrina Platonis *lib.12. de legibus*, in his, χρώματα ἡ λευκὰ πρέπουσι θεοῖς ἄν, *Color albus præcipuè decorus Deo est.* Quæ quidem opinio non à Platone primùm, sed vllo alio mortalium temerè fuit excogitata, sed ab ipso Deo, primo mortalium Adamo, in reliquis sacrorum ritibus tradita videtur, quæque per Mosen populo suo declarata, vt patet ex sacratissimis Mosis monimentis, apud eum pluribus locis Leuitici, Sacerdos vestitis lineis indutus memoratur. Et verò inter Europæos, Asiaticos, & Afros, Americanorum etiam Sacerdotes sacra peracturi

candido veſtitu amicti leguntur, vt videatur hoc inſtitutum ab Adamo, quaſi per manuum traditiones in omnes orbis terrarum partes diſperſum & propagatum.

Tu quoque quid dubitas ferales ſumere vittas,
Iam ſtat vt ipſe vides funeris ara tui.
Pompa parata tibi eſt, votis mora triſtibus abſit,
Da iugulum cultris hoſtia dira meis.
Terra tibi fruges, amnis tibi deneget vndas,
Deneget afflatus ventus & aura ſuos.
Nec tibi Sol clarus, nec ſit tibi lucida Phœbe,
Deſtituant oculos ſidera clara tuos.
Nec ſe Vulcanus, nec ſe tibi præbeat aër,
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exul, inops erres, alienáque limina luſtres,
Exiguúmque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore
Nóxque die grauior ſit tibi, nocte dies.
Síſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis vlli,
Gaudeat aduerſis femina vírque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignúſque puteris,
Qui mala cum tuleris plurima, plura feras.
Sitque, quod eſt rarum, ſolito defecta fauore
Fortunæ facies inuidioſa tuæ.
Cauſáque non deſit, deſit tibi copia mortis,
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatúſque diu cruciatos ſpiritus artus
Deſerat, & longa torqueat ante mora.
Euenient; dedit ipſe mihi modo ſigna futuri
Phœbus;

Phœbus, & à læua mœsta volauit auis.
Certè ego quæ voueo superos motura putabo,
Spéque tuæ mortis pessime semper alar.
Finiet illa dies quæ te mihi subtrahet olim,
Finiet illa dies quæ mihi tarda venit.
Sed prius hanc animam nimium tibi sæpè petitam
Auferat illa dies quæ mihi sera venit.
Quam dolor hic vnquam spatio euanescere possit,
Leniat aut odium tempus & hora meum.
Pugnabunt iaculis dum Thraces, Iazyges arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit.
Robora dum montes, dum pabula mollia campi,
Dum Tiberis flauas Tuscus habebit aquas.
Bella geram tecum, nec mors mihi finiet iras,
Sæua sed in manes manibus arma dabo.
Tunc quoque cum fuero vacuas dilapsus in auras,
Exanimis manes oderit vmbra tuos.
Tunc quoque factorum veniam memor vmbra tuorum,
Insequar & vultus ossea forma tuos.

Commentarius.

Secespita. Dentire. μυλιᾶν. βαμβαλίζειν. *Miser nec miserabilis. Distichon è veteri Poëta nondum vulgato. Fortunæ vultus. Euenient. Iazyges. Tiberis cur flauus dictus. Flauus idem qui pulcer. Ossea forma.* εἴδωλον. φάντασμα. *Larua.* σκέλετον.

Vers. 106. *Da iugulum cultris.* Is culter cuius in sacrificiis vsus, propriè *Secespita* dicebatur authore Festo. Cæterum acuta omnia ferramenta generali vocabulo cultri vocabantur, & horum quidem duo genera, nam qui secant *secures*, qui planant *dolabra* sunt, vt ex his eiusdem Festi colligitur. *Scenam genus cultri fuisse manifestum est, sed vtrum securis an dolabra sit ambigitur.*

Vers. 107. *Terra tibi fruges.* Hinc orditur diras suas, quæ totæ in exiliis, suppliciis, mortibus, vt diximus in Prolegomenis. Ac primum quidem, Ibidi rebus omnibus interdicit, vt Romanorum morem superare videatur, quibus frequens pœna fuit, vt illis igni & aqua tantùm interdicerent, quibus commercium societatémque hominum vitare volebant, ne quis

quis eos vrbe, mensâ, tecto reciperet.

VERS.113. *Exul inops erres.* Non statim mortem Ibidi, sed vitam miseram imprecatur. Sic Dido Æneæ *lib.4. Æneid.*

Finibus extorris complexu auulsus Iuli
Auxilium imploret, &c.

Sic Medea Iasoni.

Viuat, per vrbes erret, ignotus, egens,
Exul, pauens, inuisus, incerti laris,
Me coniugem optet, limen alienum expetat.

Sic Eumenes militibus suis apud Iustinum, lib.14. *Has vobis diras, atque inferias dico vt inopes, extorrésque omne æuum in hoc castrensi exilio agatis.*

VERS.14. *Exiguúmque petas ore tremente cibum.* Ore nimirum tremente, cum fame, tum frigore, quod innominatus auctor in Catalectis dixit *faméque genuini crepant.* Plautus *dentire* Milite. Græci μυλιᾷν dicunt, vt Hesiodus λυχρὸν μυλιόωντες. Item βαμβάλειν, & βαμβαλίζειν, quod Hesychius sic exponit, τρέμει, τὺς ὀδόντας συγκρόυει, ἀγᾷ σφόδρα Et fusius Eustathius in Homerum pag.812. Cæterum eadem est imprecatio Martialis in maledicum, *lib.10. Epig.5.*

Pontes per vrbis erret exul & cliuos,
Intérque raucos vltimus rogatores,
Oret caninas panis improbi buccas.

VERS.117. *Sísque miser semper, nec sis miserabilis vlli.* Elegans locutio, quam Valerius exemplis aliquot ex S.Hieronymo & Sidonio Apollinari petitis illustrauit; Addo ego Alcimum auitum, *Euang. prodig. lib.3.*

Iámque miser factus nondum miserabilis ille est. Et Ioannem Saresberiensem Polycrat. lib. 1. cap. 5. *Qui in miseram, etsi non miserabilem incidunt egestatem, miseri & miserabiles.* Item veterem Poëtam qui nescio quo fato in manus meas incidit, laniatus corpore toto:

Sed miser, & nulli miserabilis omnibus erres,
Quæ te summouerant ocius inde plagis.

Quis ille sit nondum mihi compertum est; Verùm natiuus in eo quidam Latini sermonis lepos non ascitus, & iam medio æuo desitus, quo non parum eloquentia Latiaris inclinata erat, ostendit paulo vetustiorem esse.

VERS. 121. *Sítque quod est rarum.* Sensus est fortunæ tuæ facies etsi miserrimæ inuidiosa sit, atque omni fauore destituta, quod est rarum, & præter hominum morem. Nam, vt ait Quintilianus, nescio quomodo omnis pro laborante fauor est. *Fortunæ facies*, vt *fortunæ vultus* Epistola Dejaniræ.

Non venit incultis captarum more capillis,
Fortunæ vultum fassa legendo tuum.

Et *Eleg. 1. lib. Trist.*

His mando dicas inter mutata referri.
Fortunæ vultum corpora posse meæ.

Latinus Pacatus, *Procedamus in publicum, non nostræ fortunæ vultu.*

VERS. 123. *Causáque non desit, desit tibi copia mortis.* Iuxta Sophocleum illud in Electrâ.

Οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
Χρήζων τις, εἶτα μηδὲ τοῦτ' ὀφλῇ λαβεῖν

Nam neque mors ipsa maximè fugienda est.

Sed

Sed hoc si cupienti mori copia mortis non sit.

Et autem similima Æsonis imprecatio apud Valerium Flaccum *lib.* 1. *Argonaut.*

——*Mors sera viam tentatáque claudat*
Effugia, & nostras nequeat præuertere diras.

Hinc Suetonius de Tiberio, cap. 6. *Mori volentibus vis adhibita viuendi, nam mortem leue supplicium putabat, & precanti cuidam pœnæ maturitatem respondit, nondum tecum in gratiam redij.*

VERS. 127. *Euenient dedit ipse mihi.* Idem versu 415.

Hæc tibi quæ precibus iustis mea deuouet ira
Euenient.

et *lib.* 2. *de Ponto, Eleg.* 1.

Quod precor eueniet sunt quædam oracula vatum,
Nam Deus optanti prospera signa dedit.

hæc enim verba deuotio soluebatur, vt testis et vetus Interpres Horatij ad illa carminis ecularis verba, *Hæc Iouem sentire*, cum ait. rdo est; *Ego chorus nos pueri puellaque, doctus ere laudes Phœbi & Dianæ reporto domum spem nam certámque Iouem & Deos cunctos hæc scire, c velle, hæc sentire, Hic enim finis sacri carmi- & in hæc verba deuotio soluebatur, quando dicet chorus, Iouem preces & vota exaudiuisse, & eros Deos, atque spe certa domum reuerti.* Quæ rmula frequens est apud Poëtas.

VERS. 137. *Iazyges arcu.* In quibusdam libris *ides* legitur iisque Domitius vsus est. In aliis *yges*, quos quidem iaculatores esse testatur ucydides *lib.* 7. *de Bello Peloponn. pag.* 507.

edit. Stephaneæ, sed eos sagittandi arte nobiles fuisse non lego: Quamobrem proba est Egnatij correctio *Iazyges* eáque membranis San-victorianis confirmatur. Hi Scythiæ populi sunt hodie *Iaz*, vt Vuernherus existimat, quorum non semel Ouidius meminit tum *lib.1. de Ponto*, *Eleg.3.* item *lib.4.* M.Anton. Muretus oratione 18. pro Sigismundo Rege Poloniæ ad Pium V. putat esse partim Valachos, partim Hungaros. Polonicis autem Scriptoribus Iazyges populi sunt Lituanis contermini, inter Poloniam & Russiam siti, quod si ita est, longè distant à Valachis & Hungaris. Scythæ omnes præ cæteris sagittandi peritiâ claruerunt, vt videre est apud Xenophontem *lib.3. expedit. Cyri*, Plinium *lib.16. cap.16.* Curtium *lib.7.* & alios. Imo Scythicos arcus peculiares fuisse prodidit Ammianus Marcellinus his verbis ex lib.20. *Quum arcus omnium gentium flexis curuentur hastilibus, Scythici soli, vel Parthici circunductis vtrinque introrsus, pandis & patulis cornibus effigiem Lunæ decrescentis ostendunt, medietatem recta & rotunda medietate diuidente.*

VERS.140. *Dum Tiberis flauas Tuscus habebit aquas.* Tuscus propterea, quòd in vetustissima Tuscorum sede ortum habuit. Hinc & Virgilius *lib.1. Georg.*

Tu Romule Vestáque mater,
Quæ Tuscum Tiberim & Romana palatia seruas.

Flauas autem, vt & *lib.5. Trist. Eleg.1. Quot flauas Tibris arenas.* Quomodo etiam dicitur ab Horatio *lib.1. Ode 3.* item à Virgilio *lib.9. Æneid.*

Æneid. Verum cum Tiberim constet albican-
es habere aquas ex eóque Albulam olim vo-
atum, non indignum esse quæsitu putauit
Adr. Turnebus *Aduersar. lib. 22. cap. 7.* cur flauus
ppelletur, in quo non tam attendendam vo-
abuli vim quosdam ait censere, quam trans-
umptionem existimandam: cum enim homi-
es flaui pulcri videantur, ex eo dicunt factum
se vt flauus *pulcrum* significet. Qua notione
atullus, *Flauus quam molli præcurrit flumine*
Mella. Sed & Hesichius ξανθὸν, *flauum* & *pul-*
um interpretatur: verius tamen existimat ob
enam ita vocari, vt apud Maronem, *& multâ*
uus arenâ. Tiberis certè naturali suo colore
ous; vulgari omnium Epitheto cæruleus,
opter terram quam radit flauus, & leni plu-
turbidus est, vt scitè dixit Georgius Fabri-
s Romæ suæ *cap. 6.*

VERS. 143. *Tunc quoque cum fuero vacuas di-*
sus in auras. Ex eorum sententia quam Plato
Phædone sub persona Cebetis ad Socratem
strinxit, quo loco multos in errore versari
it, vt credant animam ita ab hominibus
ari, vt tanquam fumus dilabatur, εὐθὺς ἀπαλ-
ομένη τοῦ σώματος, inquit, ὥσπερ πνεῦμα ἢ καπνὸς
εδασθεῖσα οἴχεται διαπτομένη. *Statim è corpore*
ta spiritus, aut fumi instar dissipata abit
ans.

VERS. 145. *Tunc quoque factorum veniam me-*
vmbra tuorum. Credebant nimirum vltio-
vitæ superesse; quamobrem Dido apud
gilium *lib. 4. Æneidos.*

Et

Et cum frigida mors animâ seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Horatius *Epod.* 5.

Quin ubi perire iussus expirauero,
Nocturnus occurram furor;
Petámque vultus umbra curuis unguibus,
Quæ vis Deorum est Manium.

Neque verò tantum apud Poëtas, sed etiam apud alios Scriptores huiusmodi minæ sunt frequentes: Seneca enim 3. controu. *Dij manes Popilij senis occisi & inultæ patris umbræ te persequuntur.* Et Quintilianus declam. 314. *Sunt illæ vero quæ extremo miseri spiritu dicebantur. Dabis mihi scelerate pœnas, persequar quandoque & occurram.* Sic Cleonices imaginem Pausaniam occisorem terroribus assiduis perturbasse tradit Plutarchus *lib. de sera numinis vindicta.* Sic Virginiæ manes per domos ad petendas pœnas vagatos scribit Liuius *lib.* 3. *Dec.* 1. Sic Nero visus est exagitari maternâ specie, vt Suetonius prodidit. Parco aliorum exemplis, quin etiam Plato *Dial.* 9. *de legib.* ait interfectum vi hominem statim post mortem irasci, ac propter violentam mortem turbatione plenum, maximè si occisor præsens fuerit ipsum terrere atque turbare. Certè sanguinem qui in homine occiso refrixit, planéque fluere desiit, si intrà aliquot horas interfector accedat è vulneribus dimanare frequenti experientia comprobatum est.

VERS. 146. *Insequar & vultus ossea forma tuos.*

tuos. Ossea forma quemadmodum apud Virgil. lib. 3. Æneid. *Caua sub imagine formæ*, quod Homero εἴδωλον, Euripidi φάντασμα dicitur, Caio Mattio apud Gellium *specici simulacrum.* n aliquibus exemplaribus scriptum reperi *Ossea larua*, quomodo legisse videtur Hieronymus Angerianus, vt patet ex his Erotægnij sui.

Si non legitimæ complerim tempora vitæ,
Errabo ante oculos ossea larua tuos.

otum enim Ouidij locum paucis immutatis pressit his versibus.

Quidquid ero moriens, tecum crudelia, tecum
Bella geram, & flagris flebis inusta meis.
Si nihil euadam nihil hoc torquebere, crede,
Crede mihi, vultus persequar vsque tuos.
Conabor Stygiis exire paludibus, etsi
Parca negat, rumpet Tartara læsus amor.

ruæ enim sunt noctium occursacula, siue storum formidamina, & sepulchrorum terriamenta, vt Apuleius loquitur, vnde Laruati hore Festo dicuntur furiosi & mente moti si Laruis exterriti. Glossæ Stephani Laruam εἶδον interpretantur.

iue ego, quod nollem, longis consumptus ab annis,
Siue manu parta morte solutus ero.
iue per immensas iactabor naufragus vndas,
Nostráque longinquus viscera piscis edet. 150

Siue

Siue peregrinæ carpent mea membra volucres,
Inque meo tingent sanguine rostra lupi.
Siue aliquis dignatus erit supponere terræ,
Aut dare plebeio corpus inane rogo.
Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidas vltor in ora manus.
Me vigilans cernes, tacitis ego noctis in vmbris
Excutiam somnos visus adesse tuos.
Denique quidquid ages, ante os oculósque volabo,
Et querar, & nulla sede quietus eris.
Verbera saua dabunt sonitum, nexæque colubris
Conscia fumabunt semper ad ora faces
His viuus furiis agitabere, mortuus iisdem,
Et breuior pœna vita futura tua est.

Commentarius.

Mortis duo genera. Ouidius emendatus. De vulturibus nonnulla. Locus ex Metamorph. illustratus. Ὀιωνὸς. *Ouidius iterum emendatus. Varij funerationis ritus, Infelix rogus, corpus inane. Ciceronis locus ab emendatione Lipsij defensus & explicatus. Ouidium Tomis collata è publico pecunia sepultum esse.*

Vers. 147. *IVE ego, quod nollem.* Mortis duo sunt genera naturalis scilicet

licet & violentæ : Ariſtoteles, περὶ ἀνατνοῆς. Θάνατος δ' ἐστὶν, ὁ μὲν βίαιος, ὁ μὲν κατὰ φύσιν : βίαιος μὲν ὅθεν ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν ᾖ, κατὰ φύσιν δὲ ὅταν ἐν αὐτῷ. Et illam quidem Demoſthenes Orat. περὶ στεφάνου. τὴν τῆς εἱμαρμένης καὶ αὐτόματον θάνατον. Violentam Sophocles Electrâ, τὴν ἐξ ἀναγκαίας τύχης. Vtrumque genus tangit Ouidius hoc diſticho; naturalis cum ait, *Siue ego, quod nollem, longis conſumptus ab annis*, violentæ cum ſubiicit, *ſiue manu parta morte* : nimirum fuit cum ſibi violentas manus afferre voluerit, vt ipſe teſtatur *lib.1.de Ponto, Eleg.7.ad Gracinum.*

Me quoque conantem gladio finire labores
Arcuit (ſpes) *iniecta continuitque manu*
Quidque facis, lacrymis opus eſt, non ſanguine, dixit:
Sæpè per has flecti Principis ira ſolet.

dque ex ciuili prudentia, quâ tædio vitæ ſibi ortem conſciſcere fas erat, vt ex his Vlpiani rbis colligere eſt in l.ſi quis filio, §.eius qui, de iniuſto rup. *Quod ſi quis tædio vitæ, vel letudinis aduerſæ impatientia, vel iactatio-, vt quidam Philoſophi mortem ſibi conſciue-t, in ea cauſa ſunt vt teſtamenta eorum valeant.*

VERS.148. *Siue manu parta morte ſolutus ero.* verſus in omnibus editionibus ita legeba- *ſiue manu facta morte.* Sed quamuis huiuſ- i locutionem *facere mortem* apud Columel- *ib.2. cap.2.* & apud Senecam *alicubi*, vt & *cædem* apud Cornelium Nepotem *in Thra-* memini me obſeruare, elegantior tamen viſa eſt ea lectio, quam ex veteri membranâ

branâ excudendam curaui *parta morte*, quomodo Virgilius *lib.6. Æneid.* locutus est.

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucémque perosi
Proiecere animas

Et Ceiri.

Aut mihi præsenti peperissem vulnere lethum.

VERS.151. *Siue peregrinæ carpent mea membra volucres.* Intellige vultures, quos ex aduerso orbe aduolare plerique crediderunt Plinius lib.10.cap.6. *Vulturum præualent nigri; nidos nemo attigit, ideo etiam fuere qui putarent illos ex aduerso orbe aduolare, falsò, nidificant enim in excelsissimis rupibus*, Plutarchus *quæst. Roman. cap.93.* quærens cur Romani ad auspicia maximè vulturibus vsi, ἢ ὅτι τῶν ὀρνίθων ἥκιστα συνεχὴς καὶ σύνηθης ὁρᾶσθαι, καὶ δὲ τὸ νεοττία γυπὸς ὀπτυχεῖν ῥᾴδιόν ἐστιν, ἀλλὰ πόρρωθεν πόθεν ἐξαπίνης καταίρει, διὰ καὶ σημειώδης ἡ ὄψις αὐτῶν ἐστίν. *An quia auium omnium minimè ista frequenter conspici solet, non enim facilè in pullos vulturis incideris, sed ex remotis locis alicunde subito aduolant, vnde sequitur eorum conspectu aliquid portendi.* Antigonus in congerie θαυμαστῶν ἱστοριῶν, neque vulturis pullum, neque nidum cuiquam visum esse tradit. Quapropter Herodotus Brysonis Sophistæ pater, existimat eos ab editiori aëris regione delabi, & in eminentissimis rupibus atque inaccessis incubare. Ideo Phyllius Cycnum Apollinis & Hyries filium deperiens, primùm leonem sine ferro conficere, tum duos vultures viuos capere, deinde taurum manibus ad Iouis aram pertrahere,

ahere, præmij longè ampliſſimi loco iuſſus
ſt, vt ex Nicandro Anton. Liberalis *in Meta-*
orph. ſcriptum reliquit, vnde *Naſo 7. Meta-*
orph. illuſtratur cum ait

Inde lacus Hyries videt, & Cycneia Tempe
Quæ ſubitus celebrauit Olor, nam Phyllius illic
Imperio pueri volucréſque ferúmque leonem
Tradiderat domitor, taurum quoque vincere iuſſus
Vicerat.

ic enim *Volucres* intelligi debent vultures, vt
oc loco noſtro. Quod imitatione ſermonis
ræci dictum eſt. Cum enim οἰωνὸς de omni-
s auibus dicatur, propriè de vulturibus in-
dum vſurpatur, vt annotauit Tzetzes in
eſiodum; Οἰωνοὶ κυρίως οἱ γῦπες, ὡς οἰωνοὶ ἤτοι
οι δίχα συνουσίας ὠὰ ὑπήνεμα γεννῶντες. Sed &
ud Ægyptios, vultur hominis peregrini
nbolon fuit. Hoc autem genus aues Varro
3. *de re ruſtica, cap.* 5. aduenas appellat, qui-
s *vernaculas* opponit.

VERS. 161. *Siue aliquis dignatus erit ſuppo-*
terræ, Aut dare plebeio corpus inane rogo. In
nibus editionibus legebatur. *Et dare plebeio.*
æ quidem lectio faciebat, vt videretur
ον πρότερον, quemadmodum *lib. 7. Metam.*
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.
n prius corpora cremabantur, inde cineres
a condebantur. Verùm, quia Naſo dixit *cor-*
inane, certum eſt hunc locum de cinerum
natione accipi non debere. Quamobrem
eris Codicis fidem ſecutus edendum cura-
Aut dare plebeio. Poſteaquam enim tria

mortis genera tribus versibus enumerauit,eam nimirum quæ fato, alteram quæ ferro,tertiam quę naufragio accidere potest,sequẽtibus quinque versibus varios funerationis ritus subiicit, siue inquiens , viscera mea longinquus piscis edet,cũ respectu ni fallor ad Ichthyophagorum morem qui teste Diodoro *lib.*3. refluxus tempore cadauera proiiciebant , vt redeunte maris æstu fluctibus auferrentur ; seu vulturum & luporum præda fiam,cum allusione, vt reor,ad Caspios , Taxilas & Persarum Magos , qui defunctos vulturibus & feris obiiciebant , vt idem Diodorus præter alios author est : siue dignetur aliquis corpus meum terra condere, aut plebeio rogo cremandum dare , qui duo ritus,humatio,scilicet & crematio, præ cæteris vsurpati fuerunt. Crematio in primis quam vniuerso terrarum orbe communem fuisse veteres Historiæ fidem faciunt , hodiéque in extero orbe , tum in Oriente, tum in Meridionalibus oris perusitatam esse legimus : vt videatur ab vrbis Babylonicæ ædificatione & linguæ primæuæ confusione in vniuersas terras peruectam : vnde enim tanta similitudo apud tam diuersas , támque longè inter se remotas gentes extitisset, nisi ex vna eadémque origine promanasset ? Certè apud veteres Germanos corpora fuisse cremata testis est Tacitus libro de moribus ipsorum, & Diodorus *lib.*5. qui de Gallis idem prodidit. Originem verò moris illius apud Romanos enarrat Plinius *lib.*8. *cap.*54. his verbis : *Ipsum cremare apud Romanos non*

non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere; tunc institutum. Et tamen multæ familiæ prisco seruauere ritus sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus. Idque voluisse veritum talionẽ eruto C. Marij cadauere. Primus apud Græcos Argius Licymnij filius ab Hercule crematus proditur, propter eam causam, quam Didymus & Eustathius prosequuntur *ad* 1. *Iliad.* Ad humationem quod attinet, videtur aliquo modo præceptum adumbrari verbis illis Dei ad Adamum Genes. 3. 19. *Quoad reuertaris ad terram, nam ex ea sumptus es, quia puluis es tu, etiam ad puluerem reuerteris.* Quæ obseruatio est Bonauenturæ Cornelij Bertrami *libro de Republicâ Hebræorum, cap.* 2.

Plebeio rogo. Id est, humili & congestitio, qualis hominibus plebeis tumultuario construebatur qualemve Pompeianum fuisse, nimirum ex obuiis concisæ scaphæ lignis author est Plutarchus in eius vita, & Valerius Maximus *lib.* 1. *cap. de miraculis*, quo loco tanti viri rogum *ipsi fortunæ erubescendum*, ait. Diuitum enim & clarorum hominum rogi elati & magnifici erant. Interdum etiam plebi communis rogus extruebatur, quò fortè respexit Ouidius, in quem multa cadauera simul imponebantur, eúmque propterea Martialis infelicem vocat his versibus ex *Epigramm.* 65. *lib.* 8.

Quatuor inscripti portabant vile cadauer,
Accipit infelix qualia mille rogus.

Corpus inane. Id est, ψυχῆς ἔστερημένον. Sic in Epicedio Tibulli.

Ille tui Vates operis tua fama Tibullus
Ardet in extructo corpus inane rogo.

Propertius *lib* 3. *Eleg.* 16.

At tibi nauta pias hominum qui traiicis vmbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ.

Martialis Epigrammate modo laudato.

Vt quocunque velint corpus inane ferant.

Et Cicero lib. 2. de legibus, *Tuum ebur ex inani corpore extractum, haud satis castum donum Deo.* Quo loco Lipsium qui *lib. 2. Antiq lection. cap. 2.* Itémque *notis ad lib. 4. Histor. Taciti* pro *inani* substituit *immani*, grauiter falli docent hæc Platonis verba *lib. 12. de legib.* vnde Ciceroniana desumpta sunt Ἐλέφας ὃ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος ἐκ ἐναγὲς ἀνάθημα. Quibus Plato statuas ex ebore fieri vetat cum ab anima destitutum sit.

VERS. 155. *Quidquid ero.* Hac locutione quasi formula quadam vsus est, incertus quid de se Dij statuissent. Ita Propertius *lib. 1. Eleg.* 11.

Quidquid ero, dicam Cynthia causa fuit.

Idem *Eleg.* 14. eiusdem libri.

Illic quidquid ero semper tua dicar imago.

Sic & *Virgil. lib. 1. Georg.*

Quidquid eris, nam te, &c.

Certè fato suo diem obiit apud Getas & iuxta oppidum Tomos sepultus est, vt Eusebius, itémque Cæcilius Minutianus Grammaticus prodiderunt, & vt Georgius Trapezuntius aiebat,

aiebat, collatâ è publico pecuniâ, quemadmodum ex eo refert Iouianus Pontanus, *lib. de magnificentia*, his verbis: *Georgius Trapezuntius rerum vetustarum vir abundè studiosus audientibus nobis, adolescentes cùm essemus, non semel retulit legisse apud bonum authorem Tomitanos ciues Ouidio Poëtæ qui apud eos diem obiisset, collatâ è publico pecuniâ propter ingenij nobilitatem Tymbon, Græco enim verbo vtebatur, magnificè struxisse ante oppidi portam in loco maximè celebri, quamuis Ouidius & peregrinus esset, & ab Imperatore proscriptus.* Neque verò mihi dubium est quin suppositititium sit quod ex Gaspare Bruschio retulit Abrahamus Ortelius *in Synon. Geograph.* cùm ait: *Sabaria Lazio Austriæ oppidum est ad Angrum fluuium nomine Stain. Gaspar Bruschius dicit hìc anno M. D. VIII. Sepulcrum Ouidij Nasonis inuentum, testudine magnificum, & hoc Epitaphio ornatum.*

Fatum necessitatis lex.
Hîc situs est Vates quem Diui Cæsaris ira
Augusti patria cedere iussit humo.
Sæpè miser voluit patriis occubere terris,
Sed frustra; hunc illi facta dedere locum.

Tomos hodie *Tomisvar.*

VERS. 161. *Verbera saua dabunt sonitum nexaque colubris Conscia fumabunt semper ad ora faces.* Conscientia, nimirum, *Nolite enim putare*, inquit Cicero pro Roscio Amerino, *quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis eos qui aliquid impiè sceleratéque commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus, sua quemque fraus & suus*

terror maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiáque afficit. Suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctésque pœnas à sceleratissimis filiis repetant. Id ipsum repetit *Orat. in Pisonem*, quod ab Æschine contra Timarchum, iisdem penè verbis mutuauit. Repetit etiam *lib.* 1. *de legibus*, & ipsi concinit Lucretius *lib.* 3. & Iuuenalis *Satyra* 1. Illud autem, *nexæque colubris* elegantem quendam Latini Pacati locum ex Panegyrico Theodosij in mentem reuocat: *Nisi verò tu tum venerabilis Gratiane carnificem diris comitatus vltricibus obsidebas, & irata minax vmbra ob os eius oculósque fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia torto angue flagra quatiebas. Deinde habet vires, habet nescio quos inter nos mens scelerata carnifices, aut ipsa sibi carnifex conscientia est.*

Nec tibi continget funus lacrymæque tuorum,
Indeploratum proiicierę caput.
Carnificisque manu populo plaudente traheris,
Infixúsque tuis ossibus vncus erit.
Ipsa te fugient, quæ carpunt omnia, flammæ,
Respuet inuisum iusta cadauer humus.
Vnguibus & rostro tardus trahet ilia vultur,
Et scindent auidi perfida corda canes.
Déque tuo fiet, licet hac sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore riua lupis.
In loca ab Elysiis diuersa fugabere campis,

Quasque

Quasque tenet sedes noxia turba coles.
Sisyphus est illic saxum voluénsque peténsque,
Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ.
Quæque gerunt humeris perituras Belides vndas,
Exulis Ægypti turba cruenta nurus.
Poma pater Pelopis præsentia quærit, & idem
Semper eget liquidis, semper abundat aquis.
Ingeribúsque nouem summus qui distat ab imo,
Viscerâque assiduæ debita præbet aui.
Hîc tibi de furiis scindet latus vna flagello,
Vt sceleris numeros confiteare tui.
Altera tartareis sectos dabit anguibut artus,
Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur vmbra, tuásque
Æacus in pœnas ingeniosus erit.
In te transcribet veterum tormenta virorum;
Manibus antiquis causa quietis eris.
Sisyphe, cui tradas reuolubile pondus habebis;
Versabunt celeres nunc noua membra rotæ.
Hic erit & ramos frustra qui captet & vndas;
Hic inconsumpto viscere pascet aues.
Nec mortis pœnas mors altera finiet huius;
Horáque erit tantis vltima nulla malis.

COMMENTARIVS.

Lacrymas in exequiis exoptatas esse. κτερείζειν. *Proiicere.* ἐξερριμμένος. *Vncus. Hamotrahones. Incesti cadauer à terra reiectum. Vultur tardus. Ouidius enarratus. Nonnulla de inferis. Transcribere.*

VERS. 165. *NEC tibi continget funus lacrymæque tuorum.* Veteres in exequiis lacrymas expetebant, cæteroquin satisfactum sibi non putabant; vt Ouidius Ibin suum quouis officio cariturum præcinens, vtrumque, scilicet, *funus* & *lacrymas* videatur merito coniunxisse, velut ante illum Ennius ipse pater versibus vulgatissimis.

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Fac sit, cur? volito viuos per ora virûm.

Quo loco *facere funus* est κτερείζειν. Virgilius etiam *lib.* 11. *Æneid.* duo illa iunxit quæ ludibrij plena.

Nos animæ viles, inhumata infletáque turba
Sternamur campis——

Quod Græcis dicitur ἄθαπτος καὶ ἄκλαυστος ὅμιλος. Ouidianæ vero imprecationi, similis est apud Sophoclem Electrâ.

Κένευθεν οὔτε τοῦ

Τάφου

Τάφυ ἀντιάσας
Οὔτε γόων περ ἡμῶν

Conditus iaceat, neque sepulcri, neque lamentorum à me honorem sortitus.

VERS.166. *Indeploratum proiiciere caput.* Corpora quæ sepultura carent peculiari significatione *proiici* dicuntur. Cicero lib.1. Tusculan. quæst. *Durior Diogenes & id quidem sentiens vt Cynicus asperius, proiici se iussit inhumatum.* Seneca Epist.93. *Quem sæuitia proiecerit dies condet.* Iterum. *Vtrum proiectum canes differant, ac consummatur canibus data præda marinis, quid ad illum.* Rursus non *conteret*, inquit, *me nec vncus, nec proiecti ad contumeliam cadaueris laceratio fœda visuris.* Ita Græcis ἐξερρίμμενος dicitur Glossæ veteres *Proiectus*, ἐκβεβλημένος, ἐξερρίμμενος. Iamblichus *cap.35.* Αὐτοί τε ἀπὸ τῶν Ιταλιωτῶν κατελεύσθησαν ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἐξερρίφθησαν ἄταφοι.

VERS.168. *Infixúsque tuis ossibus vncus erit.* Vnco scilicet gutturi impacto trahebantur in carcerem, vel ad Gemonias Scalas, vel in Tiberim, vnde illud Suetonij in Tiberio, cap.75. *Morte eius ita lætatus est populus, vt ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent; pars terram matrem Deósque manes orarent, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent; alij vncos & Gemonias cadaueri minarentur.* Et illud Lampridij in Commodo, *Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur Senatus & populus postulauit.* Iuuenalis *Sat.1. Seianus ducitur vnco spectandus.* Qui verò trahebant *Hamotrahones* dicebantur. Festus

Hamotrahones alij piſcatores, alij qui vnco cadauera trahunt.

VERS. 170. *Reſpuet inuiſum iuſta cadauer humus.* Hoc loco præterire non poſſum, quod Agathias *lib.* 2. memoriæ prodidit, Græcè ille quidem, ſed in hanc ſententiam, *Philoſophi non pauci ab Imperatoribus Chriſtianis ſolum vertere coacti ad Parthos profugerant, & in cadauer eiectum & inſepultum cùm incidiſſent, glebam iniecerant. Terra corpus à ſe reiecit. Illis iterum ſepelire volentibus, datum in ſomnis Oraculum.*

Μὴ θάψῃ τ' ἄθαπτον, ἔα κυσὶ κὴρ μαγενέσθῃ,
Πῆ μήτηρ πάντων μητροφθόρον ἐκδέχετ' ἄνδρα

Priuatum tumulo, haud tumula, canibúſque relinque,
Nil tibi terra parens cum curruptore parentis.

VERS. 171. *Vnguibus & roſtro tardus trahet ilia vultur.* Tardus, inquit Domitius, idem eſt ac producens morſum; ego ſic puto dictum, quod natura præpetem volatum non habeat, vnde vulturis nomen à volatu tardo. Iſidorus Etymolog. lib. 12. cap. 7. *Vultur à volatu tardo nominatus putatur, magnitudine quippe præpetes volatus non habet.* Quod etiam Plinius innuit *lib.* 10. *cap.* 38. in his: *Vultures ferè grauiores, niſi ex procurſu, aut altiore tumulo non euolant.* Vnde quum vix tertio, aut frequentiori niſu ſe ſe in altum attollat, ſæpè fit vt antequam in ſublime feratur ab aucupe latente capiatur. Aliquando enim viuum hoc modo à ſe captum eſſe teſtatur Albertus *lib.* 3. *de Animalibus.*

VERS.

VERS. 173. *Déque tuo fiet, licet hac sis laude superbus, Insatiabilibus corpore rixa lupis.* Id est, ipsi lupi super laniatu cadaueris tui contendent, quamuis nonnihil glorieris, quasi tanti sis, vt vel tua causa rixentur animantes. Ita Martialis *lib.* 10. *Epigr.* 5.

Et cum suprema fila venerint horæ,
Diéſque tardus sentiat canum litem,
Abigátque moto noxias aues panno.

VERS. 175. *In loca ab Elysiis diuersa fugabere campis.* Enimverò piorum sedes apud inferos alia semper habita quam impiorum. Hinc Horatius *lib.* 2. *Ode* 13.

Vidimus Æacum
Sedéſque discretas piorum.

Idque Cato ille Vticensis persuasum habebat cum apud Salustium in coniuratione Catilinæ loquitur in hunc modum: *Bene & compositè C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vitâ & morte disseruit, credo falsa existimans ea quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidolosa habere.* Ad quem Salustij locum respexisse videtur Virgilius *lib.* 8. *Æneid.* his versibus:

Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes alta ostia Ditis,
Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci
Pendentem scopulo Furiarúmque ora timentem,
Secretóſque pios, his dantem iura Catonem.

Ideò enim præfertur Cato Vticensis iuri inferorum, quia eas pœnas veras putabat quas multi ridebant, cum apud Salustium suggillat

I. Cæsarem vana illa putantem quæ de inferis prædicantur, vt Galeotus Martius *lib. de doctrina, cap.* 27. rectè Virgilium enarrasse mihi videtur. Sententiæ vero Cæsaris suffragatur Timæus Locrus *lib.* περὶ ψυχᾶς κόσμυ καὶ φύσεως, *de anima mundi & natura.* Scribens malorum pœnam comitem esse, tum quæ legibus sancitur, tum quæ rationibus discernitur vehementem incutiens terrorem, cum cælestium, tum infernarum rerum, quod supplicia inexorabilia miseros maneant mortuos, & alia iam inde ab antiquo execrandos & detestandos exercentia, quas ipse pœnas absurdas vocat. Nobis Christianis dubitandi locus non est.

Vers. 176. *Quáque tenet sedes noxia turba coles.* Sic populum Romanum Tiberio mortuo imprecatum prodit Suetonius loco supra citato. *Pars terram matrem Deósque manes orarent, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent.* Idémque de Gallieno refert Aurelius Victor, his verbis: *Cum inruens vulgus pari clamore terram matrem. Deósque inferos precaretur sedes impias vti Gallieno darent.* Quam ideo sedem Ouidius lib. 2. Metamorph. Tibullus lib. 1. Eleg. 3. *Sceleratam* vocant, Virgilius *sceleratum limen.*

Vers. 177. *Sisyphus est illic.* Sisyphi, Ixionis, Danaidum, Tantali, Tityj qui apud inferos supplicia expendunt fabulæ notiores sunt, quàm vt iis inhærere debeam. Annotauero tantum illud Homeri de Tityo lib. 9. Odyss. ὁ δ' ἐπ' ἔντεα κεῖται πέλεθρα, hyperbolicè à Latinis

tinis expressum. Græcam enim vocem fugientes verterunt *nouem iugera*, quæ bis mille centum sexaginta pedes continent, cùm nouem plethra sint duntaxat nongentorum.

VERS. 186. *Vt sceleris numeros confiteare tui.* Sic Martialis *epigrammate quinto, lib* 10. cuius argumentum ex his Ouidij diris planè mutuatus videtur.

Et cum fateri furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, scripsi.

VERS. 190. *Æacus in pœnas ingeniosus erit.* Æacum fortè præ cæteris inferorum iudicibus nominauit, ex sententia Platonis *in Gorgia*, qui Iouem inducit dicentem se constituisse tres iudices apud inferos, Æacum scilicet Europæorum quæsitorem, Rhadamantum Asiaticorum, Minoëm verò iudicantem, si quid aliis occultum esset, vt sic æquissimè iudicium procederet. Quo respexisse Iuuenalem Beroaldus existimat hoc loco Satyræ 1. *Quas torqueat vmbras Æacus*, quasi dicere vellet sibi notum esse ex frequenti Poëtarum recitatione quas vmbras, id est, Europæas Æacus torqueat. De qua expositione Beroaldus sibi mirificè gratulatur Commentariis *in lib.* 2. *Propertij, Eleg.* 10. quem Ioannes Britannicus in Iuuenalem suppresso nomine secutus est. Mihi videtur Iuuenalis alio sensu capiendus.

VERS. 191. *In te transcribet veterum tormenta virorum. Transcribet* eadem significatione quâ Virgilius *lib* 5. *Æneid.*

Transcribunt vrbi matres populúmque volentem
Deponunt

Deponunt ——————

Turne tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis.

Quo loco Seruius, *Transcribi sermo hic tractus est de pecunia: nam transcribi est dari.* Arnobius lib. 1, *Transcribere posse in homines ius suum.* Eodem sensu Græcè dicitur μεταχάφειν, ἀποχάφειν. & μεταγράφειν.

VERS. 196. *Nec mortis pœnas mors altera finiet huius.* Martialis *lib.* 10. *Epigr.* 5. manifestè Nasonem expressit hoc versu

Nec finiantur morte supplicij pœnæ.

Hinc Ethnici Christianos traducebant, sic enim Cæcilius apud Minutium Felicem, *Pro mirâ stultitiâ & incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt & futura, & dum mori post mortem timent, interim mori non timent.* Quam loquendi formam vsurpat Lucianus in Peregrino, πεπείκασιν αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, διὸ καὶ καταφρονῆσαι τοῦ θανάτου καὶ ἑκόντας αὐτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί.

Inde ego pauca canam, frondes vt si quis ad Idâ,
Et summam Libyco de mare carpat aquam.
Nam neque quot flores Siculâ nascuntur in Hyblâ,
Quotve ferat dicam terra Cilissa crocos.
Nec quum tristis hyems Aquilonis inhorruit alis,

Quam

Quam multa fiat grandine canus Athos.
Nec mala voce mea poterunt tunc cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Tot tibi væ misero, venient talésque ruinæ,
Vt cogi in lacrymas me quoque posse putem.
Illa me lacrymæ facient sine fine beatum,
Dulcior hic risu tunc mihi fletus erit.

COMMENTARIVS.

Ida pro quouis monte. De Ida Cretæ nonnulla. Plautinus iocus. Ouidius explicatus. Ciliciam croci feraciſſimam eſſe. De Atho quædam. In altis montibus nulla grando.

VERS. 199. *INDE ego pauca canam frondes vt ſi quis ab Ida.* Comparationem ab Ida præcipuè duxit, quia teſte Euſtathio *in* 2. *Iliad.* omnis mons editus Ida dicitur, vt omnis aqua Achelous. Idam autem celſiſſimum totius Cretæ montem hodie *Pſiloriti* nominant, cuius partem quæ ad vrbem Candiam, olim Matium, obuerſa eſt nemora muniunt, in quibus acer admodum criſpà materie, ilices plurimæ, & acillacæ naſcuntur, vt non immerito dixerit Ouidius *frondes vt ſi quis ab Ida.* Ad eius autem radices quâ ſpectat ad Orientem, ſolum vndequaque pingue & irriguum

quum : ibique frequentissimi sunt pagi & omnia exculti ssima , siue arbores fructiferæ, siue oleæ & vites. Totáque illa moles quacunque tandem patet à Calergis possidetur , qui ante mille annos primum dignitatis gradum in totâ Insulâ obtinuerunt.

VERS.200. *Et summam Libyco de mare carpat aquam.* Vsurpatum olim *mare* sexto casu Grammatici veteres tradunt. Vnius ego Plauti locum proferant,in quo iocum elegantissimum & Plautino ingenio dignissimum subesse primus , vt arbitror , Muretus animaduertit *lib.*3. *variar. lection. cap.*17. Is ita habet , *milite glorioso.*

Quid istuc quæso ? quid oculo factum est tuo ?
PL. Habeo quidem hercle oculum PYR. at læuum dico.
PL. Eloquar.
Maris causa hercle hoc vtor oculo minus,
Nam si abstinuissem amare tanquam hoc vterer.

Cum enim Athenienſis ille adolescens qui ornatu nauclerico amicam à milite per fallaciam abducturus venerat , oculum sibi læuum ne agnosceretur obligasset , interrogatus à milite cur id faceret, respondit se id maris facere causâ , nam , inquit , *si amare abstinuissem , eo æquè atque altero vterer.* Ludit autem militem ambiguitate vocabuli. Cum enim dicere videatur duabus vocibus *si mare abstinuissem* , non id dicit, sed *si amare abstinuissem.* Reuera enim amor ipsi in causa fuerat , vt eo oculo minus vteretur,aut saltem ita fingeret. Porrò *Libycum mare*

pro

pro quocunque mari Naſo dixit, ſpeciem nimirum pro genere, ſicut Horatius *Ode* 1. *lib.* 1. Myrtoum, *&* *Ode* 35. Carpathium pelagus. Qua quidem figurâ Poëtarum libri ſcatent; ſed enim fortè Libycum præ cæteris nominauit, quod Ibis iuxta Cinyphem, qui in Libycum mare ſe exonerat editus eſſet.

VERS. 201. *Nam neque quot flores.* Frequens eſt Ouidius in eadem comparatione, quam imitatur Seneca Oedipo.

Non tot caducas educat frondes Eryx,
Nec vere flores Hybla tot medio creat.

Hybla Siciliæ vrbs iuxta Syracuſas poſita, quæ poſtea immigrantibus Græcis Megarenſibus Megara dicta eſt, diu ante Strabonis æuum penitus euerſa & deſerta. Perdurauit tamen priſcum nomen in Hybleo melle, quod ſecundum Hymettium præcipuæ nobilitatis fuit. Æſtimatur etiam nunc totius Siciliæ præſtantiſſimum, quod in Hyblæis collibus prouenit. Hyblæi vero colles ſunt ij qui iuxta Marcellinum fluuium Alabi fluminis fonti imminent, vario florum genere, maximè autem thymo læti; haud ita quidem excelſi, vt mirum mihi videatur cur Ouidius *lib* 2. *de Ponto*, *Eleg.* 7. altam Hyblam dixerit. Fuerunt & aliæ duæ vrbes in Sicilia eodem nomine. Tres enim fuiſſe, nimirum maiorem, cuius oppidani Hyblæi dicti, paruam quæ Megara appellata, minorem quæ Heræa, Stephani Epitomator diſertè prodidit.

VERS. 202. *Quotve ferat dicam terra Ciliſſa*

crocos. Solinus cap.41. *Circa Corycum Ciliciæ crocum, plurimum optimúmque. Det licet Sicilia, det Cyrena, det & Lycia, hoc primum est. Spirat fragrantius, colore plus aureo est, succi ope citius proficit ad medelam.* Idem scribunt Strabo, Dioscorides *lib.*1. *cap.*25. Plinius *lib.*21. *cap.*6. Curtius, Philo Carpathius in Cantica Canticorum, Vibius Sequester & alij, vnde Lucretius *lib.*2.

Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.

Virgilius Culice.

Atque hyacinthus & hic Cilici crocus editus aruo.

Hinc *Spica Cilissa* Nasoni *lib.*2. *Fastor.* & Propertio *lib.*4. cuius locum licet Philippus Beroaldus & Paulus Marsus de Nardo exposuerint, Hermolaus Barbarus Commentariis in Dioscoridem, Turnebus *Aduersar. lib.*8. *cap.*2. Hieronymus Mercurialis *variar. lect. lib.*6 *cap.*7. Ioscphus Scaliger,& Ianus Passeratius Propertij interpretes de croco, vel vnguento crocino constanter accipiunt. Hinc etiam *Cilicum nymbi* Martiali *Epigram.*3. *Amphit. Cilicum Messes* Papinio, *in Syluis. Corycius crocus* Horatio *Satyr.*4. *lib.*2. & Lucano *lib.*9. & Adagium, εἰς Κιλικίαν χρόκον, in eos qui merces eò deportant, vbi magna earum est copia.

Vers.204. *Quam multa fiat grandine canus Athos.* In altis montibus niuem reperias, grandinem non item, quoniam hæc conglaciato imbre gignitur, illa ex eodem humore mollius coacto, quæ priusquam frigore constricta sit,

in

in obuios montes decidua est ; eo fit vt quo propius à terrâ grando ceciderit, hoc magis erit triangularis, aut pyramidata ; quæ verò longius à terra concreuerit, hoc erit rotundior, angulislongâ viâ obtritis. Hinc Gerardo Vossio improbatum *lib. 3. de origine & progressu idololatriæ, cap. 12.* quod Ouidius ait, montem Atho grandine canescere. Solent Poëtæ τὰ μετέωρα confundere. Altissimum certè montis Atho iugum, magísque celebre quod est in extrema Chersoneso propter summam altitudinem perpetua ferè niue tegitur, quæ in æstatem vsque permanet : In cuius summo vertice Sacellum est,quo Calojeri, siue Monachi eius Monasterij quod *Agias Laura* dicitur, ad radices montis situm certa anni die conscendunt, ibíque liturgiam canunt ; nemini enim toto eo monte præter Monachos habitare licet; in eáque est apud Græcos sanctimoniæ æstimatione,quâ Roma apud Latinos;ideóque vernaculo sermone ἅγιον ὄρος appellatur, Italicè *Monte santo.*

Vers. 206. *Ora licet tribuas multiplicata mihi.* Ex more Poëtarum,de quo Persius *Sat. 5.*

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum.

More inquam ducto ex Homero *Iliad. 3.* quem imitati Virgilius, Ouidius sæpè, Silius, Hostius apud Macrobium, Claudianus, Sedulius, alij passim.

Natus es infelix, ita Di voluere, nec illa
Commoda naſcenti ſtella leuiſque fuit
Non Venus affulſit, non illa Iupiter hora,
Lunaque non apta Solve fuere loco.
Nec ſatis vtiliter poſitos tibi præbuit ignes
Quem peperit magno lucida Maia Ioue.
Te fera nec quicquam placidum ſpondentia
Martis
Sidera preſſerunt, falciferique ſenis.
Lux quoque natalis, ne quid niſi triſte videres,
Turpis & inductis nubibus atra fuit.
Hæc eſt in faſtis, cui dat grauis Allia nomen,
Quæque dies Ibin publica damna tulit.
Qui ſimul impuræ matris prolapſus ab aluo eſt,
Cinyphiam fœdo corpore preſſit humum.

COMMENTARIVS.

Commoda ſtella, leuis pro benigno. Ouidij τὰ φαινόμενα. Quare falx Saturno tributa. Iobi locus elegans. Natalis candidus expetebatur. Allienſis dies. Labi & cadere in partu. Mos veterum ſtatim natos in terra ſtatuere. Statina Dea. Iuſtinianeæ legis intellectus, contra Cujacium, & Raguellum. Adoptionis ritus.

VERS. 212. *COMMODA naſcenti ſtella leuiſque fuit.* Stella commoda & incommoda propriè dicitur. Sic enim & Propertius, *lib.* 2. *Eleg.* 20.

Quæritis & cœlo Phœnicum inuenta ſereno,
Quæ ſit ſtella homini commoda, quæque mala.

Et Petronius arbiter Satyrico: *Altera Lunæ curſum ſtellarúmque ſeptem imagines pictas, & qui dies boni quique incommodi eſſent diſtinguente bulla notabantur.* Sed & *leuis* pro benignâ & propitiâ, quomodo apud Horatium *lib.* 1. *Ode* 18.

Monet Sithoniis non leuis Euyus.

Apud Valerium Flaccum *lib.* 2. *Argonaut.*

——Leuior Lemno Deus æquore flexit
Huc Minya.——

Cur autem Stellarum aliæ maleficæ, aliæ salutares dicantur, cum Diuinorum vna sit natura, Ptolemæus in libris de Harmoniâ, & Macrobius in somnium Scipionis fusè disserunt. Scripserat Ouidius τὰ φαινόμενα, ex quibus carmina citantur à Probo & Lactantio.

VERS. 218. *Falciferique senis.* Propertius *lib.* 4. *Eleg.* 1.

Et graue Saturni sidus in omne caput.

Falcem Agricolæ insigne esse ac propterea Saturno tributam scribit Festus in *Opima spolia.*

VERS. 219. *Lux quoque natalis.* In eam sententiam Iobus elegantissimè natalem suum versibus hexametriis execratur cap. 3. in his: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis: Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat; non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus; sit nox illa solitaria, nec laude digna. Maledicant qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur Stellæ caligine eius, expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Potuitne Iobus, siue Moses, siue quiuis alius Historiæ Iobi scriptor, vt variæ sunt eruditorum sententiæ, venustiori sermonis copiâ, & figurarum Poëticarum varietate, diras suas exornare? Sic apud Ezechielem

lem *cap.*30. & Ioël. *cap.*2. dies Domini vocatur *dies nubis*, Hebraïca scilicet phrasi, quâ tenebrarum nomine calamitas, lucis appellatione felicitas intelligitur. Sic etiam de Solis obscuratione quod dicunt Prophetæ, non de eclipsi, sed de tempore calamitoso intelligendum. Huic autem Iobi locutioni *pereat dies in quâ natus sum*, simillima est illa Senecæ *in Hercule Oetæo.*

Conuerte Titan clare anhelantes equos,
Emitte noctem, pereat hic mundo dies,
Quo moriar, atra nube inhorresçat polus.

Contra expetebant vt natalis candidus veniret. Sic enim Tibullus *lib.*1. *Eleg.*8.

At tu natalis multos venerande per annos,
Candidior semper, candidiórque veni.

Et Ouidius *lib.*5. *Trist. Eleg.*5.

Optime natalis quamuis procul absumus opto
Candidus huc venias ——

Imo vero Propertius lib 2. Eleg.12. *candidam noctem* eodem sensu dixit quo idem Ouidius Epistolâ Paridis ad Helenam *candidiorem noctem*, contra Musæus ὁμίχλῳ nuptiis infelicissimis Herus & Leandri præfecit ἀνυμφοκόμητα δ' ὁμύχλη. Sed & apud Historicos cœlum turbidum, & obscuram lucem inter scæua omina olim accepta notare licet apud Thucydidem Procœm. Iulium Obsequentem *cap.*42. ad quam superstitionem alludens Claudianus in quartum consulatum Honorij, sic canit.

Nec Boreas nimbos, nec Sol ardentior egit,
Imperij lux illa fuit; præsagus obibat

Cuncta nitor, risitque tuo natura sereno.

VERS. 221. *Hæc est in fastis cui dat grauis Allia nomen.* Allia siue Alia fluuius est, hodie, *Caminate*, qui à Crustumiis montibus præalto decurrens alueo Tiberino amni miscetur, ad quem Romani à Gallis duce Brenno magna strage affecti sunt, ex quo infamiam contraxit notatam passim à Scriptoribus. Hinc Allienſis dies, pro infausto: Cicero lib. 9. epist. 4. ad Atticum, *Maiores nostri*, inquit, *funestiorem diem esse voluerunt Allienſis pugnæ, quam vrbis captæ, quod hoc malum ex illo. Itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Certè res omnis infeliciter Vitellio gesta est, qui teste Suetonio in eius vitâ *cap.* 7. omni diuino humanóque iure neglecto Allienſi die Pontificatum maximum cepit. Cæterum dies illos quibus cladem aliquam accepissent, religiosos & atros appellabant, Græci ἀποφράδας, vt exponit Lucianus in Pseudologiste, qui libellus & περὶ ἀποφράδος inscribitur. Sic Plutarchus *in Camillo*, vbi multa de huiusmodi diebus Allienſem ἀποφράδα ἡμέραν vocat. Vt non inuenustè Naso dicat, tum Allienſem, tum natalem Ibidis in fastis pro diebus atris & religiosis haberi.

VERS. 223. *Qui simul impuræ matris prolapsus ab aluo est.* Verbo illo *prolabi* frequenter vtuntur veteres cum de partu loquuntur; sic enim Phædrus *fab.* 54.

Non illam quæro, quæ cum lubitum est concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Nouissimè

Nouissimè prolapsam effundit sarcinam.

Eodem sensu verbum *cadere* vsurpant, vt & Græci ὀλισθεῖν, vel πίπτειν ἀπὸ μητρὸς, quod est, prolapsus à matre. Sic Oppianus *lib.* 1. *Halieut. vers.* 738. ἔνθεν ὄλισθον γενόμενοι, *vnde ceciderant nascentes.* Postremo versu alludit putat Brodæus *Miscellan. lib.* 4. *cap.* 3. ad priscum illum morem, quò simul infans natus erat, & sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra vt auspicaretur rectus esse, quemadmodum scribit Varro *lib. de vita populi Romani.* Quò pertinere videtur illud Suetonij *in Nerone, cap.* 6. *Nero natus est Antij, ante* 19. *menses quam Tiberius decessit,* 8. *Kalend. Ianuar. tantùm quod exoriente Sole penè, vt radiis prius quam terra contingeretur.* Item illud Papinij *in Genethliaco Lucani.*

Natum protinus atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.

Cuius etiam moris apertè meminit Tertullianus lib. de Anima, in his: *Prima etiam constitutio infantis super terram Statinæ Deæ sacrum est,* Statinam enim vocat, quam Varro *lib. de liber. educ.* Statinum Deum nominat pueritiæ præsidem, vt rectè locum Tertulliani restituit Cujacius, *obseruat. lib.* 11. *cap.* 30. qui præterea suspicatur eò referenda esse hæc verba, *l.* 3. *C. de posth. hæred instituend. Eorum etiam nos laudamus sententiam & sancimus, si viuus perfectè natus est, licet illico postquam in terram cecidit vel in manibus obstetricis decessit, nihilominus testamentum rumpi.* Verùm Francisco Ra-

guello, *Commentariis ad Constitutiones & Decisiones Iustiniani, lib.6. pag.*461. aliud visum, verba illa sic interpretanti. *Idem est si posthumus illico decesserit, postquam in terram cecidit, nempe non exceptus ab obstetrice.* Mihi videtur Raguellus à vero legis intellectu aberrare, siquidem manifestè duo casus à Iustiniano proponuntur, nempe cum posthumus illicò decesserit, seu cum in terram caderet, ceu cum ab obstetrice susciperetur, existimo tamen nihil minus Iustinianum in animo habuisse, quam morem supradictum cum formula illa vsus est, *postquam in terram cecidit,* quâ nihil aliud significari video, quam quod aliter dixisset postquam ex vtero matris prosiluit. Sic enim Papinius *lib.*1. *Siluar.*

——————— tellure cadentem
Excepi fouique sinu.

Et *lib.*5.

——— Meus ille meus, tellure cadentem
Excepi ———————

Sic & libro Sapientiæ cap.7. καὶ ἐγὼ δὲ γενόμενος ἔσπασα τὸν κοινὸν ἀέρα καὶ ἐπὶ τὸν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσον γῆν. *Quin etiam natus communem hausi aërem, & in eiusdem ingenij terram excidi,* locutio ducta nimirum ex eo quod infans nisi subleuetur ab obstetrice suaptè natura in terram cadit. Hinc elegans locus apud Diodorum *lib.*4 *Biblioth.* de adoptione Herculis. Προσθετέον δ' ἡμῖν τοῖς εἰρημένοις, ὅτι μετὰ τὴν ἀποθέωσιν αὐτοῦ, Ζεὺς Ἥραν μὲν ἔπεισεν υἱοποιήσασθαι τὸν Ἡρακλέα καὶ τὸ λοιπὸν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον μητρὸς εὔνοιαν παρέχεσθαι, τὴν δὲ τέκουσιν

αὐτοῦ

αὐτοῦ γενέσθαι φασὶ τοιαύτην τὴν Ἥραν, ἀναβᾶσαν ἐπὶ τὴν κλίνην καὶ τὴν Ἡρακλέα προσλαβομένην, πρὸς τὸ σῶμα διὰ τῶν ἐνδυμάτων, ἀφεῖναι πρὸς τὴν γῆν μιμουμένην τὴν ἀληθινὴν γένεσιν, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν ποιεῖν τοὺς βαρβάρους, ὅταν θετὸν υἱὸν ποιεῖσθαι βούλωνται. *Adiiciendum & hoc, quod post euectionem ad Deos, Iuno Iouis suasu filium sibi Herculem adoptauit, & omne deinceps tempus maternâ ipsum beneuolentiâ complexa fuerit. Illam adoptionem hoc modo factam perhibent. Iuno lectum ingressa Herculem corpori suo admotum subter vestes ad terram demisit, vt verum imitaretur partum, quem in hoc vsque tempus adoptionis ritum Barbari obseruant.*

VERS. 224. *Cinyphiam fœdo corpore pressit humum.* Innuit Ibin in Africa natum, Cinyps enim Africæ fluuius; Quamobrem *versu* 503. Leænas *Ibidis populares* vocat. Adi Prolegomena.

Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,
Funereóque graues edidit ore sonos;
Protinus Eumenides lauere paludibus vdis,
Qua caua de Stygiis fluxerat vnda vadis.
Pectoráque vnxerunt Erebeæ felle colubræ,
Térque cruentatas increpuere manus.
Gutturáque imbuerunt infantia lacte canino;
Hic primus pueri venit in ora cibus.
Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus,
Latrat & in toto verba canina foro.

Membra

Membráque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
A malè deserto quos rapuere rogo.
Et ne non fultum nuda tellure iaceret,
Molle super silices imposuere caput.
Iámque recessuræ viridi de stipite factas
Admorunt oculis vsque sub ora faces.
Flebat vt est fumis infans contactus amaris,
De tribus est cum sic vna locuta soror.
Tempus in immensum lacrymas tibi monimus istas,
Qua semper causa sufficiente cadent.
Dixerat, & Clotho iussit promissa valere,
Neuit & infaustâ stamina pulla manu.
Et ne longa suo præsagia diceret ore,
Fata canet Vates qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum Vates, ex me tua vulnera discces,
Dent modo Dî vires in mea verba suas.
Carminibúsque meis accedant pondera rerum,
Quæ rata per luctus experiere tuos.

COMMENTARIVS.

Bubo noctis monstrum. Ouidius restitutus. Partus ablui solitus. Torpentes aquæ à sacrificiis summouebantur. Titaresus amnis. Serpentes feminæ maribus sæuiores. Ouidius explicatus. Fel Serpentium, venenum illarum esse. Ter plaudere. Aliqua de lacte nutricis. Ferrugo quid.

VERS. 22. *EDIT in aduerso nocturnus culmine bubo.* Plinius *lib.* 10. *cap.* 12. bubonem eleganter noctis monstrum appellat; quippe funebris est auis, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu, deserta & inaccessa loca incolens; quamobrem vox eius domibus insidentis inauspicata credebatur.

VERS. 227. *Protinus Eumenides lauere paludibus vdis.* Sic omnino legendum, pro eo quod habent libri omnes editi *palustribus vndis.* Illa enim verborum constructio. *Eumenides lauere palustribus vndis quâ caua vnda de Stygiis vadis fluxerat*, planè est inelegans. Vdas paludes dixit & *lib.* 1. *Metamorph.*

——— *Cœnúmque vdæque paludes*
Intumuere æstu ———

Ita

Ita Lucianus Deam ſuam Podagram à Clotho lauatam fuiſſe dicit, his verſiculis

Ὅτε γὰρ λαγόνων σε τεκοῦσα
Μοῖρα Κλωθῶ τότ' ἔλουσεν

Moris eſt enim partum è matris vtero prodeuntem aquâ ſtatim abluere, cuius quidem moris multi meminerunt, tum Lycophron

Πρὶν λαφύξασθαι γάνος
Πρὶν ἐκ λοχίας γυῖα χυτλῶσαι δρόσῳ.

Antequam mulgeret laticem
Et à partu membra rore lauaret.

Apollonius Rhodius *lib.* 2. *verſu* 1016. vbi λουτρὰ λεχωΐα. Meleager de Baccho venuſtè.

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον ὅτ' ἐκ πυρὸς ἤλαθ' ὁ κοῦρος
Νίψαν ὑπὲρ τόφρης ἄρτι κυλιόμενον
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος ἠνδένιν εἴργης
Μίσγεσθαι δόξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον

E cinere vt Bacchum Nymphæ cepere ſorores,
Membráque lauerunt fonte perennis aquæ.
Iunctus amicitia eſt Nymphis, ſi fortè repellas
Natum de flammis experiere Deum.

Contra Nonnus *lib.*9. Dionyſius eleganter ἀχύτλωτον λοχείην de Bacchi natiuitate dixit. Callimachus Hymno in Iouem.

Ἔνθά σ' ἐπεὶ μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων
Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος ὧκε τόκοιο
Λύματα χυτλώσαιτο, τεὸν δ' ἐνὶ σχῶτα λύσαι

Hic te poſtquam mater magno depoſuit ex vtero,
Statim quærebat riuum aquæ quo partus
Sordes ablueret, tuúmque eorpus lauaret.

Ideò Meſſenij fontem Clepſydram in Ithomes iugo fuiſſe aſſerebant, in quo Iupiter lotus fuerit,

fuerit, vt Pauſanias in Meſſeniacis author eſt, qui & in Arcadicis duorum fluminum mentionem facit, in quibus Iouem recens natum à colluuie purgatum eſſe tradit. Huius etiam conſuetudinis mentio apud Ariſtotelem *lib.* περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. his verbis: Αἱ γυναῖκες ἅμα ἐργαζόμεναι τίκτουσι, καὶ τὸ παιδίον ὕδατι περικλύσαζαι πρᾶχεῖμα σκάπτουσι καὶ σκάλλουσι, καὶ τ' ἄλλα οἰκονομοῦσιν, ἃ μὴ τικτούσαις ἦν πρακτέον.

Item & apud Plautum Amphitruone.

Poſtquam peperit pueros, lauare iuſſit nos, occæpimus;
Sed puer ille quem ego laui, vt magnus eſt, & multum valet.

S. Hieronymus lib.4. in Ezechielem. *Ideo orti infantes ad eluendum ſanguinem lauantur aquâ.* Hunc autem Liuij locum ex Andromacha, *Nam vbei introducta eſt puerúmque vt lauent, collocant in clupeo*, quem Ioannes Meurſius notis ad Lycophronem in huius moris confirmationem profert, alio pertinere, nempe ad mortuorum lauationem mihi dubium non eſt. Eleganter itaque Naſo turpitudinem Ibidi exprobraturus, eum paluſtribus vndis ablutum fuiſſe dicit; omnis enim purgatio aquâ viuâ, aut marinâ fiebat; paluſtris enim maculat potius quam purgat. Ideo torpentes & ſtagnantes aquas religio vetus à ſacris ſummouebat, viuámque aquam luſtrationibus & purgationibus adhibebat, vt καθαρτικωτέραν χύσιν. Qui ſequitur verſus: *Quæ caua de Stygiis fluxerat vnda vadis.* Mendoſus mihi videtur. Edendum curaui

Quâ

Quà cana, quasi dicat Ouidius, Ibin paludis cuiusdam aqua lotum fuisse, cui se riuuli Stygij per subterraneos meatus immiscerent. Sic Lucanus *lib.6.* de Titareso amne, sed alio sensu.

Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem.
Et capitis memorem, fluuii contagia vilis
Nolle pati, superúmque sibi seruare timorem.

Quod ab Homero sumptum. *Iliad.* ε.

VERS. 229. *Pectoráque vnxerunt Erebeæ felle colubræ.* Perperam editiones quædam, *Pectora vinxerunt*, quas secutus est Bartholom. Ambrosius *lib.1.de Serpentibus & Draconibus, pag.*48. vulgato sub Vlyssis Aldrouandi nomine. Idémque male per *Erebeas colubras*, furias intelligit, cum τὸ *colubræ* sit hoc loco gignendi casus singularis. Ouidio sentiente, Eumenides Ibidis nati pectus erebeæ colubræ felle inunxisse. Colubram autem feminino genere extulit, quia inomni serpentium genere, tum maximè inter viperas, feminæ maribus multò sæuiores sunt. Nicander Theriacis de vipera, in cuius genere mas proprio nomine ἔχις, femina ἔχιδνα dicitur.

Τῶν ἤτοι θηλεῖα παλίγκυτος αὐτομένοισι
Δάγματι πλειοτέρι καὶ ὁλκάτιον ἐπὶ σειρὴν
Τέκνεκα καὶ θανάτοιο θιώτερος ἵξετο αἶσα.

Femina præcipiti ante omnes agitata furore
Occurrit. rictu patulo caudáque tumente,
Inde ferit, fati multo grauiore periclo.

Idémque tradunt Ætius & Paulus Ægineta, licet Auicenna *lib.4.fen.6.tract.1.cap.*32. viperas

&

& dracones mares feminis deteriores esse scripserit ; qua de re videndus Mercurialis *lib.2.de morbis venenatis*. Nec verò viperas feminas internoscere difficile est , quas & ore patentiore & extremo corpore crassiores esse constat. Quo fit vt earum morsus plus multò periculi habere Nicander existimet. Cæterùm *felle* pro veneno dixit Ouidius, quoniam, vt ait Plinius *lib.11.cap.37.*fel venenum est serpentium,quod in omnibus animantibus nihil est aliud quam purgamentum pessimi sanguinis,& ideo in materia eius est. Serpentibus autem portione maximè copiosum est , vt & piscibus eodem Plinio teste. Et serpentium venenum aiunt quoties irati mordent , è cistâ fellis per angustos meatus ferri ad dentium radices in sacculos in eum vsum à natura positos;hinc venenum serpentium Hebræis & Syris רישׁר & רשׁא quia venenum serpentum est in felle : nam & ראשׁ Hebræis est fel,vt obseruauit Samuel Bochartus, vir Hebraïcæ linguæ peritissimus *lib.1. de Phœnicum Coloniis , cap.15.*

VERS.230. *Térque cruentatas increpuere manus.* Id est, ter plauserunt, nam in plausu dando,veteres ter voce & manibus significationes lætas dare solebant ; idque pro multis habebatur. Vnde Flaccus *lib.2. carminum.*

Lætum theatris ter crepuit sonum.

Et Propertius

Et manibus fastos ter crepuere sonos.

Hic verò ter signatè dictum , quia ternarius numerus infernis sacer erat. Imo & in rebus

omnibus diuinis ternario numero priſcos vti ſolitos etiam ex Ariſtotele diſcimus *lib.1. de cœlo.* Si tamen is author eſt. Tritum eſt illud Virgilij ex Pharmaceutria, *Numero Deus impare gaudet.* Alio ſenſu dictum eſt à Propertio *lib.4.*

At illi.

Pollicibus fragiles increpuere manus.

Quem locum Ioſephus Scaliger eleganter, vt mihi quidem videtur, expoſuit.

VERS.233. *Perbibit inde ſua rabiem nutricis alumnus.* In moribus inoleſcendis magnam ferè partem nutricis ingenium & natura lactis tenet, quæ infuſa tenero & mixta parentum ſemini adhuc recenti ex hac gemina concretione vnam indolem configurat, vti fusè iuxta & eleganter differit Macrobius enarrans illud Virgilianum *Hircanaque admorunt vbera tigres, lib.5. Saturnalium, cap.11.* Item Aulus Gellius *lib.12. noct. Attic. cap.1.* In quam ſententiam P.Bellonius ſcribit *obſeruat. lib.2.cap.20.* ſe vidiſſe Alexandriæ hyænam, quam mutuato ab Arabibus nomine Ciuetam vocant adeo cicurem, vt cum hominibus colluderet, quia, videlicet, ab ineunte ætate humano lacte educata fuerat. Rarum profectò, inquit ille, ita cicurari poſſe animal adeo ferum & indomitum. Quibus conſentanea refert de tigride Iulius Cæſar Scaliger, *exercitatione 212.* cui lemma *Quomodo animalia fera cicurentur.*

VERS. 235. *Membráque vinxerunt tinctis ferrugine pannis.* S.Hieronymus in cap.16.Ezechielis,

chielis. *Tenera infantium corpora pannis inuoluuntur duplicem ob causam, vt & sale siccetur corpus, quod pannis ne defluat seruatur & stringitur; & membra tenerrima ne facilè deprauentur. Vnde, & corpora Barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt, vsque ad secundum enim & tertium annum pannis inuoluuntur.*

Tinctis ferrugine pannis. Ferruginem, siue ferrugineum colorem Grammatici variè interpretantur. Seruius enim in illud Virgilij lib.8. *Pictus acu chlamydem & ferrugine clarus Ibera, Ferrugo*, inquit, *coloris genus est, qui vicinus est purpuræ subnigræ.* Donatus aërium ferrugini tribuit, quod Nonio Marcello visum est, his verbis: *Ferrugineum colorem ferri similem esse volunt. Vere autem ferrugineus color cæruleus est*, Virgil. Georg. lib.4. *Et ferrugineos hyacinthos.* Plautus *Milite*, *Palliolum habens ferrugineum, Nam is color thalassius est*, in eámque sententiam videtur capiendus hic locus Tibulli, de Iridis coloribus, *lib.*1. *Eleg.*4

Quamuis prætexens picta ferrugine cœlum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

Alij violaceum colorem esse putant, vnde Claudianus dixerit *lib.*2. *de raptu Proserpinæ.*

Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit,

Alij castaneum colorem similitudine ferri, dum est rubiginosum, idque videtur adstruere Plinius *lib.*29. *cap.*6. vbi de lacertis scribit, *& ferrugineas maculas habentes.* Vt vt sit, ferruginem pro atro colore passim accipi constat, sic

enim Virgilius *lib. 1. Georg.* de Solis defectu, qui cædem Cæsaris subsecutus est.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscurâ nitidum ferrugine texit,
Impiáque æternam timuerunt secula noctem.

Ouidius *lib. 15. Metamorph.* de prodigiis quæ cædem iliam præcesserunt.

Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat ——————

Quamobrem ferrugineus color inferni prorius est, vnde Virgilius *lib. 6.* de Charonte.

Et ferruginea subuectat corpora cymba.

Et Claudianus libro memorato de Plutone.

Et ferrugineo lacryma as deterſit amictu.

Hinc etiam Tylesius libro de coloribus, *ferrugineos hyacinthos* apud Virgilium exponit lugubres, *nam alioqui*, ait, *hyacinthus purpureus est, sed Poëta in epitheto alluſit ad fabulam pueri quem Apollo interfecit, luxit, vertit in florem*, &c. Verùm satius est *ferrugineos hyacinthos* intelligere nigricantes, quoniam vt ait Philo *lib. de congressu* ὑακινθος μέλας τὸ φύσει, *hyacinthus niger est natura.* Vt non dubitem, *tinctos ferrugine pannos* de atro & funebri colore interpretari, quod euincitur sequenti versu, *A malè deserto quos rapuere rogo.*

Accedant pondera rerum. Sic elegantissimè Papinius de Ioue.

——*graue & immutabile sanctis*
Pondus adest verbis, & vocem fata sequuntur.

Neve sine exemplis aui moriare prioris,
Sint tua Troianis non leuiora malis.
Quantáque clauigeri Paantius Herculis hæres,
Tanta venenato vulnere crure geras.
Nec leuius doleas, quam qui bibit vbera cerua,
Armatique tulit vulnus inermis opem.
Quique ab equo præceps in Aleis decidit aruis,
Exitio facies cui sua pene fuit.

COMMENTARIVS.

Ilias malorum. Philoctetis dolores à morsu serpentis. Vrbs Chrysa penes Lemnon contra quam Salmasius existimarit. Cenchris species serpentis. Dissensum à Tzetze in loco Lycophronis, de Telephi vulnere. Bellerophontis casus. Vnde Tarsos dicta. Bellerophontis morbus, Monachis à Paganis afflictus.

VERS. 254. *SINT tua Troianis.* Vota sua orditur à Trojanorum calamitatibus, quæ recensentur in Iliade Homerica, omnis malorum generis plena; vnde factum Prouerbium *malorum Ilias*, quo Tullius vsus

est *Epist.17. lib.8.* ad Atticum. Indéque Tragœdiarum argumenta sumpta, vt scribit Aristoteles *in Poetica.*

VERS.255. *Quantáque Clauigeri.* Sequentibus sex versibus Ibidis summos cruris dolores imprecatur, quibus affecti sunt tres magni nominis apud Poëtas Viri, Philoctetes, Telephus, Bellerophon. Is enim quem primum nominauit Philoctetes Pæantis filius dum aram Mineruæ terra obrutam in Lemno Insula vestigat, serpentis morsu tetris cruciatibus afflictus est authore Homero *Iliad. β'. vers.722.* quo sine dubio alluſit Ouidius. Quod quidem vlcus Sophocles in Philoctete describit, quemadmodum Medici gangrænas & φαγεδαινικὰ ἕλκη. Theocritus in obscura Ara Philoctetem ab angue morsum ait, cum sepulchrum Troili contemplaretur, quod in Templo Apollinis Thymbræi erat. Rem alij aliter narrant; nam & Theodectes Poëta Tragicus quinquaginta fabulis nobilitatus Philoctetem non in crure, aut pede, sed in manu à serpente morsum prodidit; illum enim miserè dolentem & post multam tolerantiam increscentibus tandem doloribus exclamantem introduxit Κόπτετε τλῶ ἐμεῦ χεῖρα *abscindite mihi manum*, vt Aspasius *in Aristotelis Ethica, lib.7. cap.7.* scriptum reliquit. Sunt qui Philoctetem, in Insula Chrysa, quæ Lemno vicina erat ab ictu serpentis laborasse tradunt. Cuius sententiæ fuit Strabo in Arcadicis. Item Scholiastes Sophoclis vrbem Chrysam penes Lemnum memorans, ad quam

Philo

Philoctetes à ſerpente morſus eſt, Aram quærens, in qua Hercules ſacrificauerat, cum in Trojanos arma duceret. Meminit & Chryſæ Lemno propinquæ, Euſtathius *in Iliad.α.* Eandémque Inſulam æſtu maris abolitam ait Strabo. Quod cum Salmaſius non obſeruaſſet notis ad primam & ſecundam Aram confidenter aſſerit nullam vrbem fuiſſe Chryſen Lemno vicinam, ſed promontorium tantùm hoc nomine propè Hephæſtiam vrbem Lemni. Hæc autem diuerſa fuit à Chryſa Troica, vbi Apollinis Smynthij templum erat, quas Stephanus & Author Βυμίσκυ perperam confuderunt. Hoc porrò animaduerſione dignum exiſtimo Scriptores omnes variare ſerpentis appellatione. Homerus enim Philoctetem ait, ictum eſſe ab Hydro, & eum ſecuti Philoſtratus iunior in Iconibus & Philoſtratus maior in Heroicis, ſcribens ſolius hydri ex omnibus ſerpentibus morſum ſanabilem eſſe. Theodectes apud Ariſtotelem loco citato, & Sophocles à vipera, Lycophron à Cenchryne, quo loco Tzetzes, ait Lycophrona ſpeciem ſerpentis pro ſpecie dixiſſe, quoniam Philoctetes ab hydro ſauciatus eſſet. Verùm ego Lycophronis opinioni ſubſcribendum puto, qui veram ſerpentis Lemniaci ſpeciem extulit, à quo veriſimiliter Philoctetes percuſſus eſt, κέγχλώης enim qui & κενχρίτης & κέγχρις, & κέγχρος inuenitur potiſſimum in Samothracia & Lemno, quarum vtraque Inſula eſt in mari Mediterraneo ad oram Thraciam

sita teste Nicandro in Theriacis. Serpens est pessimus ita dictus à milio quod κέγχρον Græci dicunt, siue quod viridi colore sit & milium referente, siue quod ferocior sit cum milium floret. Ab eius morsu grauissima mala sequuntur, putrefactiones & vlcera toto corpore serpentia, qualia Sophocles describit. Is hodiéque à Lemniis Cenchritis appellatur, teste Bellonio, *lib.1. obseruat. cap.31.* quo loco eius speciem exhibet. Notum verò cur Philoctetes Herculis hæres appellatur, quomodo apud Ausonium Epigrammat.70. *Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas.* Illum enim Hercules rogum subiturus, arcu & sagittis donauit, quemadmodum Philoctetes ipse in Hercule Oeteo apud Senecam narrat. Propterea Lycophron Herculis arcum δράκοντα nominat, quod ipsum mercedis vice pro opera Herculi in rogo nauata Philoctetes acceperit. Hic enim δράκοντα cum Meursio pro quauis mercede interpretor.

VERS.257. *Nec lenius doleas.* De Telepho qui ab Achille armato vulnus in femore, ab inermi opem & medelam tulit historia nota ex Dicty Cretensi *lib.2.* Higyno *fab.101.* Smyrnæo *lib.4.* Libanio *orat. de laudibus Achillis.* Eustathio *in lib.1. Iliad.* Tzetze in Lycophronem. Scholiaste Aristophanis in Acharnenses. Darete Phrygio, qui ab aliis in re gesta dissentit, præter quos ita Plinius lib.25. cap.5. *Inuenit & Achilles discipulus Chironis quâ vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. Hac sanasse Telephum dicitur. Alij primam aruginem*

inuenisse

inueniſſe vtiliſſimam emplaſtris, ideóque pingitur decutiens eam gladio in vulnus Telephi. Alij vtroque vſum medicamento volunt. Item lib. 34. cap. 15. *Eſt & rubigo ipſa in remediis, & ſic Telephum proditur ſanaſſe Achilles, ſiue id æra, ſiue ferrea cuſpide fecit. Ita certè pingitur eam decutiens gladio.* Hinc prouerbio ceſſit *Achillis haſta*, vel *Achilleum vulnus*, cum auxilium ab eo petimus qui mali alicuius cauſa extitit. Porrò Ceruam Telepho vbera præbuiſſe tradunt Ælianus *lib.* 12. *cap.* 42. Pauſanias *in Arcadicis* & *Bœoticis*, Apollodorus *lib.* 2. Inde Telepho nomen.

VERS. 259. *Quique ab equo præceps.* Bellerophon, cui formoſa facies penè exitio fuit, calumniis appetito ab Antæa, quæ & Stenobœa Prœti vxore, quod ipſam de adulterio ſollicitatus reiecciſſet, ex Homero *Iliad.* γ'. Hinc & Horatius *lib.* 3. *Ode* 7.

Et Prœtum mulier perfida credulum
Falſis impulerit criminibus, nimis
Caſto Bellerophonti
Maturare necem refert.

Is Antææ calumniis liberatus, grauiſſimiſque periculis perfunctus, denique gener Prœti regníque ſocius ac particeps factus, his rebus omnibus elatus & Pegaſo fretus dicitur quid in cœlo eſſet, quidve ibi fieret explorare voluiſſe. Qua audacia offenſus Iupiter, œſtrum in Pegaſum immiſit, ita excuſſus equo Bellerophon in Lyciæ campos decidit, qui Alei ἀπὸ τῆ ἀλᾶσθαι, quod eſt errare dicti ſunt, quoniam in iis campis fracto ac debilitato

corpore errarit. Hæc Homeri Scholiastæ loco citato, Eustathius in Dionysium, Isacius Tzetzes in Lycophronem, aliique multi. Quo exemplo Pindarus vtitur *Isthm. ιδ'.ξ.* monens ne quis sibi immortalitatis spem proponat, cum simus mortales, vitæque multo breuioris quam vt Deorum sedem attingere possimus. Nec absimiliter Pindarus Latinus *lib.4. Ode 11.*

——— *Exemplum graue præbet ales*
Pegasus, terrenum Equitem grauatus
Bellephontem
Semper vt te digna sequare, &c.

Hinc & Tarson vrbem Ciliciæ nominatam existimat Dionysius Thrax, in iis quæ de Rhodo scripsit, quoniam πρόδ est pedis pars, & antiqui condita ciuitate Bellerophonteæ claudicationis extare monumentum voluerunt. Quoniam autem Bellerophon solus in campis Aleis errabat, & vt Homerus, ait ex versione Ciceronis lib.3. Tusc. *Ipse suum cor edens hominum vestigia vitans.* Ideò gentiles Bellerophontæum morbum Monachis exprobrabant, vt ex his Rutilij Numatiani versibus patet.

Processu pelagi iam se Capraria tollit;
Squalet lucifugis Insula plena viris.
Ipsi se Monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod soli nullo viuere teste volunt.
Munera fortunæ metuunt dum damna verentur;
Quisquam sponte miser ne miser esse queat!
Quænam peruersi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati?

Siue

Siue ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum aſſignauit Homerus
Bellerophonteis ſollicitudinibus.
Nam iuueni offenſo ſæui poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

Quamobrem Auſonius Pontij Paulini amici ſui ſeceſſum in Hiſpaniam adſcribit animi vitio, quo Bellerophon laboraſſe dicitur. Quod ipſe Paulinus vir ſanctiſſimus purgat in ſua ad eundem Auſonium Epiſtola, cum ait

——nec me vel coniuge carpas
Vel mentis vitio, non anxia Bellerophontis
Mens eſt.

Id quod Amyntorides videas, trepidúſque miniſtro
Prætentes baculo luminis orbus iter.
Nec plus aſpicias quam quem ſua filia rexit,
Expertus ſcelus eſt cuius vterque parens.
Qualis erat, poſtquam eſt iudex de lite iocoſa 265
Sumptus Apollinea clarus in arte ſenex.
Qualis & ipſe fuit, quo præcipiente columba
Et data Palladiæ præmia dúxque rati.
Quique oculis caruit per quos male viderat aurum,
Inferias nato quos dedit orba parens. 270
Paſtor vt Ætnæus, cui caſus ante futuros
Telemus Eurymides vaticinatus erat.
Vt duo Phineidæ, quibus idem lumen ademit
Qui dedit, & Thamyræ, Demodocíque caput.

COMMEN

COMMENTARIVS.

Cæci decem enumerati. Prætentare iter. προπέμπειν. Gualterus emendatus. Ætas Tiresiæ. Thamyras insanit.

VERS. 261. ID *quod Amyntorides.* His quatuordecim versibus cæci decem enumerantur, quorum infortunium Ouidius Ibidi suo vouet. Primus est Phœnix, quem cum Clytia pellice deprehensum Amyntor pater visu priuauit, postea sanatum à Chirone, ac deinde Achilli monitorem datum, Lycophron in Cassandra, & in eum Isacius Tzetzes, Apollodorus *lib.* 3. qui Phœnicem à Clytia falsò insimulatum ait, Ouidius ipse *lib.* 1. *de Arte.*

Fleuit Amyntorides per inania lumina Phœnix

Item Propertius *lib.* 2.

Tarda Philoctetæ curauit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phyllirides.

Homerus quidem *Iliad.* 1. Amyntorem filio diras imprecatum canit. Verum exoculationis non meminit, quam Tzetzes modò laudatus ἀλληγορικῶς exponit.

Prætentes baculo. Elegans verbum pro eo quod nos dicimus *aller à tastons*, quo Tibullus etiam vsus est *lib.* 2. *Eleg.* 1.

Et pedibus prætentat iter

Seneca *Oedipo.*

reptet

——— *reptet incertus via.*
Baculo senili triste prætentans iter.

Plinius lib.11.cap.28.de Cochleis, *Cochleis oculorum vicem cornicula bina prætentatu adimplent.* Græci quoque προτίμπειν eadem significatione dicunt. Artemidorus *Oneirocr. lib.1. cap.28.* διὰ τὸ ἐπίτιδες προτίμπειν τὰς χεῖρας τὰς πεπηρωμένους. *Propterea quod oculis orbati manus studiosè præferre easque subsequi solent.* Prudentius in pugna largitatis & auaritiæ vsus est verbo simplici *tentare* eadem notione, cum ait

——— *huic lumine adempto*
Effossisque oculis, velut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, pérque offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.

Et ante illum Phædrus *lib.3.fab.40.*

——— *tentant in tenebris caput.*

VERS.263. *Nec plus aspicias.* Oedipus parricida & incestus, vtpote qui Laium patrem occidit, Iocastam matrem in vxorem accepit, vnde cognitis criminibus, sibi oculos eruit, séque regendum tradidit Antigone filiæ suæ, reliquum vitæ inter suspiria & lacrymas acturus, Historia vtriusque linguæ theatris decantatissima, de qua nimirum Sophoclis & Senecæ Tragœdiæ extant.

VERS.265. *Qualis erat, postquam.* Tiresias Thebanus Eueris & Chariclûs filius, qui cum vtrumque sexum expertus esset, proindéque sumptus arbiter in lite iocosa inter Iouem & Iunonem, pro Ioue sententiam tulisset, ab offensa Iunone cæcitate mulctatus est. Iupiter

pro

pro lumine adempto, scire futura dedit pœnámque leuauit honore, vt canit Ouidius *lib.3. Metam.* Item enarrans, quæ cum turpis & obscœna sit meritò prætereunda est. Fabulam prodiderunt & alij multi, tum Phlegon Trallianus *lib. περὶ θαυμασίων cap.4.* Sed enim cæcitatis causam longè diuersam ab Ouidiana proferunt Callimachus εἰς λυτρὰ τ̃ Παλλάδ&, Nonnus *lib.5. Dionysiac.* Nempe quod Mineruam nudam conspicatus in Saturni legem peccasset, quâ cautum sit, vt quicunque inuitum Deum, aut Deam aspiciat is visu orbetur, quod & Propertio placuit *lib.4. Eleg.10.*

De lite iocosa. Geminus locus est *lib.3. Metamorph.* de eadem re.

Arbiter hic igitur sumptus de lite iocosa. Higynus *fab.75.* iocosam altercationem dixit. Martialis similiter *Epigram.20. spectac.* populi controuersiam de Myrino gladiatore & triumpho *iocosam litem* vocitauit. Ita quoque Philippus Gualterus *lib.1.* Alexandridos nobilem illam Dearum contentionem de pulchritudine *iocosam litem* appellauit his versibus, qui vulgò mendosissimi leguntur in hunc modum.

Dúmque vetustatis saltem vestigia quærit
Sedula præuenit fluuiali consita libro
Plebs, populus Senones vbi Mochitale notata.
Scripta latent Paridis teneríque leguntur amores:
Densa subest vallis, vbi litis causa iocosæ
Tractata est cum iudicium temerauit adulter.

Tu sic eos emenda M. S. authoribus.

Dúmque vetustatis saltim vestigia quærit,
Sedulus

Sedulus obiicitur fluuiali consita ripæ
Populus Oenones, vbi Mœchi falce notata
Scripta latent Paridis.

Gualterus enim de Alexandro loquitur, cui in Asiam profecto, & antiquitatis vestigia indaganti populus Oenones obuia facta est, in cuius cortice Paridis amores descriptos esse fingit Ouidius in Epistola ipsius Oenones ad Paridem, ad quam Gualterus allusit.

Clarus in arte senex. Senem vocat Tiresiam, quia septem ætates vixit teste Melampode apud Isaacium Tzetzen. Higyno, Lycophroni πέμπελος, Apollodoro *lib.* 3. πολυχρόνιος dicitur.

VERS. 267. *Qualis & ipse fuit.* Phineus Salmydessi in Thracia Rex, qui cum Orytthum & Crambin filios ex Cleopatra vxore suasu Diæ, siue Ideæ Nouercæ excæcasset, ipsi à Diis iratis eruti sunt oculi, & Harpyiæ immissæ, quæ cibos abriperent, mensam fœda colluuie infestarent, vti referunt Orpheus *in Argonauticis*, Apollonius Rhodius *lib.* 2. *Argonaut.* Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* 4. Apollodorus *lib.* 1. Eustathius *in Odyss.* 12. inter se diuersi. Verum Diodorus *lib.* 4. rem ἱστορικῶς narrat, Phineique & filiorum eius excæcationem Mythologicis adscribit. Phineus autem Argonautarum beneficio ab Harpyis liberatus ipsos monuit, vt columbam ducem sequerentur, vt apud eundem Apollonium videre est. Hinc Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 2.

Quâ rudis Argoa natat inter saxa columba,
In faciem proræ pinus adacta nouæ,

Cæterùm

Cæterùm Argo nauis Palladia dicta, quod ea Palladis consilio extructa esset.

VERS.269. *Quique oculis caruit.* Polymnestor Thracum Rex, quem Hecuba socrus ob trucidatum ab ipso Polydorum filium auri eius potiundi causa oculis exuit, eósque sic orba parens nato suo inferius dedit. Euripides in Hecuba. Ouidius ipse *lib.*13. *Metamorph.* neque enim Virgilius *Æneid. lib.*1. Polymnestoris excæcati meminit.

VERS.271. *Pastor vt Ætnæus.* Polyphemus, cui Telemus Eurymi filius oculum ab Vlysse erutum iri vaticinatur apud Homerum *Od. ff.*9. Quod ab Ouidio quoque narratur *lib.*13. *Metamorph.* his versibus.

Telemus interea Siculum delatus in æquor,
Telemus Eurymedes, quem nulla fefellerat ales.
Terribilem Polyphemon adit, luménque quod vnum
Fronte geris media rapiet tibi dixit Vlysses;
Risit, & ô Vatum stolidissimè falleris, inquit.

Appellatur autem Pastor Ætnæus, ex illa constanti veterum opinione, qui Polyphemum aliosque Cyclopas Ætnam tenuisse crediderunt; Verum Philippus Cluuerius Geographorum memoriæ nostræ facilè Princeps *lib.*1. *cap.*2. Item *lib.*2. *cap.*15. Siciliæ antiquæ, Polyphemi sedem ad Erycem montem, qui mons Drepani vulgo nominatur fuisse contendit; ex cuius sententia nescio, an Polyphemi cadauer fuerit quod effossum est ad radices Erycis anno M. CCC. XLII. vt infra dicemus ad

versum

versum 389. ex Ioanne Boccacio & Thoma Fazello. Theocritus autem *Idyll.*7. Polyphemum ad Anapum fluuium posuit.

VERS. 273. *Vt duo Phineidæ.* Orythus & Crambis Phinei & Cleopatræ filij, quos Pater falsis Nouercæ criminationibus adductus oculorum luce priuauit. Vt ex Orpheo, Apollonio, aliisque modo retulimus, quibus addendus ipse *lib.*1. *de Arte*, cum ait

Quid fodis immeritis Phineu sua lumina natis?
Pœna reuersura est in caput ista tuum.

VERS. 274. *Et Thamyræ.* Thamyras siue Thamyris à Musis excæcatus, quod ab iis in certamen vocatis superatus esset, vt Homerus scribit *lib.*2. *Iliad.* & Homerum secuti, Diodorus *lib.*3. Apollodorus *lib.*1. Statius *lib.*4. *Thebaid.* Hinc Adagium *Thamyris insanit*, in eos qui præter rationem aliquid facere videntur, de quo Suidas, Hesychius, Zenodotus. Verum longè diuersa de Thamyræ cæcitate narrant Pausanias in Messenicis, Eustathius in Homerum. Eius Theologiam extitisse, ait Suidas, tribus millibus versuum conscriptam, Hymnósque illius Plato cum Orphicis celebrat.

Demodocique caput. Fuit is Citharœdus insignis luminibus orbatus, quem Homerus *Odyss.*8. in Alcinoi Phæacum Regis conuiuio cytharam pulsantem inducit seipsum intelligens, vt quibusdam placet. Succurrit hoc locó meminisse Fidicinis cuiusdam oculorum luce priuati, nomine Tony, qui memoria nostra, Demodoci instar, ad mensam magni Lesdi-

guerij Franciæ Conneſtabilis tantum Heroa conterraneum ſuum, tum voce, tum ſambuca mirum in modum delectare ſolebat:

Sic aliquis tua membra ſecet, Saturnus vt illas
Subſecuit partes, vnde creatus erat.
Nec tibi ſit tumidis melior Neptunus in vndis,
Quam cui ſunt viſæ frater & vxor aues.
Solertique viro, laceræ quem fracta tenentem
Membra ratis, Semeles eſt miſerata ſoror.
Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognouerit vnus,
Viſcera diuerſis ſciſſa ferantur equis.
Vel quæ, qui redimi Romanos turpe putauit,
A Duce Puniceo pertulit, ipſe feras.

COMMENTARIVS.

Κρήδεμνον *quid.* ἄμπυξ *quid. Cabirorum ſacra. Corippi locus emendatus. Ouidius à Tiraquelli reprehenſione vindicatus. Metij Fufetij, & M. Reguli ſupplicia. Pœnicij.*

VERS. 275. *SIC aliquis.* Nicolaus Heinſius Danielis filius tanto patre digniſſimus, literis ad me ſcriptis putabat legendum, *Saturnius illas vt ſecuit partes*, & de Ioue

Ioue intelligendum ; ingeniosè suo more. Sed quia lectionem vulgatam, cum omnes editiones, tum scripti Codices agnoscunt, ab ea discedere mihi religio est : nam & Saturnum genitalia patri Cœlo demessuisse fabulantur, vel vno Cicerone teste, *lib. 2. de natura Deorum.*

VERS. 277. *Nec tibi sit tumidis.* Ceyx Thrachinis in Thessalia Rex, quem naufragio periisse, eiúsque fratrem Dædalianem in accipitrem, Alcyonen vxorem in auem sui nominis conuersos fusè canit Ouidius *lib. 11. Metamorph.* Aliter fabulam narrat Apollodorus *lib. 1.*

VERS. 279. *Solertíque viro.* Vlysses variis tempestatibus agitatus accepto quodam à Leucothea Semeles sorore velo liberatus est à præsentissimo naufragij periculo, & saluus ad Phæacum littus enatauit, vti describitur *Odyss. ε.* illud non vtique notum quid esset velum illud quod Homerus, & eum secuti Maximus Tyrius *sermone 2.* Isacius Tzetzes in Lycophronem κρήδεμνον vocant. Lycophron ἄμπυκα. Higynus *fab. 25. baltheum*, Ausonius in Periocha Homericha *calanticam*, alij aliter. Certè τῆ κρηδέμνῳ significationes Eustathius *in Odyss. ξ'.* docet esse non solum δεσμὸν κεφαλῆς, sed etiam καταπέτασμά τι παλαιόν. Scholiastes autem Euripidis exponens hunc locum in Hecuba. Ἀρτέμιδός τι διᾶς χρυσέαν ἄμπυκα, notat ἄμπυκα, propriè dici κόσμον τινα χρυσῷ ἢ λίθοις πεποικιλμένον, ὃν περὶ τὰς κεφαλὰς αἱ γυναῖκες φορῦσιν. Quam vocem Andreas Diuus *lib. 2. Iliad.* interpretatur *reticulum*, sicut etiam vertit Rodolphus Gual-

terus apud Pollucem *lib.5. cap.16.* Cæterum Eustathius κρήδεμνον enarrat φυλακτήριον, id est, amuletum, præsidium, & quasi antidotum aduersus mala, & figuratè φρόνησιν denotare putat, qua Vlysses cinctus sub pectore aduersis casibus restitit, quò minus succumberet. At Scholiastes Apollonij *ad lib.1. Argonaut. pagina* 44. editionis Stephaneæ hoc figmento ad τελέτας, id est, Cabirorum sacra in Samothracia allusum esse dicit, quibus quicumque initiatus erat, ille contra omnia pericula tutus esse credebatur; eius verba sunt, Καὶ Ὀδυσσέα δέ φασιν ὑμνημένον ἐν Σαμοθράκῃ χρήσασθαι τῷ κρηδέμνῳ ἀντὶ ταινίας, περὶ γὰρ τὴν κεφαλίαν οἱ μεμνημένοι ταινίας αὐτοῦσι πορφυρᾶ καὶ Ἀγαμέμνονα δέ φασι μεμνημένον ἐν ταραχῇ ὄντα πολλῇ κατὰ Τροίαν δι' ἀκαταστασίαν τῶν Ἑλλήνων παῦσα τὴν στάσιν πορφυρίδα ἔχοντα. Sed hoc postremum de Agamemnone apud Homerum nusquam reperitur. Quod autem incidit, vt de Vlysse meminerimus, corrigendus in transcursu Corippus Africanus *lib.3.* de laudibus Iustini minoris Augusti, vbi de vinis Ithacensibus.

Quæque ferunt veteres maturo robore vites,
Quas manibus propriis Ithacus plantauit Vlysses
Arce sub Ibalia Laëntia lumina seruans,
Nondum Trojani vitans discrimina belli.

Ad quem locum Michaël Ruizius Assagrius, *Carmen hoc ita corruptissimè legitur in Codice manuscripto. Patres vbi balia Lacertia lumina seruans. Quod nos nec emendare omnino potuimus, neque emendatum ab aliquo, & ad marginem ad-*

scriptum

ſcriptum placuit. Ita ſcilicet Arce ſub Acilia Lerneja flumina ſeruans. Thomas autem Dempſterus *Corrige*, inquit, *Oebalia claro ſenſu.* Imo verò nullo ſenſu, quaſi Oebalia quæ eſt Laconiæ regio Vlyſſis patria fuerit. Ego legendum arbitror ex veſtigiis Aſſagriani Codicis.

Quæque ferunt veteres maturo robore vites,
Quas manibus propriis Itachus plantauit Vlyſſes,
Pace ſub Idalia Laërtia limina ſeruans,
Nondum Trojani, &c.

VERS. 281. *Vel tua ne pœnæ.* Metus Fufetius Albanorum Rex, qui iuſſu Tulli Regis duabus quadrigis admotus ac diſcerptus eſt, quod ex præſcripto fœderis ad belli ſocietatem contra Fidenates vocatus, euntibus in hoſtem Romanis prælio ſuos eduxiſſet. Authores Liuius *lib.* 1. Plutarchus *Parall. cap.* 14. Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 3. Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. Author de viris illuſtribus *lib.* 4. Paulus Oroſius *lib.* 2. *c.* 5. Freculphus *Chron. lib.* 3. *cap.* 14. Et iis antiquior Varro *lib.* 1. de vita populi Romani apud Nonium in *diſtrahere.* Ex Poëtis Ennius his verſibus

Volturis in Siluis miſerum mandebat homonem
Heu quam crudeli condebat membra ſepulcro.

Virgilius *lib.* 8. *Æneid.* Ouidius ipſe *lib.* 1. *Triſt. Eleg.* 3. Claudianus *lib. de Bello Gildonico.* Sunt autem qui Naſonem ſubinde notant, quod ille Fufetium duntaxat hoc ſupplicij genere interiiſſe dixerit. *Plutarchus enim*, inquiunt, *dicit in Parall. etiam Pytæclimen Eubœæ Regem Herculę iubente à quadrigis fuiſſe dilaceratum.* Iidem

Liuium reprehendant, qui lib.1. de Fufetio scribens, *Auertere omnes*, inquit, *à tanta fœditate spectaculi oculos, primum vltimúmque supplicium exempli parum memoris legum humanarum fuit; in aliis gloriari licet nulli gentium mitiores placuisse pœnas.* Quem Liuij locum Nasonem hæc scribentem ob oculos habuisse non dubito. Constat enim Fufetium vnum apud Romanos hoc pœnæ genere cruciatum esse. Porrò Fufetius an Suffetius scribendum sit, à Francisco Robortello *Annot. lib. 2. cap. 42.* & Carolo Sigonio *emendationum, lib. 1. cap. 47.* tanquam pro aris & focis vltro citóque disputatum est. Cum enim Sigonius in Fastis Romanorum *Fufetius* dicendum annotasset in Robortelli aculeos incidit; qui quodlibet potius vadimonium deseruisset quam vllam reprehendendi illius occasionem. Mihi verior Sigonij scriptio videtur, quam Philandrus, & ante omnes, Pierius Valerianus *Annotat. in 8. Æneid.* commendauit.

Vers. 283. *Vel quæ qui redimi.* M. Attilius Regulus de quo Tullius lib. 3. de officiis, *Regulus primo bello Punico captus à Pœnis cum de captiuis commutandis Romam missus esset iurasset que se rediturum, primum vt venit captiuos reddendos in Senatu non censuit; deinde cum retineretur à propinquis & amicis ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.* Et Horatius *Ode 5. lib. 3.*

Hoc cauerat mens prouida Reguli
Dissentientis conditionibus

Fœdis,

Fœdis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in auum
Si non periret immiserabilis
Captiua pubes.

Et paulò pòst

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit.

Et sequentia, quibus nihil elegantius scribi potest. Ad supplicium quod attinet, sic etiam Tullius oratione in Pisonem, *Nec mihi ille M. Regulus quem Carthaginienses, resectis palpebris illigatum in machina vigilando necauerunt supplicio videtur affectus*, &c. Variant aliquantulum Seneca *Epist.* 68. & 99. Valerius Maximus *lib.9.cap.2.* Tuditanus apud Gellium *lib.6. cap.4.* Author de Viris Illustribus. Diuus Augustinus *lib.1.c.17.de Ciuitate Dei.* Florus *lib.2. cap.2.*

Vers.284. *A Duce Puniceo.* Nusquam memini me legere *Puniceo* pro *Pœno*, aut *Punico.* Ideo scribendum puto *Pœnicio* quomodo in vetustissima lege comperi quæ proximè tempora Punica scripta est in hunc modum. *Populeis libereis quei in Africa sunt, quei eorum in amicitiam Populei Romanei bello Pœnicio proximo manserunt.* Certè Festus notat *Punicos* dici non *Pœnicos*, quamuis à Phœnicibus oriantur.

Nec tibi subsidio sit præsens numen, vt illi 285
Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.

Vtque dedit saltus è summo Thessalus Ossa,
Tu quoque saxoso præcipitere iugo.
Aut velut Euryali, qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus anguibus esca tui.
Vel tua maturet, sicut Minoïa fata,
Per caput infusæ feruidus humor aquæ.

COMMENTARIVS.

Diuersa de morte Priami. Præsens numen variè acceptum. Iurare per præsentes Deos quid. Ara Iouis Hercei in mediis ædibus sub Dio. Ad vexatissimum Ouidij locum variæ sententiæ.

VERS. 285. *NEC tibi subsidio.* Priamo scilicet à Neoptolemo Achillis filio ad aram Iouis Hercei obtruncato, vt scribunt Euripides *in Troadibus*, Tryphiodorus ἐν Ἰλίου ἅλωσι, Dio Chrysostomus *Orat.* 11. Pausanias *in Messenicis*, & *Corinthiacis*. Ex Latinis Virgilius *lib.* 2. *Æneid.* Seneca *Agamemnone*. Sed enim Leschæus apud eundem Pausaniam *in Phocicis* prodidit, Priamum non fuisse trucidatum ad aram Iouis Hercei, sed inde abstractum, cum pro Regiæ foribus obuiam Neoptolemo factus esset, ab ipso iugulatum. Seruius item diuersa narrat; Lycophron vero Cassandram inducit vaticinantem fore, vt Priamus

mus ad aram Iouis Agamemnonij accideretur. Quamobrem Lamb. Hortensius Lycophrona reprehendit, quasi verò Poëtis epitheta confundere moris non esset.

Sit præsens numen. Præsens numen varias acceptiones habet. Interdum enim sumitur pro fauente & propitio, vt apud Virgilium *Egloga* 1.

Nec tam præsentes alibi cognoscere Diuos.

Aliquando præsens dicebatur is cui viuenti sacra fiebant. Sic Horat. *lib.* 3. *carminum.*

Cœlo tonantem credidimus Iouem
Regnare, præsens, Diuus habebitur
Augustus.

Et alibi.

Præsenti tibi diuinos largimur honores.

Tacitus lib. 15. *Ara & fanum exuruntur quæ præsenti Herculi Euander sacrauerat.* Denique præsens Deus ille dicitur, qui adest. Ita Virgilius *initio Georg.*

Et vos agrestum præsentia numina Fauni.

Quia Fauni versari credebantur inter Syluas, & plerumque inter agrestes. Ouidius hoc loco præsens numen dixit, propter eius statuam, quemadmodum Curtius lib. 6. *Et ille ratus nihil, quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum per præsentes Deos iurat.* Est enim per præsentes Deos iurare, cum quis tactis altaribus & simulacris iurat.

Cui nihil Hercei. Herceus Iupiter cognominatus, quod eius aræ in septo ædium erectæ essent. Septum enim Græci ἕρκος dicunt, vt

Harpocration scribit. Ara autem illa Iouis Hercei ad quam Priamus occisus est in mediis ædibus in impluuio erat sub dio Græcorum more, Athenæo teste. Eamque sic Maro describit

Ædibus in mediis, nudóque sub atheris axe,
Ingens ara fuit, iuxtáque veterrima laurus.

In qua sacratum fuisse ignem peruigilem & perpetuum Adrianus Turnebus *in Aduersariis* recte suspicatur, ex hoc eiusdem Maronis versu.

Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes.

Dionysius Halicarnasseus *in primo Historiarum*, existimari ait ab aliquibus, Herceos Deos esse qui & Patrij & Genethlij vocantur; Latini Penetrales & Penates vocant.

VERS. 287. *Vtque dedit salsus.* Interpretes omnes hoc loco faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant; Domitius enim *Hæmon*, inquit, *filium habuit Thessalum, qui cum Thessaliam imperio teneret, ab Eurydo aduena, nam erat Corcyræus, ex Ossa monte præcipitatus est, necato etiam Nesone filio, à quo Nesonius lacus dictus est, vt scribit Strabo.* Nos id demum crediturí sumus, cum proferetur aliquis quo satis idoneo stetur authore: Zarottus autem *Thessalus*, ait, *Thessaliæ Rex Eonis ex Eurypyles filia Chalciope filius, vt tradit Porphyrius è monte Ossa à suis est præcipitatus.* Hoc etiam Zarotti commentum est. Quapropter Andreas Alciatus quem merito Andreas Tiraquellus eruditionis admirandæ virum appellat notis, *in lib. 10. Cod. de excusat artific.*

artific. de hoc loco disserit; *Plutarchus & Apollonij Interpres Tharræus diuinatricem quandam Aglaonicen Egemonis Thessali filiam, cum in Ossa monte coitus Lunæ obseruaret in iudicio conuictam à mulieribus existimantibus ab ea Lunam cœlo deduci, grauissimo affectam supplicio tradunt, & ex Ossa præcipitem datam. Quam fabulam, seu historiam mauis, tetigit Ouidius in Ibin, Vtque dedit saltus è summo Thessalis Ossa, sic enim legendum non Thessalus, vt Interpretes crediderunt, qui dum Poëtam hunc non intelligunt, vana quædam sunt commenti.* Hactenus Alciatus, cuius conscientiam imploro; nam me Dij Deæque magno mactassint malo, si Plutarchus & Apollonij Scholiastes de huiusmodi Aglaonices nece mẽtionem vllã fecerint. Vt ita se res habeat, ecce tibi Plutarchi verba ex libro cui titulus Γαμικὰ παραγγέλματα, *pag.* 252. *Edit. Stephanæ,* Ἀστρολογίας μὴ ἀνηκόως ἔχουσα καὶ περὶ Ἀγανίκης (legendum indubiè Ἀγλαονίκης) τῆς Ἡγήτορος τοῦ Θεσσάλου θυγατρὸς, ὅτι τῶν ἐκλειπτικῶν ἔμπειρος οὖσα παντελήνων, καὶ προειδυῖα τὸν χρόνον ἐν ᾧ σωμβαίνει τὴν σελήνην ὑπὸ τῆς σκίας ἀλίσκεσθαι παρεκκρούουσα τὴν σελήνην. *Quippe non rudis Astrologiæ, & quæ auditu perceperit quo pacto Aganice filia Hegetoris Thessali perita pleniluniorum, in quibus deficit lumine Luna in vmbram illapsura foret, imposuerit mulieribus, persuaritque se Lunam detrahere.* Idem *lib.* περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, *pag.* 741. Ἀλλ' ἐκείνων μὲν ἐν γυναιξὶ τὸ πανοῦργον ἔσχε πίστιν, Ἀγλαονίκης τῆς Ἡγήτορος (Apollonij Scholiastes Hegemona vocat) ὥς φασιν, ἀστρολογικῆς γυναικὸς, ἐν ἐκλείψει σελήνης ἀεὶ

προποιουμένης γοητεύειν καὶ καθαίρειν αὐτήν. *Sed illarum calliditas in vulgus mulierum fidem ex eo inuenit, quod Aglaonice Hegetoris filia siderum perita, vt aiunt, in Lunæ laboribus semper eam fingeret suis veneficiis & cantationibus deduci.* Eadem ferè leguntur apud Apollonij Scholiasten *in lib.4. Argonaut. pag.*177. nulla mentione facta de Aglaonices interitu. Quare non satis mirari possum, & est sanè cur mirer, hoc Alciatum tantùm virum affingere, & ita lectoris credulitatem ludificari. Quod, ita viuam, non indicassem, nisi periculum esse vidissem, ne quis præiudicata de hominis doctrina opinione fretus, ne quærendum quidem amplius existimaret, verum esset an minus. Longè alia est Francisci Sanctij enarratio, quæ mihi niue Gallica, vt dicitur, frigidior videtur, *Ego*, inquit, *donec aliam interpretationem inueniam meliorem, hanc obtrudo. Quemadmodum, inquit, altissimus Ossa mons fuit ab Olympo diruptus & præcipitatus, sic tu quoque præcipiteris ab alio excelso montis iugo.* Ideò verò Sanctius Ouidium sic interpretatus est, quia teste Strabone *lib.9.* terræ motibus abrupta sunt antiquitus, quæ nunc Tempe vocantur, & ab Olympo abscissus Ossa. Postremus omnium Claudius Bartholomæus Morisotus Diuionensis *Epist.66. Centuriæ primæ*, quæ ad me ipsum scripta est, hunc locum Ouidij cum sequenti disticho enucleare sibi visus est in hunc modum. *Magico velut carmine veteres Thessaliæ Reges ad vitam reuocabo, vt duobus distichis lumen faciam. Deucalionis & Pyrrhæ filius*

Æmon;

Æmon; illi parti terrarum quæ Parnasso, Pindo, Othry, & Ossa montibus concluditur nomen dedit. Eandem Thessalus de patris aviæque nomine Æmoniam & Pyrrhæam vocavit. Scribit Strabo sub finem lib. 9. Geographiæ Nesonem Thessali filium fuisse, quem Euryalus Thessalis debellatis occidit, invasoque regno paludi Limosæ Nesonem immersit, quæ inde Nesonia appellata. Quo facto Nesonis patrem Thessalum captum Euryalus è montis Ossæ iugo præcipitem dedit, unde proverbium Thessali saltus. Quod miror doctissimum Virum Turnebum Adversar. lib. 27. cap. 29. de saltu Achillis de navi in terram Trojanam intellexisse. Post has cædes, Euryalus Thessaliæ regno potitus, furiis agitantibus reum in Stygiam paludem se misit, ubi à serpentibus devoratus est. Hinc lux fit sequentibus distichis vtque dedit saltus, &c. Enimverò præclarè omnia, si authorem Strabonem haberent, apud quem nihil de Thessalo ex Ossa deturbato, nihil de Euryalo. Quamobrem amplius quærendum. Extaret Callimachi Poëmation in Ibin, facilia, vt puto, omnia & expedita essent hæc Ouidiana, sed hoc optare est.

Vers. 289. *Aut velut Euryali. Euryalus Iouis filius*, inquit vetus Interpres, *quia filiam suam stuprare voluit, à serpentibus absumptus est, quod Gallus tangit.*

Ionides vti cupiens pro coniuge nata
Vinum causa fuit anguibus esca datur.

Idem apud Zarottum, neque enim codex meus hoc habet, Euryalum Thessali successorem significa

significari scribit, qui cum inferorum sacrificia neglexisset, ab anguibus Eumenidum deuoratus sit. Vtrumque sine authore. Nihil mihi præterea à lectum apud veteres, quod huic loco fax esse possit.

VERS. 291. *Vel tua maturet.* Minos Dædalum in Siciliam classe persecutus à Cocali filiabus aqua feruente subito refrigerata perfusus interiit, vt scribit Ioannes Tzetzes *Chiliade* 1. *hist.* 19. rem ἀλληγορικῶς exponens. Zenobius calidæ loco picem infusam tradit. Paulo aliter Diodorus *lib.* 4. *Biblioth.* Verum Athenæus *lib.* 1. *Deipnosoph. cap.* 8. prisci moris fuisse tradit, vt honestæ Virgines aduenientium hospitum pedes lauarent, quamobrem Cocali filias occasione publici moris vsas esse, vt Minoa interficerent. Obiter etiam Minois à Cocali filiabus occisi meminere Conon apud Photium, *narrat.* 25. Pausanias *in Achaicis*, Silius Italicus *lib.* 14. Eusebius *in Chronicis*. Nulla autem mentio Cocali filiarum apud Herodotum *in Polyhymnia*, & Plutarchum *in Theseo*, tametsi Minoæ cædis haud immemor. Porrò *maturare fata* dictum, quomodo *maturare mortem* apud Ciceronem *pro Cluentio*, Æmilium Probum *in Chabria*. Item *maturare necem* apud Horatium *Ode* 7. *lib.* 3.

Vtque parum mitis, sed non impune Prometheus,
Aerias volucres sanguine fixus alas.

Aut

Aut velut Etracides magno ter ab Hercule quintus,
Cæsus in immensum proiiciare fretum.
Aut vt Amyntiadem turpi dilectus amore
Oderit, & sæuo vulneret ense puer.
Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
Quàm qui cornigero de Ioue natus erat.

COMMENTARIVS.

Distichon Ouidio adiudicatum. Reiectæ interpretationes Hartungi & aliorum. Hercules magnus appellatus proprio epitheto. Philippi Macedonum Regis & Alexandri Magni interitus. Qua de causa Vicecomites Mediolani Principes viperam pro insigni sumpserint. Nectanebor Ægypti Rex, Amnon Corniger.

VERS. 293. *VTQVE parum mitis.* Prometheus Caucaso affixus, vbi iecur eius perpetuo renascens Aquila depascitur, quod ignem à Ioue occultatum subduxisset, & hominibus distribuisset. Fabula nota ex Hesiodo, Æschylo, & aliis passim. Parum mitis ab Ouidio dicitur, quia vt ait Horatius *Ode 3. lib. 1.*

Post

Post ignem atheria domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Sanctius legendum putat *parum μῆτις* non *mitis*, id est, parum prudens, aut parum Prometheus. Μήτιμα enim apud Græcos est consilium, prudentia, consultatio, & Iupiter sæpè apud Homerum vocatur Μητίετα Ζεύς. Sed hoc Sanctij putidum est, & φορτικόν. Verum hi duo Nasonis versus expungendi mihi videntur, tum quod absunt à membranis San-Victorianis optimæ notæ, tum quod eadem imprecatio repetitur elegantius ad *versum* 545.

Vers. 295. *Aut velut Etracides.* Ioannes Hartungus præclarè de hoc loco sibi meritus videtur, cum *Decuria* 2. *cap.* 7. §. 2. ipsum exponit hoc modo, *Quod Poëma omnium obscurissimum est, Scholiographi mirè tergiuersantur, neque explicant se tamen, quid sit quod ait. Aut velut Aracides. Hic dum asserunt portentosa quædam interpretes alij, reliqui dissimulantes transeunt, nihil lucis accedit. Est autem ille Atracides Cæneus, qui decimus quintus post Herculem recitatur inter αὐτόχειρας. Hyginus enim sedecim enumerat, qui violentas manus sibi intulerunt, de quibus Hyginus cap.* 242. *consulatur. Et sunt hæc eorum nomina Ægeus, Euenus, Ajax, Lycurgus, Macareus, Agrius, Menœceus, Nisus, Clymenus, Hercules, Cyniras, Adrastus, Hipponeus, Pyramus, Oedipus, & Cæneus. Hunc Atracidem vocat Poëta ab vrbe Thessaliæ*

Theſſaliæ quæ Atrax dicta eſt, de qua Stephanus & Euſtathius. Legitur autem corruptè in omnibus exemplaribus Etracides, quod annotatum & emendatum à me alibi eſt. Quæ menda fortaſsè nebulas offudit Commentatoribus quò minimè ſe expedirent. Hactenus Hartungus, cuius coniecturam mordicus arripuit Valerius. Ego illam contrà leuiorem exiſtimo, quam vt refelli debeat. Enimverò non video quomodo Cæneus inter *αὐτόχειρας* decimus quintus poſt Herculem numeretur, cum ſeptimus duntaxat ab illo ſit. Imo longè ante Herculem ſibi manus attuliſſe traditur. Nam hoc ordine referuntur ab Higyno. Ægeus, Euenus, Ajax, Lycurgus, Macareus, Agrius, Cæneus, Menœceus, Niſus, Clymenus, Cyniras, Hercules, &c. Quos aliter recenſere putauit Hartungus è re ſua eſſe. Deinde verba illa *Caſus in immenſum* euincunt Atracidem illum quiſquis eſt ab alio quàm à ſemet interfectum, & in mare proiectum. Vt non dubitem per decimum quintum ab Hercule aliquem de ſtirpe illius intelligendum. Æquè futilis mihi videtur Sanctij expoſitio, quam vt ſtabiliat legit *Æthracides*, vtique perperam: *Æthrides* enim dicendum eſſet, ſi patronomycon ab Æthra duceretur, vt ipſe vult. Quin etiam τὸ *Caſus* in *Cæcus* mutat. Quod autem ſequitur *magno ter ab Hercule quintus*, enarrat hoc modo Sanctius, id eſt, *qui quintus Hercules vocatus eſt, poſt ter magnum illum Herculem* Nugæ. Claudius Bartholomæus Moriſotus Epiſtola ad me ſcripta quæ eſt 67. earum quæ Diuione prodie-

runt, pro *quintus* legit *raptus*, & de Lycha ab Hercule in Euboicum fretum præcipitato hunc locum interpretatur. Perperam itidem, quia mors Lychæ tangitur infrà *versu* 493. Dices, tu quidem aliorum interpretationes confutas, nihil ipse profers in medium, quod magis ad Ouidium intelligendum conducat, ita est profectò, sed eas conniuentibus oculis præterire, id vero esset studiosos remorari, quo minus & ipsi pro sua parte Nasonem explanare conarentur.

Magno ter ab Hercule. Herculem magnum appellat proprio epitheto. Virgilius *lib.*6.

Quid Theseа, magnum
Quid memorem Alcidem.

Et *lib.*8.

Forte die solemnem illo Rex Arcas honorem
Amphitrioniadæ magno. Diuisque ferebat.

Arnobius *lib.*1. contra gentes. *Nonne ipsum Herculem magnum sacrificiis, hostiis, & thure inuitatis incensò?*

VERS.297. *Aut vt Amyntiadem.* Philippum Amyntæ filium Macedonum Regem, eundémque Alexandri Magni patrem nuptias Cleopatræ filiæ & Alexandri Epirotarum Regis celebrantem Pausanias nobilis ex Macedonibus adolescens obtruncauit, diémque lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris fecit. *Hic Pausanias*, inquit Iustinus lib.9. *primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat, cuius indignitati hæc etiam fœditas accesserat, nam perductum in conuiuio solutúmque mero Attalus, non*

sua

sua tantum, verùm & conuiuarum libidini velut scortum vile subiecerat, ludibriúmque omnium inter coæquales reddiderat. Hanc rem ægrè ferens Pausanias querelam Philippo sæpè detulerat, cum variis frustrationibus non sine risu differretur & honoratum insuper ducatu aduersarium cerneret, iram in ipsum Philippum vertit, vltionémque quam aduersario non poterat ab iniquo iudice exegit. Videndi præterea Diodorus *lib.* 16. Aristoteles *lib.* 5. *Politic.* Plutarchus *in Alexandro.* Huius autem loci principem expositionem sibi vindicat Baptista Pius ille Bononiensis, qui temporibus suis inanis iuuentutis Cymbalum fuit, vt de ipso loquitur Scaliger, *in Ausonianis lectionibus*, tametsi Vrceus Codrus *sermone* 1. illam ante Baptistam Pium publicauerit.

Vers. 299. *Nec tibi fida magis.* Alexander Magnus, de cuius interitu magna inter veteres controuersia est. Ouidius iis assentitur, qui veneno sublatum prodidere. Consulendi Plutarchus, Arrianus, Curtius. Item Iustinus *lib.* 12. Diodorus Siculus *lib.* 17. & obiter locuti Pausanias *in Arcadicis*, Cornelius Nepos, vbi de Regibus, Plinius *lib.* 30. *cap. vltimo.*

Vers. 300. *Quam qui cornigero.* Alexander humano fastigio non contentus, vt Curtij verbis vtar, Hammonem Iouem sui generis authorem, aut credebat esse, aut credi volebat, eúmque sub specie serpentis Olympiadem matrem compressisse palam dicebat. Ideo Volucem Saracenorum ducem, qui se prognatum Alexandro prædicabat: draconem puerum

egerentem pro insigni tuliſſe proditum eſt. Eoque nonnullos, Mediolanenſium inſignium originem referre ſcribit Paulus Iouius *in Præfatione ad duodecim Vicecomitum Mediolani Principum vitas*, his verbis : *Cæterum Otho iam duobus aſperrimis ad Niceam atque Orontem prælijs ſpectatæ virtutis famam conſecutus, oppugnante demum Hieroſolymas Gothofredo glorioſa totius exercitus acclamatione coronam promeruit, cum Volucem Saracenorum ducem medio in campo ad ſingulare certamen fortiſſimum quemque ex Chriſtiana acie prouocantem, ipſe vnus ante alios nihil immanis barbari ferocia, vel terribili inſignium armorum ſpecie permotus fortiter atque feliciter deuicit, retulitque de confoſſi hoſtis galea opimum plenúmque immortalitatis gloria ſpolium, auratam ſcilicet viperam, inexplicatis ſpiris minaciter à cono cuſpidis erectam, & puerum paſſis manibus deuorantem. Quod vnum auſpicatæ virtutis argumentum, non modò gentilitiæ laudis geſtamen fuit, ſed & poſteris id inſigne audacter vſurpantibus, & imperia & opes & latè gloriam portendit. Fuere qui exiſtimant Volucem ex ſtirpe Alexandri Magni progenitum tuliſſe pro inſigni viperam ex Olympiadis fabulâ puerum parturientem, quod ea à Ioue ſe compreſſam fuiſſe draconis imagine prædicaret.* Ioſephus Iachiades Hebraïcus Scriptor *in c.* 8. *Danielis*, §. 5. pro Ioue Alexandri Magni patre ſubſtituit Ægypti Regem, cui nomen facit Nectanebor. Corniger autem dictus Hammon ſiue Ammon, Græcis Κεραστόφορος, quod arietino capite fingeretur. *Iupiter enim*, ait Minu-

tius

tius Felix in Octauio, *cum Hammon dicitur habet cornua, & cum Capitolinus gerit fulmina.* Videndus Gyraldus *Syntagmate 2. Historiæ Deorum.*

Morte vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer aurifera teſte pependit aqua.
Aut vt Achilleidæ cognato nomine clarum,
Opprimat hoſtili tegula iacta manu.
Nec tua quam Pyrrhi felicius oſſa quieſcant,
Sparſa per Ambracias quæ iacuere vias.
Natáque vt Æacidæ iaculis moriaris adactis,
Non licet hoc Cereri diſſimulare nefas
Vtque Nepos dicti noſtro modo carmine Regis,
Cantharidum ſuccos dante parente bibas.

COMMENTARIVS.

Ouidianos interpretes Franciſco Patritio impoſuiſſe. Achæ ſupplicium. Hiſtoriæ quatuor ex Æacidarum gente. Ouidius emendatus. Idem explicatus contra Caſaubonum, Corradum, Reineccium. Idem rurſus expoſitus, reiecto veteris interpretis, Zarotti, & Tiraquelli figmento. Cantharides.

VERS. 301. *MORTE vel intereas.* Principes huiuſce Poëmatij enarratores Franciſcum Patritium Pontificem Caietanum in id erroris induxerunt, vt ipſe quoque *lib. 4. de Regis Inſtitutione, tit. 9.* ita de Achæo ſcripſerit. *Achæus Lydiæ Mœoniæque Rex, gentilitio auaritiæ crimine ardebat. Is ſiquidem crebra ac grauia populis tributa ſemper imperabat, in quibus exigendis ſæuus, improbus atque inexorabilis erat. Verum cum tantam iniuriam diutius populi ferre nequirent, nocturna teſſera inter ſe data ſubito hominum concurſu illum cum omni familia trucidauerunt, & Regia incenſa eius cadauer vnco tractum in Pactolum flumen demerſerunt, vt auriferas aquas ſemper potaret.* At Patritius alium, quam Ouidianos Interpretes, aut eiuſdem notæ Scriptores

ptores authorem proferat, & incomparabilis Historici palmam feret. Tu Achæum intellige Andromachi filium, qui cum vniuersam cis Taurum Asiam imperio suo regeret, à Bolyde & Cambylo proditus, & ad Regem Antiochum adductus crudelissimo supplicio affectus est, vt à Polybio *lib.8. pag.528. edition. Casauboni*, describitur his verbis: Καθίσαντος δὲ τοῦ συνεδρίου, πολλοὶ μὲν ἐγίγνοντο λόγοι περὶ τοῦ τίσι δεῖ κατ' αὐτοῦ χρήσασθαι τιμορίαις, ἔδοξε δ' οὖν πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν παλαίπωρον, μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποταμόντας αὐτοῦ, καὶ καταῤῥάψαντας εἰς ὄνειον ἀσκὸν ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα. *Postquam in consilio Proceres sederunt, variæ de supplicio illius fuerunt dictæ sententiæ. Demum placuit primùm vt extremis membris miser mutilaretur, deinde vt post caput amputatum atque vtri asinino insutum truncus in crucem tolleretur.* Sic Achæus supremum diem obiit. Exemplum posteris duobus modis vtile, inquit Polybius, Primum vt nemini temerè esse credendum discamus: Deinde rebus lætis vt spiritus ne attollamus, sed vt homines humani à nobis nihil alienum putemus. Vult autem Naso Achæum non in ipso Pactolo suspensum, sed iuxta eum atque illo quasi arbitro & inspectante. Is enim fluuius est iuxta Sardes, vbi hæc gesta. Plutarchus *lib. de fluminibus.* Πακτωλὸς ποταμός ἐστι τῆς Λυδίας, καὶ τὸν πόλιν Σάρδεις Atque hanc esse Poëtæ mentem primus vidit Interpres vetus, & post eum Zarottus, sed quasi per nebulam. Et omnino Paulus Leopardus *emendationum, lib.1. cap.20.* Ideo non

erat, quò Iustus Lipsius principem sibi huius loci explanationem tribueret. Valeat autem Alciatus cum sua illa explicatione quam *lib.7. cap.24. Parergon Iuris* in medium protulit.

VERS.303. *Aut vt Achilleidæ.* Sequentibus octo versibus quatuor historiæ tanguntur ex Æacidarum gente petitæ. Hoc disticho Pyrrhus Epirotarum Rex intelligitur, quem Argos oppugnantem atque inter confertissimos violentissimè dimicantem, anus quædam testâ de tecto in caput eius deiectâ interemit, vti scriptum est à Plutarcho *in eius vita*, Polieno *lib.8. stratagem.* Strabone *lib.8.* Pausania *in Atticis.* Verùm Cornelius Nepos *cap. de Regibus*, loco testæ lapidem, Iustinus *lib.25.* Orosius *lib.4. cap.2.* saxum dicunt. Rescripsi verò *Achilleidæ*, pro eo quod in omnibus libris habetur *Achilleiden.* Nasonis enim votum est, vt Ibis ictu tegulæ intereat, quemadmodum is qui nomine eodem claruit, quo Achilleides, nimirum Pyrrhus Achillis filius. Dictum est autem *cognato nomine*, quoniam Pyrrhus Epirotes paternum genus ad Achillem referebat.

VERS.305. *Nec tua quam Pyrrhi.* Neminem eruditioni suæ nimium confidere oportet, cum præclaros ac principes viros in locis Authorum declarandis interdum à vero aberrare videamus, vt hoc loco multi certè grauissimæ authoritatis homines aberrarunt. In his, Isaacus Casaubonus & Sebastianus Corradus, quorum hic Commentariis in Virgilium, ille *Animaduersionibus in Suetonium*, hoc distichon de

magno

magno illo Pyrrho Epirotarum Rege perperam interpretantur. Siquidem illius ossa aureâ vrnâ inclusa Epirum in patriam ab Antigono missa esse tradit Valerius Maximus *lib.5. cap.1.* Plutarchus autem, & Author *de viris Illustribus* magnificè ab eo sepulta fuisse referunt, tantum abest vt ea per Ambraciæ vias insepulta iacuerint, quomodo ipsi nobis imponunt. Æquè fallitur Reinerus Reineccius, qui in descriptione Regni Molossici *pag.559. Syntagmate de familiis*, hunc locum de Pyrrho tertio, Tigridis amatore capiendum existimat. Ouidius enim non alium quam Pyrrhum Neoptolemum Achillis filium intelligit, cuius Ossa per fines Ambraciæ sparsa esse narrat Higynus *fab.123.* quod ante nos Micyllus obseruauit. Certè Pausanias ait violatam à Lysimacho Regum Epirotarum sepulturam, sed vt interim refutet Hieronymum Cardanum qui etiam ossa Regum disiecta fuisse scripserat.

Vers.307. *Natáque vt Æacidæ.* Hæc est Laodamia Æacidæ, vel vt aliqui malunt Pyrrhi Epirotarum Regis filia, quam Pausanias *in Messenicis*, & Polyænus *lib.8. Stratagem.* Deidamiam vocant, quæ cum in aram Dianæ confugisset, concursu populi interfecta est, *quod facinus*, inquit Iustinus lib.28. *Dij immortales assiduis cladibus gentis & propè interitu totius populi vindicauerunt. Nam sterilitatem famémque passi & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis penè consumpti sunt, Miloque Laodamiæ percussor in furorem versus nunc ferro, nunc*

saxo, in summa dentibus laceratis visceribus duodecima die interiit. Polyænus etiam ad ædem Dianæ quam Ηχμόνα vocat à Milone iugulatam prodit. Ideóque Parrhasius *Epist.* 48. existimat Nasonem obsecutum carmini, Deæ nomen mutasse, & pro Diana, Cererem dixisse. Abstemius autem *Annotationum variarum, cap.* 3. sic interpretatur, vt Diana sit eadem, quæ Luna, rursus Luna, eadem quæ Ceres ex Stoicorum sententia, quam secutus Virgilius *primo Georg.* cecinerit

——Vos, ô clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Proinde nihil mirum, si Naso Cererem pro Diana dixerit, cum eadem Dea modo Diana, modo Ceres appelletur. Ego tum Parrhasium, tum Abstemium ab huius loci vero sensu aberrare puto, mihíque videtur Ouidius cædis Laodamiæ, siue Deidamiæ Cererem insimulare, eò quod Ceres Æacidis semper infesta fuerit, à qua etiam sumpta muliebri figura, magnum Pyrrhum tegula occisum Pausanias *in Atticis* memoriæ prodidit.

VERS. 309. *Vtque Nepos dicti.* Sunt mera somnia, quæ vetus Interpres, item Zarottus & post eos Andreas Tiraquellus *in nonam legem connubialem, num.* 101. de Nereide Gelonis vxore narrant, quæ Magnetem filium turpiter adamans, eum refugientem cantharidum veneno sustulerit. Iustinus enim, qui *lib.* 28. Gelonis & Nereidis meminit, hac de re ne verbum quidem,

dem, eam sine dubio non omissurus, si res ita se haberet quomodo se habere cõmenti sunt. Mihi Pyrrhus ille designari videtur, qui tertius est ab eo, cuius res in Italia gestæ memorantur. Hic enim magni Pyrrhi nepos fuit. Prætereà Olympias mater eius, vel auia, vt nonnulli volunt, Tigridem puellam Leucadiam eius concubinam *φαρμάκοις ἀπέκτεινεν, veneno sustulit*, inquit Athenæus *lib.* 13. *pag.* 575. Editionis Casauboni, vt suspicer Pyrrhum vna cum Tigride amica sublatum esse. Quam certè coniecturam magno illi Carthusianorum Anachoretarum Antistiti Carolo Affringuæo seni sanctissimo, vt in eo Ordine, paritérque doctissimo, atque harum rerum idoneo æstimatori memini perplacere, cum istas meas Obseruationes cum eo communicarem.

Vers. 310. *Cantharidum succos.* Cantharides parua sunt animalia, varia, luteis lineis quas in pennis transuersas habent, quorum à potu accidunt asperrima omnium & difficillima symptomata, sed maximè infesta sunt renibus & vesicæ cúmque his ex professo inimicitias exercere videntur. Cantharidum autem venenum in qua parte sit non conuenit. Alij in pedibus & capite existimant esse. Alij negant. Inter omnes constat pennas earum auxiliari in quacumque parte sit venenum. Ipsæ nascuntur ex vermiculo in spongia maximè cynorrhodi, quæ sit in caule, sed fœcundissimæ in fraxino. Calefaciunt & siccant excessu quarto, vrunt, erodunt, mordicant, putrefaciunt.

Cicero

Cicero *lib.9.Epist.21 ad Papirium Petum*, scribit Cajum quendam accusante L. Crasso cantharidas sumpsisse.

Aut pia te cæso dicatur adultera, sicut
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.
Inque pyram tecum carissima pignora mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.
Vique Iouis Libyci templum violare parantis,
Acta Noto vultus condat arena tuos.
Vique necatorum Darei fraude secundi,
Sic tua subsidens deuoret ossa cinis.

COMMENTARIVS.

Locus Ouidij nondum enucleatus. Sardanapali mors. Idem Conos Concolorus appellatus. Exercitus Cambysis arena obrutus. Darei crudelitas. Elegans verbum apud Nasonem restitutum. Subsidere. Subsessæ. Subsessores *quid.*

VERS.311. *AVT pia te cæso.* Vetus Interpres in hunc locum, *Leucon unus ex Ponticis Regibus Spartacum fratrem suum inter*

interfecit provocatus ab vxore sua, quam quum vellet adulterare Leucon, ab ea interfectus est. Vnde Arion.

Leucon occidit fratrem pro coniuge, eúmque
Coniux, sic causa cadis vtriſque fuit.

Fides esto penes Authorem. Certè Diodorus *lib.*14, item Strabo *lib.*7. Leuconem Cimmerij Bosphori Regem, eundémque Spartaci patrem fuisse prodiderunt. Quod autem Valerius Andreas asserit Ponti Reges Leucones appellatos, vereor vt Strabonem Authorem suum intellexerit.

VERS.313. *Inque pyram tecum.* Nota mors Sardanapali postremi Assyriorum Regis, viri muliere corruptioris, qui victus ab Arbace, siue Arbacto Macedonum Præfecto, in Regiam se recepit, extructáque pyra, & se, & diuitias suas, & pellices, & eunuchos, quæ omnia Ouidius *carissima pignora* vocat, in incendium misit, hoc solo imitatus virum, Diodorus *lib.*2. Athenæus ex Ctesia *lib.*12. *Deipnos.* Iustinus *lib.*1. Ioannes Tzetzes *variar. Histor. chil.*3. *Hist.*95. & *chil.*7. *Hist.*146. Author συλλογῆς τῶν παροιμιῶν *Cent.*3.88. Is alio nomine Conos Concolorus appellabatur, vt scribit Eusebius *in Chronic.* Notum item Sardanapali sepulcrum.

VERS.315. *Vtque Iouis Libyci.* Exercitum intelligit à Cambyse Persarum Rege missum ad nobilissimum Ammonis templum expugnandum, *quem arena austro mota*, inquit Seneca lib.2. natural. quæst. cap.30. *& more niuis incidens texit, deinde obruit.* Quod etiam refertur

ab

ab Herodoto *in Thalia.* Iustino *lib.*1. Plutarcho *in Alexandro* scribente quinquaginta millia capitum obruta.

VERS.316. *Vtque necatorum.* Adscribam interpretationis loco Historiam è Valerio Maximo lib.9. cap.2. *Ochus*, inquit, *qui postea Darius appellatus est sanctissimo Persis iuramento obstrictus, ne quem ex coniuratione quæ septem Magos cum eo oppressérunt, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitauit, qua oneroſos ſibi non perrupto religionis vinculo tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere compleuit, ſuperpoſitóque tigno prominente benignè cibo & potione exceptos in eo collocabat è quo ſomno ſopiti in illam inſidioſam congeriem decidebant.* Meminit & Cteſias *in Perſicis*, apud quem Δαρειῶ& appellatur; ſed quia ratio carminis non patitur ita nominari ab Ouidio, non dubito quin *Dareus* ab eo nuncupetur, quomodo à Iustino semper vocitari docet ex veteribus membranis quisquis in eum notas edidit, ει, videlicet, in ε, ſicut *Alexandrea* apud Horatium teſte Priſciano *lib.*2. & *Caſſandrea*, quæ Græcis Αλεξάνδρεια & Κασάνδρεια quibus etiam *balneum* eſt βαλανεῖον, vt rectè Δαρεῖ& ſit Latinis *Dareus*, quanquam & Darius à pleriſque dicitur. Supplicij autem ab eo vſurpati meminit præter Cteſiam Valerius Maximus *lib.*9. *cap.*2. Penè fugerat me notaſſe in M.S. San-Victoriano perſpicuè ſcriptum eſſe *ſubſidens* pro *ſuccendens*, quæ lectio verior & ſincerior mihi videtur. Eſt enim *ſubſidere*

ſidere vocabulum caſtrenſe, quod non ſimpliciter ſubſiſtere ſignificat, ſed in inſidiis ſubſiſtere. Hinc *ſubſeſſæ* Vegetio *lib.3. cap.22.* Præterea Seruius ex emendatione Franciſci Modij in illud Virgilij, lib.11. Æneid. *Subſedit adulter: ſubſeſſores*, inquit, *dicuntur qui inſidiis tauros interimunt, & hoſtium dolos ſubſeſſas vocamus.* Idem Modius epiſt.39. *ſubſidendum* eodem ſenſu pro *ſubſiſtendum* reponit apud Ciceronem *Orat. pro Milone*, hoc loco. *Atque vt illi nocturnus ad vrbem aduentus vitandus potiùs, quàm expetendus fuit, ſic Miloni cum inſidiator eſſet, ſi illum ad vrbem noctu acceſſurum ſciebat ſubſidendum atque expectandum fuit.* Itaque *ſubſidens* apud Ouidium erit *inſidioſus*, quomodo Valerius Maximus dixit *inſidioſam congeriem.*

Aut vt oliuifera quondam Sicyone fugato,
Sit frigus mortis cauſa fameſque tuæ.
Aut vt Atarnites inſutus pelle iuuenci,
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.
Inque tuo thalamo iugulerís more Pherai,
Qui datus eſt letho coniugis enſe ſuæ.
Quoſque putas fidos, vt Lariſſæus Aleuas,
Vulnere non fidos experiare tuo.

COMMENTARIVS.

Nicoclis calamitas. Vetus Interpres correctus. Sicyon olei ferax. Mediolana lectio declarata. Epopei historia. Hermiæ supplicium. Parrhasij & Schotti coniecturæ improbatæ. Reges Persarum domini appellati. Mors Alexandri Pheræi. Aleuas.

VERS. 319. *AVT vt oliuifera.* Quis ille sit, quem Sicyone pulsum frigus & fames enecuerint non procliue est inuentu. Quotquot enim Sicyonis Tyrannos accuratè recensuerunt frustra consului, nisi fortè Nicocles intelligi debeat, quem Aratus comparata exulum & Argiuorum conductitiorum manu adiunctóque populo fuga sibi consulere coëgit, vti Pausanias *in Corinthiacis*, & Plutarchus *in Arato* memoriæ prodiderunt, apud quos hoc duntaxat de Nicoclis calamitate legitur, quod Sicyone sit eiectus. Fortasse Ouidius apud alios rerum Sicyoniarum Scriptores, qui temporum iniuria perierunt, Nicoclem postea cum fame, tum frigore interiisse legerat. Quæ quidem mortis genera *miserrima* esse dicit Liuius *lib.* 10. Illúdque vetus Interpres viderat, cum ait

ait Neoclem ab Ouidio notari, qui Sicyone expulsus frigore & fame perierit. Nicoclem enim *αὐτὶ τοῦ Neoclem* illum scripsisse non ambigo, Sicyonem vero antiquissimam Peloponnesi vrbem oleis abundare tradit Ouidius *lib.4. de Ponto, Eleg.15.* in his:

Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.

Et Virgilius hoc hemistichio *lib.2.Georg.*

——————— *teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Mediolana tamen editio quæ prodiit anno 1534. cuiúsque mihi copiam fecit Stephanus Clauerius vir eximiè literatus, & de Persio Claudianóque bene meritus, à recepta lectione deflectit in hunc modum, *Aut vt oliuiflua*, quod si Ouidius scripsit, non dubito quin ille ad Epopei Sicyoniorum Regis historiam respexerit, quam Pausanias *libro laudato, pag.49.* Editionis VVechelianæ refert his verbis: Ἐποπεὺς δὲ τὸ μὲν παραυτίκα ἐπινίκια ἔθυε, καὶ Ἀθηνᾶς ᾠκοδόμει ναὸν ἐπ' ἐξειργασμένῳ, καὶ εὔξατο ἐνδείξασθαι τὴν θεὸν, εἴ οἱ τετελεσμένος ἐστὶν ὁ ναὸς κατὰ γνώμην, μετὰ δὲ τὴν εὐχὴν ἔλαιον λέγουσι ῥυῆναι πρὸ τοῦ ναοῦ. *Epopeus ob partam victoriam (contra Thebanos) statim immolauit, & Mineruæ Templum erexit, quo absoluto, Deam precatus est, vt sibi signum aliquod daret num ei accepta fuisset Fani dedicatio. Factis precibus oleum in templi vestibulo manasse perhibent.*

VERS.321. *Aut vbi Atarnites.* Vetus interpres & post eum Adrianus Turnebus *Aduersariorum, lib.9. cap.25.* Hermiam Atarnensium

Tyrannum Artaxerxi rebellem intelligunt, quem fraude circumuentum Mentor oræ Asiaticæ Præfectus in vincula coniecit authore Diodoro Siculo *Biblioth. lib.*16. extátque Aristotelis Epigramma, quo Hermiam perfidia deceptum, & à Rege Persarum interfectum conqueritur. Verum Ianus Parrhasius, vir auorum nostrorum memoria pereruditus, *lib. de rebus per Epistolam quæsitis*, *Epistola ad modestum Sacerdotem Veicetinum*, Pactyam hominem Lydum significari putat, qui cum supplex ad Chios confugisset, Regi Persarum deditus sit, atque ob id vicus Atarneus contra Lesbum Chiis pro mercede datus sit, vt à Pausania *in Messenicis* proditum est, Pactyam vero Atarniten dictum ab illo loco, quem Chij in præmium proditionis acceperint. At enim cum nullus Scriptor Hermiam, aut Pactyam insutos fuisse iuuenci pelle tradiderit Andreas Schottus Obseruationum lib.2.cap.32. *Sine hæsitatione*, inquit, *crediderim emendandum Achimenides pro Acharnides de quo proditur, quod Ouidius Acharnidi tribuit. Historia autem apud Herodotum Polymnia, & in Ctesiæ excerptis Photij nostri Bibliotheca exat.* Achemenem certè Xerxis fratrem (Artaxerxis Ctesiæ) Ægypti Præfectum ab Inaro Libe qui Ctesiæ Lydius est Ægyptiorum Duce interemptum scribit Herodotus, addítque Ctesias eius cadauer ad Artaxerxem missum, insutum vero iuuenci pelle neuter ait. Ideóque malim cum Interprete veteri Hermiam Atarnæ Tyrannum intelligere, quem

quem Ouidius non solum à Mentore in vincula coniectum, sed etiam iuuenci pelle contectum apud alios rerum Persicarum Scriptores legere potuerit.

VERS. 322. *Turpiter ad Dominum.* Dixit potius *ad Dominum*, quam *ad Regem*, quoniam Reges Persarum, ab iis qui eorum ditioni parebant, domini vocabantur. Sic enim apud Herodotum *lib.* 7. 8. *&* 9. Xerxem Regem Masistes eius frater, Mardonius consobrinus & Artemisia Carum Regina δεσπότην appellant. Similitérque Satrapæ aliíque Officiales Darium & Artaxerxem δεσπότας, seipsos vero δούλους vocant in illis literis quæ Esdræ *lib.* 1. *cap.* 4. 5. *&* 6. & Iosepho *lib.* 11. *Antiquit. Iudaic. cap.* 2. laudantur; nam vsque adeò liberè Persarum Reges imperabant, vt omnes ditionis suæ subditos pro seruis & mancipiis haberent, sola vxore excepta, quemadmodum testis est Plutarchus περὶ ἀπαιδ. & fusius prosequitur Barnabas Brissonius *lib.* 1. *de Regno Persarum.*

VERS. 323. *Inque tuo thalamo.* Alexandri Pherarum in Thessalia Tyranni, de quo Tullius Offic. lib. 2. *Quid Alexandrum Pheræum, quo animo vixisse arbitrantur? qui, vt scriptum legimus, cum vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum & eum quidem vt scriptum est, compunctum notis Thraciis, districto gladio iubebat anteire, præmittebátque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis telum occultaretur, exquirerent. O miserum, qui*

fideliorem & barbarum & ſtigmatiam putaret, quàm coniugem, nec eum fefellit opinio, ab ea eſt enim ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Meminit, item *lib.*2. *Rhetoricorum*, præter quem videndi Xenophon *libro ſexto, de rebus Græcorum*, Diodorus *libro decimo ſexto*, Conon *narratione* 50. apud Photium. Plutarchus *in Pelopida.* Valerius Maximus *lib.*9. *c.*13. & ex recentioribus Sabellicus *Enneade* 4. *lib.*2. Idem vero Tullius *lib.*5. *Tuſculan.* Dionyſium Syracuſanum ad Ariſtomacham & Doridem coniuges noctu ſic ingredi ſolitum commemorat.

VERS. 325. *Quoſque putas fidos.* Aleuam Theſſaliæ Regem fuiſſe tradit Suidas in Ἀλευάδαι. A quo deinde Theſſaliæ Reges Aleuadas appellator eſſe Pindarus *Ode* 10. *Pyth.* Theocritus, eiúſque Scholiaſtes, Satyrus apud Athenæum *lib.*12. Herodotus *lib.*7. Pauſanias *in Laconicis*, & *Achaicis* fidem faciunt. Ille ſibi propter Tyrannidem metuens, ſatellites complures ad latus adhibuerat, à quibus tandem per inſidias obtruncatus eſt, vt vetus Interpres aſſerit, quod apud alium notæ melioris Authorem legere mihi non contigit. Quare videndum, ne quod Vlpianus Rhetor in primam Demoſthenis Olynthiacam narrat, ad Ouidium pertineat; Ἀλεύας, inquit, ἀπόγονός τις τῶν Ηρακλέους παίδων. μὴ φέροντες οὖν τὴν τυραννίδα οἱ Θεσσαλοὶ, καὶ ὑποπτεύοντες τί δεῖ ποιεῖν μετεπέμψαντο εἰς συμμαχίαν Φίλιππον, ὃς ἐλθὼν ἐκεῖνον ἐξέβαλε τὸν Αλευάδαν ἐκ τῆς τυραννίδος, καὶ ἀπὸ τότε

χάριν

χάριν αὐτῷ νέμεσθαι Παγασὰς, καὶ τὰ χρήματα τὰ ἐκ τῶν λιμένων καὶ τῆς ἀγορᾶς. *Aleuas quidam ex Herculis familia. Thessalus tyrannide in Thessalia potitus est. Deinde huius etiam liberi, quam cum Thessali nec ferre possent, & quò se verterent nescirent, Philippum adsciuerunt in auxilium. Is cum venisset Aleuadas tyrannide deiecit; ob quod beneficium gratum suum animum declaraturi, vsumfructum Pagasarum, portoriorum item, ac mercatuum vectigalia illi concesserunt.*

Vtque Milo, sub quo cruciata est Pisa Tyranno,
Viuus in occultas præcipiteris aquas.
Quæque in Adimantum Philasia regna tenentem
A Ioue venerunt te quoque tela petant.
Aut vt Amastriacis quondam Lenæus ab oris,
Nudus Achillea destituaris humo.

COMMENTARIVS.

Ouidius tentatus. Phido Pisæorum Tyrannus. Pheidoniæ mensuræ. Alpheus. Phyla Oeneidis tribus. Ouidij locus iterum tentatus. De Leuce Insula scitu digna.

VERS. 327. *VTQVE Milo sub quo. Milo,* inquit, vetus Interpres, *Pisam Elidos tenuit. Hic cum Pisæos variis crucia-*

tibus afficeret, ab ipsis in Alpheum fluuium Pisam præterfluentem demersus est. Sanctius ait quosdam legere *Philo*, quomodo etiam Lugdunensis quædam editio præfert. Quare nescio an rescribendum, *vt Phido sub quo*, &c. & de Phidone Argiuo intelligendum quem Pausanias *in Eliacis posterioribus*, ait τυράννον τῶν ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβίρσαντα. Strabo vero *lib.*8. δυνάμει δι' ὑπερβεβλημένον τοὺς κατ' αὐτόν. Quid egerit in Elea & Pisatide videre est apud ipsos. Sed hoc diuinare est, nihil enim de Phidonis morte referunt, eam verisimiliter non omissuri, si Pisæi Phidonem in Alpheum coniecissent, vt is quidem mensuras & pondera fertur inuenisse teste Plinio *lib.*7. *cap.*56. Hinc appellatæ mensuræ Pheidoniæ, de quibus Strabo *loco laudato*, Iulius Pollux *lib.*10. *cap.*45. Pindari Scholiastes. Neque vero dubium est, quin per *occultas aquas* Alpheus ille Poëtis celebratissimus intelligatur, qui per occultos meatus magnum spatium maris emetiri dicitur. Nam & Virgilius *lib.*3. *Æneid.* eandem vocem vsurpauit in his

——Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur vndis.

Qua de re, præter veteres, Thomas Fazellus *Decad.*1. *lib.*4. *cap.*1. Cl. Marius Aretius *in Chorographia Siciliæ*, Vincentius Mirabella Syracusarum Topographiæ Scriptor, Philippus Cluuerius *Siciliæ antiquæ, lib.*1. *cap.*12.

VERS.529. *Quæque in Adimantum.* Hic ego Dauus

Dauus ſum non Oedipus, nam quod vetus Interpres ait, *Adimantum Regem Phileſiæ indignantem ſuperis obedire & ipſi Ioui, fulminatum eſſe*, nuſpiam mihi lectum. Cæterum pro Phileſia quod omnes editiones inuaſerat, edendum curaui *Philaſia*, nuſquam enim Phileſiam gentem inuenio, Philaſiæ vero complures meminere, tum Ælianus *in Epiſtola Callipidis ad Cnemonem*, Stephanus, Heſychius, Author Etymologici, Scholiaſtes Ariſtophanis *in Acharn.* Hæc nomen habet à Phyla Oeneidis Tribu in confinio Bœotiæ, qui locus egregio Thraſibuli facinore pro patriæ libertate nobilis fuit, de quo Diodorus Siculus *lib.*14. Xenophon *Hiſtor. Græc. lib.*2. Lyſias *oratione* κατ' Ἐρατοσθένους. Philoſtratus *de vita Apollonij lib.*7. *cap.*2. Clemens Alexandrinus *Strom. lib.*1.

VERS. 331. *Aut vt Amaſtriacis.* Vetus Interpres in hunc locum. *Lenæus Rex Amaſtricum captus à Mithridate Paphlagoniæ Rege Socero Achillis in Ponto Inſula ſolus relictus eſt, vbi fame periit.* Vt Fauorinus ait

Veſte cibóque carens Lenæus, cum tamen eſſet
Rex, quali Nicocles hac quoque morte perit.

Domitius. *Amaſtrix vrbs eſt in Peninſula, habens portus ex vtraque parte, quam condidit Amaſtris Oxyartis filia, vxor Dionyſij Tyranni Heracliensis. Hic Dionyſius Lenæus dictus eſt, qui expulſus à Mithridate, aufugit in* Ἀχιλλέως δρόμον, *in locum quem curſum Achillis appellant, vbi à ſuis deſertus periit omni deſtitutus ope.* Zarottus paulò aliter, omnes ſine Authore, præter

commentitium Fauorinum veteris Interpretis. An Dionysius ille cuius meminit Strab. *lib.*12. Ideo Lenæus ab Ouidio dictus, quod vtroque nomine Bacchus appelletur, ac proinde idem videatur esse Dionysius & Lenæus, Hæret mihi aqua. Amastris ciuitas est Ponti de qua Strabo *loco citato*, Memnon in excerptis aliique, quo in tractu est & Leuce Insula *Boristhenis ostio obiecta, parua admodum & quod ibi Achilles situs est Achillea cognomine*, vt verbis vtar Pomponij Melæ *lib.*2. *cap.*7. Eámque per *Achilleam humum* indubitanter Ouidius intelligit. Cuius votum est, vt in illa Ibis nudus destituatur, quoniam vt inquit Ammianus lib.22. *Insula Leuco sine habitatoribus vllis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam fortè delati, visis antiquitatis vestigiis, templóque & donariis eidem Heroi consecratis, vesperi repetunt naues. Aiunt enim non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare.* Ibi namque fama erat Achillis & aliorum Heroum animas εἰλίσσεσθαι ἐρημαίας ἀνὰ νήσους, *versari desertas per valles*, vt ait Dionysius Alexandrinus *in Periegesi versu* 546. Ipsumque à multis & visum & auditum esse narrant Maximus Tyrius *orat.*27. Arrianus *in Periplo Ponti Euxini.* Quin etiam fabulantur Helenam in ea Insula post obitum Achilli nuptam, vt videre est apud Philostratum *in Heroicis.* Eoque pertinet quod Pausanias *in Laconicis* de Leonymo Crotoniate, Conon *narrat.*18. de Autoleonte scriptum reliquerunt. Proditur & hoc miraculum, quod ædem Achilli sacram in

eadem

eadem Insula nulla ingreditur ales,& quæ fortè aduolauerit raptim fugam properat teste Solino *cap.*22. Plinio *lib.*10. *cap.*29. cum alioqui auibus abundet, quamobrem Euripides πολιόρνιθον appellat; & sanè dicta est Leuce, quod ei quæ insunt animalia alba sunt, quod de Laris, Cycnis & Ciconiis interpretatur Tzetzes in Lycophronem. Quanquam Arrianus à colore Insulæ sic denominatam ait. Sunt autem qui Dromon Achillis cum Leuce confundunt,quam 25.m.pass.ab illo distare Plinius author est *lib.*4. *cap.*12.

Vtque vel Eurydamas ter circum busta Thrasylli
Est Lariſſæis raptus ab hoste rotis.
Vel qui, quæ fuerat tutatus mœnia sæpè,
Corpore lustrauit non diuturna suo.
Vtque nouum passa genus Hippomeneide pœnæ,
Tractus in Actæa fertur adulter humo.
Sic vbi vita tuos inuisa reliquerit artus,
Vltores rapiant turpe cadauer equi.

COMMENTARIVS.

Mos Theſſalorum. Eurydamantis. Hectoris, & amatoris Limones. Corpora raptata. μοιχὸς *plerumque pro adultero. Adulterij & ſtupri differentia. Attica prius Acte dicta.*

VERS. 333. *VTQVE vel Eurydamas.* Ibidi vita functo raptationem corporis imprecatur, exemplis ductis ab illis tribus, quorum hiſtoriam tribus diſtichis exequitur. Hîc mentio fit de Eurydamante Medo à Simone Theſſalo circa Thraſylli fratris tumulum tracto, ex more Theſſalorum, de quo Didymus Homeri Scholiaſtes ad *Iliad.* χ'. ex Callimacho. ὁ δὲ Καλλίμαχός φησιν ὅτι πάτριόν ἐστι Θεσσαλοῖς τὸν τῶν φιλτάτων φονέας σύρειν περὶ τὸν τῶν φονευθέντων τάφον. Σίμωνα γάρ φησι Θεσσαλὸν τὸν ἡνιόχην, Εὐρυδάμαντα τὸν Μειδίου σύραι, ἀποκλείναντα Θρᾴσσωιν (legendum haud dubiè Θρᾴσυλλον) τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Quam hiſtoriam fruſtrà quæras apud alium Scriptorem. Dictum autem *Lariſſæis* pro Theſſalis, à Lariſſa Theſſaliæ vrbe.

VERS. 335. *Vel qui, quæ fuerat.* Ita Pentadius in Hectoris tumulo.

Hunc ferus Æacides circum ſua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat ante ſuis.

Virgilius

Virgilius *in Culice* vsus est etiam verbo *lustrare* in his.

Hic erat Æacides vultus elatus honore
Alter, Dardanio fusis quod sanguine campis
Hectoreo victor lustrauit corpore Trojam.

Dixit autem Naso *non diuturna*, quæ Hectore interempto captu faciliora erant. Vnde Horatius ad verbum ex Homero.

——& ademptus Hector
Tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Graiis.

Et Higynus Achillem exclamasse dicit, cum Hectora raptaret, *expugnaui Trojam.* Ideo Pindarus *Olymp. Ode* 2. Hectora Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα. *Trojæ inexpugnabilem & firmam columnam vocat*, & C. Silo canebat.

Ite agite, ô Danai magnum Pæana canentes;
Ite triumphantes, belli mora concidit Hector.

VERS. 337. *Vtque nouum passa.* Historiam narrat Heraclides Ponticus περὶ τῶν πολιτειῶν in hunc modum. Ἱππομένης ὁ εἷς τῶν Κοδριδῶν βουλόμενος ἀπεύσασθαι τὴν διαβολὴν, λαβὼν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ Λειμώνῃ μοιχὸν, ἐκεῖνον μὲν ἀνεῖλεν ὑποζεύξας μετὰ τῆς θυγατρὸς τῷ ἅρματι, τὴν δὲ ἵππῳ συνέκλεισεν ἕως ἀπόλητο. *Hippomenes vnus ex Codridis volens diluere animi mollis atque effœminati calumniam, filiâ Limone cum stupratore deprehensa, illum quidem vna cum filia currui alligatum necauit, filiam vero cum equo domi inclusit donec moreretur.* Alij quidem puellæ necem prodiderunt, amatoris nemo, præter Heraclidem & Ouidium. Quædam editiones sic habent: *Vtque nouum passa est genus Hippomeneia*

meneia pœna; *Tractus & Actæa fertur adulter humo.* Quam lectionem Valerius probat. Micyllus non multum intereſſe putat hoc an illo modo legatur. Ego Aldinam ſecutus ſum. Primum quod ſequens diſtichon Naſonis votum continens, ad Hippomenis filiam nullo modo pertinere videtur, deinde quod Limones interitus *verſu* 463. commemoratur. Senſus eſt, vt Ibis mortui corpus eodem modo raptetur, quo tractus fertur amator Limones nouo ſupplicio affectæ. Adulter autem dictus pro amatore, vt apud Horatium *Ode* 1. *lib.* 3.

Incluſam Danaen turris ahenea
Robuſtaque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ, munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris.

Nam licet Heraclides voce μοιχὸν vſus ſit, quæ pro adultero plerumque vſurpatur, hic tamen pro corruptore capienda eſt, quia Limonen innuptam fuiſſe teſtatur Æſchines in Timarchum; cuius verba proferemus, vbi de ipſa mentio erit, alioqui propriè adulterium, inquit Papinianus, in nupta committitur propter partum ex altero conceptum, compoſito nomine. Stuprum verò in Virginem viduamve committitur, quod Græci φθορὰν appellant *lib.* 6. §. 1. *D. ad legem Iuliam de adulteriis.* Per Actæam humum Athenæ intelligendæ, quoniam Attica prius Acte dicta, authore Strabone *initio lib.* 9. Solino *cap.* 13. Plinio & aliis.

Viſcera

Viscera sic aliquis scopulus tua figat, vt olim
Fixa sub Euboico Graja fuere sinu.
Vtque ferox periit & fulmine & æquore raptor,
Sic te mersuras adiuuet ignis aquas.

COMMENTARIVS.

Thyestea imprecatio. Naso secus quam ab aliis enarratus. Locrensium naufragium. Ajacis Oilei interitus.

VERS. 341. *VISCERA sic aliquis.* Similima est illa Thyestæ imprecatio apud Ennium, ad quam fortè Naso alludit.

——Ipse summeis saxeis fixus aspereis
Euisceratus, latere pendens, saxa spargens tabo,
Sanie, & sanguine atro.

De qua quidem execratione, sic Tullius lib. 1. Tusc. *Execratur luculentis sanè versibus apud Ennium Thyestes, primùm vt naufragio pereat Atreus; durum hoc sanè, talis enim interitus non est sine graui sensu; illa inania, ipse summeis saxeis*, &c. Rursus in L. Pisonem, *Neque verò ego si vnquam vobis male precarer, quod sæpè feci, in quo Dij immortales meas preces audiuerunt, morbum, aut mortem, aut cruciatus precarer. Thyestea*

ista

ista execratio est, Poëtæ vulgi animos non sapientum monentis.

Vt tu naufragio expulsus, vspiam saxeis fixus aspereis
Euisceratus.

Nonius in *spargere* alterum illorum versuum ex *lib.* 19. Lucilij adducit. Sed ego lubens Hieronymo Columnæ subscribo, qui putat Lucilium hanc Ennij execrationem suis interseruisse poëmatis tanquam vulgo iactatam, & inde Nonium Lucilij existimasse. Quod superest Interpretes omnes hunc Ouidij locum de Nauplio capientes, tantum ab Ouidij mente absunt, quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. Tu de Locrensibus interpretare, qui post euersam Trojam in patriam redeuntes, ob vnius Ajacis noxam in Eubœæ promontoriis miserè naufragio perierunt. Virgilius *lib.* 1. *Æneid.*

——Pallasne exurere gentem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Ajacis Oilei,
Disiecitque rates, euertitque æquora ventis.

Idem narrant Homerus *lib.* 4. *Odyss.* Calaber *lib.* 14. Euripides *Troadibus.* Lycophron *Cassandra.* Philostratus *Icon. lib.* 2. Timæus Locrus *lib.* 2. *Historiar.* Horatius *Epode.* 10. Seneca *Agamemnone.* Itaque Germanam eam esse Nasonis mentem ex eo etiam patet, quod Ajacis ipsius interitus distícho proximo subiicitur.

Vers. 343. *Vtque ferox periit.* Ajax Oilei filius Cassandræ raptor, de quo Virgilius loco proximè laudato.

Illum

Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopulóque infixit acuto.

Sed enim Timæus Locrus *lib.2. Historiarum* Ajacem naufragio euasisse, & in patriam reuersum prodidit.

Mens quoque sic furiis vecors agitetur, vt illi 345
Vnum cui toto corpore vulnus erat.
Vtque Dryantidæ Rhodopeia regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat.
Vt fuit Oetæo quondam, generóque draconum,
Tisameníque patri, Callirhoéque viro. 350

COMMENTARIVS.

Ajax Telamonius, Lycurgus Thracum Rex, Hercules, Athamas, Oreſtes, Alcmæon furiis agitati. μονομερίτις.

VERS. 345. MENS *quoque sic furiis.* Nihil dirius insania & furore, quæ sunt Deorum tela, imprecari potuit, qua de re luculenter sanè Lycurgus Orator contra Leocratem, Cicero *de Aruspicum responsis*, item *oratione in Pisonem.* Hoc disticho significatur Ajax Telamonis filius, de cuius furore extat Sophoclis Tragœdia, quæ inscribitur Αἴας μαστιγοφόρος. Meminerunt & alij passim. Is corpore

pore toto inuulnerabilis erat, præter sinistrum latus, vel vt alij volunt, iugulum. Vnde Naso vnum illi vulnus fuisse dicit. Nam cum Telamon quodam tempore pro liberis sacra faceret, Hercules casu illac transiens, hospitióque exceptus sacris interfuit, simul Iouem precatus, vt Telamoni proles mascula nasceretur, eiúsque votum Aquilæ præteruolantis omine comprobatum est, indéque puer Ajax dictus, quem adultum Hercules leonina sua inuoluit, eique illam dono dedit, qua tectus sauciari non poterat, præterquam in ea corporis parte, vbi Leonis pertusa pellis erat in vsum gestandæ pharetræ, vti Scholiastes Homeri *Iliad.* 4. Tzetzes *in Lycophronem*, Sophoclis Scholiastes *in Ajacem flagelliferum*, Suidas in voce Αἴαντος prodiderunt. Paulo aliter Pindarus *Isthm. Ode 6.* Apollodorus *lib.* 3. Philostratus *in Heroicis.* Certè vetus Ouidij Scholiastes, & post eum Domitius, Zarottus, & Egnatius hunc locum de Marsya interpretantur, propterea quod Ouidius *lib.* 3. *Metamorph.* de Marsya pelle spoliato sic canit.

Clamanti cutis est summos directa per artus,
Nec quicquam nisi vulnus erat——

Ipsum autem furore actum sese in flumen sui postea nominis demersisse docet hic Suidæ locus. ὃς Ἀθαφρονήσας ἐρρίψεν ἑαυτὸν εἰς τὸν ποταμὸν, καὶ ἀπώλετο, καὶ ὀνομάσθη ὁ ποταμὸς Μαρσύας. In quam sententiam, Egnatij præsertim authoritate ductus primùm inclinaueram. Nunc ab illa discedo Parrhasium secutus; tum quod Ouidius vtriusque

vtriusque Ajacis more suo consequenter meminisse visus est, tum etiam quod furiosos aliquot magni nominis enumeraturus, Ajacem Telamonium prætermisisse non debuerit.

VERS. 347. *Vtque Dryantidæ. Lycurgo* Dryantis filio Thracum Regi, qui spreto & exagitato Baccho in furorem versus, tibias sibi succidit, cum vites excidere putaret, vt refertur ab Apollodoro *lib.* 3. Higyno *cap.* 132. Seruio in illud Virgilij *lib.* 3. *Æneid.*

Thraces arant acri quondam regnata Lycurgo. Hinc & μονορήμης Græco epitheto appellatur *Anthologiæ lib.* 4. *cap.* 8. *Epigrammat.* 44. quod nimirum in vno tantum pede calceum haberet, altero scilicet amputato, eóque Nasonem respexisse cum ait, *In gemino dispar cui pede cultus erat*, primus omnium Vrceus Codrus sermone primo, & post eum Egnatius obseruarunt. De Lycurgi verò furore & interitu variè scribitur ab Homero *Iliad.* 6. & Eustathio *in eundem*, Diodoro Siculo *lib.* 3. Sophocle *in Antigone*, inibíque Demetrio Triclinio, Heraclide Pontico *in Allegoriis Homericis*, Higyno *loco laudato*, item *cap.* 242. Ioanne Tzetza *chiliade* 5. *Historia* 19. Lactantio *in lib.* 4. Statianæ Thebaidos, Aristophanis Scholiaste *in Equitibus*, vbi de Crambe lepidam fabulam commemorat. Eiusdem meminit & Plutarchus *lib. de audiendis Poetis*, item *lib. de virtute Morali*. *Rhodopeia regna* à Rhodope Thraciæ monte, vnde Naso Epistola Phyllidis ad Demophoontem.

Quæ tibi subieci latissima regna Lycurgi,
Nomine fœmineo vix satis apta regi.
Quâ patet vmbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum,
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

Sunt qui Lycurgum Arabiæ non Thraciæ Regem fuisse prodiderunt.

VERS. 349. *Vt fuit Oetæo. Herculi* ab Oeta Thessaliæ monte, in quo se hominem incendio exuit, ita etiam dicto *lib. 6. Fastor.*

Appulerat ripæ vaccas Oetæus Iberas.

Et Propertio *Eleg. 1. lib. 2.*

Troja bis Oetæi numine capta Dei.

De cuius furore Senecæ Tragœdia extat quæ inscribitur *Hercules Oetæus.*

Generóque Draconum. Athamanti genero Cadmi & Hermiones, quos in Dracones mutatos canit Ouidius *lib. 4. Metam.* vbi fusè de furore Athamantis.

VERS. 350. *Tisameníque patri. Oresti* matricidæ, cuius furor peruulgatus ex Tragicis. Vnde Virgilio lib. 4. Æneid. *Scenis agitatus* dicitur. Is Tisameni pater fuit, authore Polybio *lib. 2.* Apollodoro *lib. 2.* Strabone *lib. 8.* Pausania *in Corinthiacis* & *Achaicis*, vbi multa de Tisameno. Velleio Paterculo *lib. 1.* Eusebio *in Chronicis*, Tzetza *in Lycophronem.*

Callirhoéque viro. Alcmæoni Amphiarai & Eriphyles filio etiam matricidæ, qui vxorem habuit Callirhoen Acheloi filiam, vt Ouidius *lib. 9. Metamorph.* & *lib. 1. Amorum.* Pausanias *in Arcadicis*, & alij prodiderunt. Notum vti furiis

furiis ob maternam cædem exagitatus fuerit. Hinc Propertii lib. 3. Eleg. 4. *Furiæ Alcmæoniæ* dictæ. Venustè Anacreon

Θέλω θέλω μανῆναι
Ἐμαινέτ' Ἀλκμαίων τις
Χ' ὁ λευκόπτυς Ορέστης
Τὰς μητέρας κλανόντες
Furere hunc volo furorem,
Furebat olim Oreſtes,
Furebat Alcmæónque
Viterque matricida

Et reliqua vbi etiam Herculis & Ajacis mentio.

Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
Qua potuit Tydeus erubuiſſe nuru.
Quæque ſui Venerem iunxit cum patre mariti,
Locris in ancillæ diſſimulata necem.
Tam quoque Dî faciant poſſis gaudere fideli
Coninge, quàm Talai Tyndareíque gener.
Quæque parare ſuis lethum patruelibus auſæ
Belides, aſſidua colla premuntur aqua.
Biblidos & Canaces ſicut facis ardeat igne,
Nec niſi per crimen ſit tibi nota ſoror.
Filia ſi fuerit, ſit quod Pe'opeia Thyeſti,
Myrrha ſuo patri, Nyctimenéque ſuo.
Filia neve magis capiti ſit fida parentis,
Quam tua vel Pterela, vel tua Niſe fuit.
Infamémque locum ſceleris quæ nomine fecit,
Preſſit & inductis membra paterna rotis.

COMMENTARIVS.

Vxores quædam adulteræ. Sorores & filiæ inceſtæ, aut in parentes impiæ. Matrona quid propriè. Virgines in Liburnia quæ dictæ. Ouidij locus ab Eraſmo perperam explicatus. Vicus ſceleratus. Porta ſcelerata. Caſtra ſcelerata.

VERS. 351. *NEC tibi contingat.* Enumerantur ſexdecim verſibus vxores adulteræ, aut maritorum cæde infames, ſorores inceſtæ, filiæ etiam inceſtæ, aut in parentes impiæ & ſceleratæ. Hoc diſticho notatur Ægyalea Diomedis vxor, ideóque Tydei nurus quæ θεραὶς κύων, ob impudicitiam Lycophroni, κακόφρων ob inſidias marito ſtructas Dionyſio Poëtæ dicitur. Cum enim Venus à Diomede vulnus accepiſſet, eius vxorem tantæ libidinis impotentem reddidit, vt ſe Hippolyto & Cometi proſtitueret, quorum furioſis amoribus exagitata, ipſi Diomedi Troja redeunti necem molita eſt, quam noctu confugiens ad Iunonis aram vix euadere potuit, Authores Didymus *Iliad. i.* Tzetzes *in Lycophronem*, ex Mimnermo. Euſtathius ad Dionyſij

Periege

Periegesin, *pag.* 69. edit. Stephaneæ, quo quidem Eustathij loco perperam legitur μιχθῆναι Σθενέλῳ τῷ τοῦ Κομήτου pro Κομήτῃ τῷ τοῦ Σθενέλου. Ennodius Episcopus Ticinensis Ethicam scripsit, cui titulus *Verba Diomedis, cum vxoris adulteria cognouisset. Matrona pudicior:* Matrona propriè dicitur, quæ bona & honesta est existimatione, siue ea vidua est, siue nupta. Festus *Matronas appellabant eas ferè quibus habendi stolas ius erat.* Plautus Cistellaria.

Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium;
Vnum amare & cum eo ætatem exigere cui nupta semel.
Verum enim meretrix fortunati est oppidi simillima;
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

Tullius pro Cœlio, *Petulanter facimus, si matrem familias secus quàm matronarum dignitas postulet nominemus.* Quam dictionem Græci vertentes, non simpliciter γυναῖκας, sed γυναῖκας Ρωμαίων dixerunt. Dionysius Halicarnasseus *lib* 9. Αἱ καὶ γυναῖκες αἱ Ρωμαίων ἐνιαυσίον ἐπένθησαν χρόνον, πορφύραν καὶ χρυσὸν ἀποθέμεναι. Ouidius tamen hoc loco, matronam pro vxore impudica vsurpat, quia matrona etiam dicitur, quæcumque in matrimonium cum viro conuenit, vt A. Gellius *lib.* 18. *cap* 6. Seruius *in* 10. *Æneid.* & Nonius Marcellus definiunt. Vnde Græci *matronam* hac significatione plerumque γυναῖκα γαμετὴν verterunt. Hoc enim fortunæ muliebris

effatum, quod apud Valerium Maximum legitur lib. 1. cap. 8. *Ritè me matronâ vidistis, ritéque dedicastis*; ita reddidit Dionysius Halicarnasseus *lib.* 8. Ὁσίῳ πόλεῳ νόμῳ γυναῖκες γαμεταὶ δεδώκαλέ με. Passimque matrona pro vxore accipitur, quomodo ab Ouidio nostro *lib.* 2. *Metamorph.* Item *lib.* 6. *Fastor. Iuno matrona Tonantis* appellatur, sic & apud Horatium *Ode* 2. *lib.* 3.

——*Illum ex mœnibus hosticis*
Matrona bellantis Tyranni
Prospiciens & adulta virgo.

Sic *virgo* non tantum dicitur de ea quæ virum experta noc est, sed etiam de illa quæ citra nuptias concubuit. Hinc Varro *lib.* 2. *cap.* 10. *de re rustica. In Liburnia eas virgines appellant, quæ ante nuptias, quibus volunt succumbunt.* Sed & Virgilius *Ecloga* 6. de Pasiphaë Tauri amatrice.

Ah Virgo infelix quæ te dementia cœpit.

VERS. 353. *Quæque sui Venerem.* Vetus Interpres. *Callimachus dicit Hypermnestram quondam in adulterio deprehensam cum fratre mariti sui profugisse auxilio tenebrarum, deinde seruum Panonem & Locrin ancillam necauit, vt illa Locris diceretur deprehensa.* Domitius per Locrin, non ancillam, vt vetus Interpres, sed Hypermnestram Locrensem intelligit. Ego quod iis addam non habeo.

VERS. 355. *Tam quoque Dî faciant.* Nota priscis formula *Dî faciant*, siue *Dîy faxint*, qua centies vsus est Ouidius, & alij à Brissonio laudati

laudati *lib.* 1. *de formulis. Quam Talai.* Amphiaraum innuit Argiuum Augurem, quem Eriphyle coniux Talai filia prodidit accepto à Polynice decantato illo Monili, quod ab illa *Monile Eriphyles* dictum est. Hinc Homerus *Odiss.* λ.

——— συγερὴν τ' ἐριφύλην
Ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα
——— *mœstámque Eriphylen,*
Quæ aurum dilecto viro habuit carius.

M. Tullius *orat.* 3. *accusat. de signis.* Verrem qui pocula quædam Diodori pulcherrima nunquam à se visa concupiuerat, cum Eriphyla comparat his verbis, *Eriphylam accepimus in fabulis, eâ cupiditate fuisse, vt cum vidisset Monile* (opinor) *ex auro & gemmis, pulchritudine eius incensa, salutem viri proderet: similis istius cupiditas.* Ouidius ipse *libello de nuce.*

Præda malo Polydore fuit tibi, præda nefando
Coniugis, Aonium misit in arma virum.

Quem locum Erasmus Commentariis suis in eundem libellum perperam de Menelao & Helena interpretatur. Nam, per *Aonium virum* non alius quam Amphiaraus intelligendus, de cuius interitu Pausanias *in Atticis*, præter cæteros Λέγεται δὲ Ἀμφιαράῳ φεύγοντι ἐκ Θηβῶν διαστῆναι τὸν γῆν, καὶ ὡς αὐτὸν ἅμα ἅρματι ἀναδέξατο. *Aiunt autem Amphiarao fugiente discessisse terram, eúmque vna cum curru terræ hiatu absumptum esse,* Horatius *Ode* 16. *lib.* 3.

——*Concidit Auguris*
Argiui domus ob lucrum

Demersa excidio.

Tyndareique gener. Agamemnon quem è bello Trojano reuersum vxoris Clytemnestræ Tyndarei filiæ insidiis Ægystus adulter in mensa obtruncauit, vt author est Homerus *Odyss.* δ' & λ'. & eum secuti Ælianus ποικ. ἱστρ. *lib.*2. Dionys. *orat.* περὶ ἀπιστίας, Higynus *fab.*117. Iuuenalis *Satyra* 8. Ioan. Tzetzes *chil.*3. *Hist.*77. Alij ab vxore ipsa occisum narrant, sumpta in balneo tunica, quæ nec colli nec manuum exitus haberet. Sic enim Lycophron *in Cassandra*, Æschylus *Eumenidibus*, Seneca *Agamemnone*. Philostratus senior εἰκόνων *lib.*2. Euripidis Scholiastes *extrema Hecuba*. Quod Poëtarum Tragicorum figmentum esse tradit Homeri Scholiastes *in* 1. *Iliad.*

Vers.357. *Quaque parare suis.* Danaïdes Beli nepotes. Peruulgata fabula.

Vers.359. *Biblidos, & Canaces.* Biblis Mileti & Cyaneæ, vel vt alij volunt Areæ filia, Cauni fratris amore infamis, de qua fusè & eleganter Naso *lib.*9. *Metamorph.* item *lib.de Arte amandi.* Parthenius ἐρωτικῶν, *cap.*2. Conon *narratione* 2. *apud Photium*, Pausanias *Achaicis*, Eustathius *in Dionysium*, Suidas & Diogenianus *in* Καύνου ἔρως, Stephanus *in* Βύβλος. Theocriti Scholiastes. *Canaces.* Hæc etiam Macareum Aeoli filium turpiter amauit, cuius ad ipsum Epistola legitur in Heroidum Epistolis, obitérque meminit idem Naso *lib.*2. *Trist.* Higynus *fab.*238. Plutarchus ex Sostrato. Athenæus *lib.*10. ex Antiphane.

Vers.

VERS. 361. *Filia si fuerit, sit quod Pelopeia Thyesti.* Pelopeia nefario cum Thyeste patre concubitu infamis, ex quo natus Ægisthus, Atrei patrui & Agamemnonis patruelis occisor. Higynus *cap.* 87. Seneca *Agamemnone*, Ælianus ποικ. ἱστ. *lib.* 12. *cap.* 42. Seruius *in* 11. *Æneid.* Lactantius, siue Lutatius *in* 4. *Thebaid.* Alio nomine Steropis appellata est authore Scholiaste Euripidis *in Oreste*, item & Mnesiphaë apud Ioannem Tzetzem *Hist.* 18.

Myrrha suo patri. Incestum Myrrhæ cum Cinyra patre, vel vt alij volunt, Thyanthe commemorat Lycophron *in Cassandra*, Antoninus Liberalis Μεταμορφ. Higynus *fab.* 58. & 142. Plutarchus *in Parallellis Histor.* 22. Stobæus *cap.* 62. vterque ex Theodori *Metamorph.* Plinius *lib.* 12. *cap.* 15. Nemesianus Cynegetico. Theocriti Scholiastes Εἰδυλ. α'. Sed omnium fusissimè Naso ipse *Metamorph. lib.* 10.

Nyctimenéque suo. Ouidius *lib.* 2. *Metamorph.*

An quæ per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est, patrium temerasse cubile
Nyctimenen, auis illa quidem, sed conscia culpæ
Conspectum lucémque fugit, tenebrisque pudorem
Celat, & à cunctis expellitur arbore toto.

VERS. 363. *Filia neve magis capiti sit fida parentis, Quam tua vel Pterela vel tua Nisæ fuit.* Idem fatum Comæthus Pterelæ Taphiorum Regis filiæ, & Scyllæ Nisi: vtraque patris hostem deperiit; vtraque patris aureum crinem prosecuit; vtraque patrem & patriam prodidit; vtriusque amores infelices. Apollodorus

lib.2. Biblieth. de Comæthone ἐκ ταφίου δὲ παῖς Πτερέλαος ἐγένετο, τοῦτον ἀθάνατον ἐποιησε Ποσειδῶν ἐν τῇ κεφαλῇ χρυσῆν ἐνθεὶς τρίχα. *Sed ex Taphio Pterelaus natus est. Hunc Neptunus aureo crine illius capiti imposito fecit immortalem.* Et paulò pòst agens de Amphitryone Taphum obsidente, ἄχρι μὲν οὖν ἔζη Πτερέλαος οὐκ ἐδύνατο τὴν Τάφον ἑλεῖν, ὡς δὲ ἡ Πτερελάου θυγάτηρ Κομαιθὼ ἐρασθεῖσα Αμφιτρύωνος, χρυσῆν τρίχα τοῦ πατρὸς ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐξείλετο. Πτερελάου τελευτήσαντος ἐχειρώσατο τὰς νήσους ἁπάσας. *Verum donec Pterelaus in humanis fuit, Taphum capere nunquam potuit, post vbi Comætho Pterelai filia Amphitryonis amore inflammata est, aureum de patris capite capillum prosecuit. Inde Pterelai morte insecuta, omnes ad vnam Insulas subegit Amphitryo.* Isacius Tzetzes *in Lycophronem, pag.*151. edit. Stephani. Apollodoro consentanea scribit, nisi quod Comæthonem ait amore inflammatam Amphitryonis, vel Cephali, qui cum Amphitryone militabat. Meminere præterea Pterelæ, siue Pterelai, Plautus ipsum ab Amphitryone interemptum scribens. Eustathius *in* 17. *Odyss.* Apollonij Scholiastes *in lib.*1. *Argonaut.* cuius quidem verba luxata mihi videntur, cum asserit Pterelam Neptuno genitum, eundémque Taphij patrem, contra quàm ab aliis omnibus proditum est. Meminit item Strabo *lib.*10. cuius etiam locum deprauatum, atque inuersum deprehendit Ianus Parrhasius, qui primus in Commentariis suis ad Claudiani *lib.*2. *de raptu Proserpinæ*, Ouidium de Comæthone exponendum

ponendum vidit, & post eum Zarottus ex Aristarcho in Hesiodum. Ad Scyllam nisi quod attinet, fabula tritissima, vel ex Virgiliana Ceiri, cultissimo quidem Poëmatio, sed mendosissimo. Has autem fabulas de Comæthone & Scylla verisimile est Græcos mutuatos esse, ex Historia Mosis & Tharmis Æthiopum Regis filiæ, de qua Iosephus, & post eum Eustathius Archiepiscopus Antiochenus *Commentario in Hexameron, pag.* 8. Mosem enim Hesiodo, Homero, Musæo, Lino, Orpheo longè antiquiorem esse idem Eustathius ex aliorum authoritate prodidit.

Vers. 365. *Infamémque locum. Tullia* Seruij Tullij Romanorum Regis filia Tarquinij superbi vxor, de qua Varro *lib.* 4. *de lingua Latina. Prope hunc vicus sceleratus, dictus à Tullia Tarquinij superbi vxore, quod ibi cum iaceret pater occisus supra eum vt ageret carpentum mulio iussit.* Ouidius ipse *lib.* 6. *Fastor.* vbi Tulliæ scelus fusè prosequitur.

Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea pressa nota est.

Idem produnt Liuius *lib.* 1. & eius Epitomastes, Florus *lib.* 1. *cap.* 7. Dio *lib.* 4. *cap.* 11. Festus Pompeius verbo *sceleratus vicus*, nec absimiliter *sceleratus campus* appellatus est propè Portam Collinam, in quo Virgines Vestales, quæ incestum fecerant viuæ defodiebantur, vt idem Festus & Liuius *lib.* 8. scribunt. Sic & apud eundem Festum *scelerata Porta* dicta, quæ & Carmentalis quod per eam sex & trecenti

centi Fabij cum clientium millibus quinque egressi aduersus Etruscos ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti. Præterea *scelerata* vocauerunt æstiua illa castra in quibus Drusus Germanicus supremum diem morbo obiit, authore Suetonio *in Claudio cap.* 1.

Vt iuuenes pereas, quorum, fastigia, vultus.
Olim Pisæa sustinuere foris.
Vt qui perfusam miserorum cæde procorum,
Ipse suo melius sanguine tinxit humum.
Proditor vt sæui periit Auriga Tyranni,
Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ.
Vt qui velocem frustra petiere puellam,
Dum facta est pomis tardior illa tribus.

COMMENTARIVS.

Hippodamiæ fabula. Ouidius emendatus. Myrtoum pelagus vnde dictum. Atalantæ certamen. Sidonius à correctione Iacobi Sirmondi defensus.

VERS. 367. *VT iuuenes pereas.* Narratio vna est sex versibus. Oenomaus Pisæ Rex in Elide, monitus ab oraculo, tum se occisum iri, quum Hippodamia filia nuberet,

nuberet, equis velocissimis fisus, Procis qui multi eam in vxorem petebant ob excellentem formæ pulchritudinem, certamen curule proposuit ea lege, vt qui victor extitisset Hippodamiæ nuptias obtineret, qui victus, temeritatis pœnas capite lueret. Multis autem qui periculum subierant enectis, & eorum capitibus in terrorem cæterorum pro foribus affixis, Pelops Tantali filius Hippodamiæ specie captus, in idem certamen descendit, corrupto prius Myrtilo Oenomai Auriga, cuius arte victor Pelops Oenomaum in eo ipso loco, vbi victos Procos perimere consueuerat, interfecit. Myrtilum autem mercedem proditionis reposcentem è Geræsto in mare præcipitauit, quod ab eo Myrtoum mare denominatum est. Ex Pindaro *in Olympicis*, Diodoro Siculo *lib.*4. Pherecyde apud Apollonij Scholiasten *lib.*1. *Argonaut.* Pausania *in Eliacis posterioribus*. Philostrato *in Iconibus*, Higyno *cap.*48. qui rem variè narrant. Sed & proditum est à nonnullis Oenomaüm à filiæ nuptiis ideo Procos deterruisse, quod illam ipse deperiret. Sic enim Lucianus *in Charidemo*, Tzetzes *in Lycophronem*. Quin etiam Higynus *fab.*253. Hippodamiam recenset inter eas quæ contra fas concubuerunt. Cæterum monuit me Nicolaus Heinsius Dauidis filius iuuenis præstantissimus scribendum hoc loco *fastigia Pisæa foris* gignendi casu singulari, quomodo apud eundem Ouidium.

Constitit ad gemina limina prima foris.

Apud

Apud Horatium *Satyr.2. lib.1. Excluſus fore.* quæ dictio Plauto, Terentio, ipſique Liuio vſitata. Hinc autem dicta quod apud veteres Romanos ianuæ foras, non intro aperiebantur, vt ſcribit Seruius ad illum Virgilij locum lib.1. Æneid. *foribus cardo ſtridebat ahenis.* Quanquam non inconcinnè legi poſſit vt editiones aliquæ præferunt, *quorum, faſtidia, vultus, olim Piſæa ſuſtinuere fores.* Hoc eſt, quorum vultus in aliorum faſtidium Piſæ foribus affixi eſſent, eodem nimirum loquendi modo, quo Papinius *lib.4. Syluar.* ad Marcellum vſus eſt.

——— cedit tibi gloria fidi,
Theſeos & lacerum, qui circa mœnia Trōjæ
Priamidem cæſo, ſolatia, traxit amico.

Id eſt, qui in ſolatium cæſi amici Hectora circum Trojæ mœnia raptauit.

VERS.369. *Vt qui perfuſam.* Oenomaüs Alxionis, vel vt alij volunt, Martis & Harpinnæ filius à Pelope occiſus vt ſcriptum reliquit Pauſanias in Eliacis prioribus. Quanquam Diodorus *loco ſupra laudato*, narrat ipſum ſibi mortem conſciuiſſe.

VERS.371. *Proditor vt ſaui.* Myrtilus Mercurij & Phaëtuſæ filius, Oenomai Auriga, qui cum Pelopem iureiurando adegiſſet, vt prima ſibi Hippodamiæ nocte concederet, ipſumque promiſſi moneret, ab eo in mare proximum eiectus eſt, vt Pauſanias in Arcadicis author eſt. Eius proditionem eleganter proſequitur Pindarus *in Olymp.* vbi illum cereos clauos ferreorum loco rotarum modiolis inſeruiſſe tradit.

dit. Historiam alij aliter narrant, fusè vero præter Authores modo citatos Homeri Scholiastes *Iliad.* 2. ex eo nomen inuentum mari Myrtoo. Quod innuit Lycophron in eo versu φερονύμους ἔδυψε νηρέως τάφους, *cognomina subiit Nerei sepulchra.* Hinc Seneca Thyeste

——————— *Proditus occidit*
Deceptor domini Myrtilus, & fide
Vectus, qua tulerat nobile reddidit
Mutato pelagus nomine.

Pausanias tamen à Myrtone puella nomen ei Pelago inditum mauult. Est autem maris Ægei pars, valdè procellosa & naufragiis infesta, vnde Flaccus Ode. *Myrtoum pauidus nauta secet mare.*

Vers. 373. *Vt qui velocem.* Atalantæ Proci quibus huiusmodi certamen ipsa proposuerat eius se futuram à quo pedum velocitate victa foret, superatus autem vitam amitteret. Tandem pluribus interfectis Hippomenes Macarei filius, siue Minalion, vt aliis placet, proiectis inter currendum tribus malis aureis à Venere acceptis, quibus sublegendis puella moram fecit, victæ coniugio potitus est. Fabulam vulgatissimam exequitur Ouidius *lib.* 10. *Metamorph.* Apollodorus *lib.* 3. Ioannes Tzetzes *chil.* 12. *Histor.* 453. Obiter autem Theocritus *Idyll.* 3. Musæus *Poëmatio de Leandri & Herus amoribus*, Sidonius Apollinaris *Panegyrico Anthemij*, Item Panegyrico Maioriani his versibus.

——————— *plantásque superbas*

Haud

Haud ita per ſiccam Nemeen citus extulit Arcas,
Cuius in Ætolo volitantem puluere matrem
Horruit Hippomenes.

Quo loco per *citum Arcadem* Parthenopœus Atalantæ filius intelligendus, vt minus rectè Iacobus Simondus vir doctiſſimus præter omnium codicum fidem reſcripſerit, *cita ſuſtulit Arbas* & pro *matrem* legerit *martem* nullo ſenſu. Quam autem Naſo *velocem*, Callimachus Hymno in Dianam ποδοῤῥώλω vocat. Plures fuerunt Atalantæ, de quibus extat Lilij Giraldi Dialogiſmus. Arcadicam nimirum & Argiuam quas plerique Poëtarum more ſuo confundunt.

Vt qui tecta noui formam celantia monſtri,
Intrarunt cæcæ non redeunda domus.
Vt quorum Æacides miſit violentus in altos
Corpora cum ſenis altera ſena rogos.
Vt quos obſcuri victos ambagibus oris,
Legimus infandæ Sphingæ dediſſe neci.
Vt qui Biſtoniæ templo cecidere Minervæ,
Propter quod facies nunc quoq; verſa Deæ eſt.

COMMENTARIVS.

Minotaurus alio nomine Asterion. Quatuor insignes labyrinthi. Cretici descriptio. Pseudolabyrinthus. Humanæ victimæ ad Cæsorum busta immolari solitæ. De Sphinge nonnulla.

VERS. 375. *Vt qui tecta noui.* Septena illa puerorum, totidémque virginum delecta sorte corpora, quæ Athenienses ob interfectum Androgeum Minoi quotannis, vel vt alij volunt, nono quoque anno tributi nomine pendebant à Minotauro in Labyrintho deuoranda. Ex Ouidio nostro *lib.* 8. *Metamorph.* Virgilio *lib.* 6. *Æneid.* Catullo *de nuptiis Pelei & Thetidos*, Apollodoro *lib.* 3. Diodoro *lib.* 4. Pausania *in Atticis*, Plutarcho *in Theseo.* Minotaurus alio nomine vocabatur Asterius, siue Asterion, vt est apud Apollodorum *loco laudato*, Pausaniam *in Corinthiacis*, Tzetzen *in Lycophronem.* Fabulam autem ἀλληγορικῶς exponunt Lucianus *Dialogo de Astrologia*, Palæphatus *in Mytholog.* Apostolius *Centuria* 14. *Prouerbio* 96. Seruius *in* 6. *Æneid.* Luctatius *in* 1. *Achilleidos.* Ad Labyrinthum quod attinet Plinius *lib.* 36. *cap.* 13. quatuor insignes commemorat; Ægyptium, Creticum, Lemnium, Italicum.

cum. Sic autem deſcribit Creticum, *Itinerum ambages occurſúſque ac recurſus inexplicabiles obtinet, non vt in pauimentis puerorumve ludicris campeſtribus breui lacinia millia paſſuum plura ambulationis continentem, ſed crebris foribus inditis ad fallendos occurſus, redeundúmque in errores eoſdem.* Oſtenditur etiam nunc Pſeudolabyrinthus in Creta ad radices montis Idæ, qui nihil aliud quam Latomia fuit, tametſi Cretenſes eam adulterino Labyrinthi nomine demonſtrare ſoleant. Latomia, inquam, fuit ſolidi admodum & elegantis ſaxi, è qua lapides diuerſis locis exempti ſunt cum Gortinæ & Gnoſi, quæ Minois Regia fuit, ædificia extruerentur, quæ primariæ totius Inſulæ ciuitates fuerunt. Quanquam verum eſt, multos in ea Latomia Mæandros ineſſe, modo ad dextram, modo ad ſiniſtram ſeſe contorquentes, quales ineſſe Labyrintho potuerunt, ideoque duces è quodam pago, vbi olim vrbs Gnoſos fuit, ſumi ſolent, qui viam demonſtrent, Latomiam ingredi volentibus.

Vers. 377. *Vt quorum Æacides.* Ex Homero *Iliad.* ψ. apud quem Achilles Æaci Nepos duodecim Trojanos ad Patrocli buſtum mactauit, quorum ſanguine manes eius placarentur.

Δώδεκα δὲ τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς
Χαλκῷ δηϊόων, κακὰ δὲ φρεσὶ μήδετο ἔργα.

Biſſenos addit iuuenes è ſanguine Teucrûm
Infeſto mactans animo.

Heroïcis enim temporibus victimas humanas ad cæſorum buſta immolare moris erat. Sic Polyxenæ

Polyxenæ ſanguinem ad expiandos Achillis manes expetitum produnt Euripides *in Hecuba*, Naſo noſter *lib.* 13. *Metamorph.* Virgilius *lib.* 3. *Æneid.* Seneca *Troade.* Sic Æneas *lib.* 10. *Æneid.* audita Pallantis nece Rutulos octo.

Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris
Captiuóque rogi perfundat ſanguine flammas.

Et *libro ſequenti.*

Vinxerat & poſt terga manus quos mitteret vmbris,
Inferias cæſo ſparſurus ſanguine flammas.

Quem inhumanum morem imitatus eſt Antonius Triumuir Philippenſi victoria, quum Hortenſium Oratoris filium mactari iuſſit ad monumentum C. Antonij fratris ſui, quem Brutus in vltionem necis Ciceronis interficij iuſſerat, vt Plutarchus ſcribit *in Antonio.* Sic apud Lucanum de Sulla.

Quid ſanguine manes
Placatos Catuli referam, cum victima triſtis
Inferias Marius, forſan nolentibus vmbris,
Pendit inexpleto non fanda piacula buſto.

Hinc etiam Tullius in Piſonem de ſe ipſo. *Ame quidem etiam pœnas expetitis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis; omne odium incluſum nefariis ſenſibus impiorum in me profudiſtis; quorum ego furori niſi ceſſiſſem in Catilinæ buſto vobis ducibus mactatus eſſem.*

VERS. 379. *Vt quos obſcuri.* Fabulantur Sphingem ex Echidna & Typhone parentibus ortam, facie puellam, alis volucrem, cætera leonem Thebanis à Iunone immiſſam, quæ

cum à Musis ænigmata didicisset, in Phyceo monte consedit, de quibus id vnum proponere solebat. Quodnam esset id animal vocem vnam habens, quod primum quadrupes, deinde bipes, demum tripes foret. Vniuersos autem quid illud esset interrogabat, quod cum minimè satisfacerent, abreptum ex omnibus vnum deuorabat: eáque de causa multi subinde perierant; sed cum Thebanis oraculo renunciatum esset iam tum Sphingis incommodo liberos fore, quando huiusmodi ænigma soluissent, Creon Thebanorum Rex cuius filius Æmon itidem à Sphinge peremptus erat, præconis voce proclamari iussit, Regnum & Iocastam se ei traditurum qui ænigma solueret. Quibus promissis excitatus Oedipus, qui se Laij & Iocastæ filium esse ignorabat, ænigma de homine interpretatus est, qui infans quatuor membris graditur, effectus grandior bipes est, senescens verò, ac demum tertio assumpto pede, id est scipione, tripes dici potest. Sphinx adeo ægrè solutionem tulit, vt ex arce sese præcipitem dederit. Quamobrem Oedipus Regnum & Iocastam matrem insçius vxorem accepit. Ita Diodorus *lib.5.* Apollodorus *lib.3.* Higynus *fab.67.* Athenæus *Dipnosoph.* Sophoclis Scholiastes *Oedipo.* Zenobius *Prouerbio* Βοιώτια αἰνίγματα. Allegoricè vero Cebes Thebanus. Palæphatus *lib. de non credendis fabulosis narrationibus.* Pausanias *in Bœoticis*, Diogenes apud Dionem Chrysostomum *oratione* 10. Isacius Tzetzes *in Lycophronem.* Michaël Psellus

lus *in Allegor.* & ex recentioribus Alciatus *Emblemat.*8. Pierius Valerianus, Michaël Mercatus, Laurentius Pignorius *in Tabulis Isiacis.* Sphinx autem Chiorum insigne fuit, quorum extant numismata quædam, tum illud quod Leo Allatius *Præfatione in librum suum de Patria Homeri*, ex Barberino Cimetiarchio delineatum exhibuit. Cæterum Nasoni Sphingis *obscurum os* dicitur, quomodo ipsa κελαινὴ à Lycophrone dicta est, propter ænigmata illa quæ proponebat; vnde illius effigiem in lucis, quod obscuri sint, dedicari solitam refert Synesius oratione de Regno. Obseruandum autem in carioſis illis San-Victorianæ Bibliothecæ membranis pro *Sphinga* liquidò legi *Spinga*, quomodo semper scribendum esse monuit Iouianus Pontanus *lib. de aspiratione*, quod sit Græcum Latinæ linguæ contrarium. *Vt spara, scema, apotegma*, & alia huiusmodi, aspiratione detracta, quod etiam Ioachimus Camerarius obseruat *notis ad Oedipum Tyrannum Sophoclis.*

Vers.381. *Vt qui Bistonia.* Ego veterem illam iudiciorum formulam *non liquet* hic vsurpare malo, quam temerè quidquid obuium est arripere, aut falsam Nasoni sententiam affingendo Lectori fucum facere. Nam quæ ab enarratoribus dicta sunt, eo numero apud me sunt, quo tricæ & apinæ. *Ξενηλασίας*, inquit Sanctius, *Lacedæmonij legem tulere, ne alicui hospiti Sparta esse liceret, quam legem Græci dixerunt ξενηλασίαν, id est, hospitum expulsionem. Lemniaci multi Spartæ*

deprehensi ex lege interfecti sunt in templo Palladis, quam Thraciam appellabant, quo scelere statua auertit oculos. Maximam profecto Sanctius apud me gratiam inierit, si Authorem omni maiorem exceptione protulerit. Ego certius non habeo quod ad loci huius expositionem spectet, quam quod Iustinus *lib.* 20. de quinquaginta iuuenibus in Templo Mineruæ trucidatis narrat his verbis: *Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis & Crotoniensibus pellere cæteros Græcos Italia statuerunt. Cum primùm vrbem Sirim cepissent in expugnatione eius quinquaginta iuuenes amplexos Minerua simulacrum Sacerdotémque Deæ velatum ornamentis inter ipsa altaria trucidauerunt. Ob hæc cum peste & seditionibus vexarentur priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt. Responsum his est, finem mali fore si violatum Minerua numen & interfectorum manes placassent. Itaque cum statuas iuuenibus iustæ magnitudinis, & in primis Mineruæ fabricare cepissent, Metapontini cognito oraculo Deorum occupandam manium & Deæ pacem rati iuuenibus modica & lapidea simulacra ponunt & Deam panificiis placant. Atque ita pestis vtrobique sedata est, cum alteri magnificentia, alteri velocitate certassent.* Ecce quinquaginta iuuenes ad aram Mineruæ cæsos, ecce Mineruam iratam, quam Iustinus pestilentiam interfectoribus immisisse, Naso poëtico more oculos auertisse dicit. *Bistoniam* autem Mineruam dixit, quod illa præesset militiæ, cuius peritia Thraces maximè gloriantur, vnde Ἐνυάλια & Ἄρεια dicta est.

VERS.

VERS. 382. *Propter quod facies.* Idem *lib.* 4. *Metamorph.* de Meduſa.

Hanc pelagi Rector templo vitiaſſe Minervæ
Dicitur; averſa eſt & caſtos ægide vultus
Nata Iovis texit ——

Ita quoque ſimulacrum eiuſdem Deæ, cum violaretur ab Ajace Caſſandra, pudicos oculos ad templi faſtigium ſuſtuliſſe refert Homeri Scholiaſtes ad *Iliad.* 11. Quod & ipſa Caſſandra vaticinatur apud Lycophronem. Sic etiam cum Iones Ilium cepiſſent ſupplices à Minervæ ſimulacro vellebant, nulla religionis habita ratione, quod cum fieret ipſum ſimulacrum facinoris atrocitate commotum oculos clauſiſſe fertur, vt idem Lycophron refert, quod tamen Strabo *lib.* 6. fabuloſum putat.

Vt qui Threicij quondam præſepia Regis
Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.
Therodamanteos vt qui ſenſere Leones,
Quique Thoantea Taurica ſacra Dea.

COMMENTARIVS.

Diomedis Thracis immanitas. Equus Sejanus de genere equorum Diomedis creditus. Dissensum ab Andrea Schotto in loci Ouidiani explicatione. Therodamantis crudelitas.

VERS. 383. *VT qui Threicij.* Nota Diomedis Thracum Regis immanitas, equos suos humanis carnibus alere soliti, quemadmodum scribunt Apollodorus *lib.* 2. Diodorus *lib.* 1. Philostratus *in imaginibus.* Plinius *lib.* 4. *cap.* 2. Seneca *Hercule furente, versu* 225. Item *Agamemnone versu* 838. Claudianus *Præfat. lib.* 2. *de raptu.* Hinc Hercules apud Ouidium nostrum *lib.* 9. *Metamorph.*

Quid cum Thracis equos humano sanguine pingues,
Plenáque corporibus laceris præsepia vidi,
Visáque deieci, dominúmque ipsósque peremi.

Historia vera est, Diomeden equis alendis tantisper delectatum vsque dum facultates omnes consumpserit. Quamobrem equos eius ἀνθρωποφάγους dixerint, vt exponit Palæphatus *lib. de incredibilibus.* Alij aliter. Constans autem fama fuit equum Sejanum Argis natum, prouerbio nobilem, tanquam de genere equorum progenitus

nitus foret qui Diomedis Thracis fuissent, quos Hercules Diomede occiso è Thracia Argos perduxisset, vt scriptum reliquit ex Cajo Basso A.Gellius *noct. Attic. lib.*3. *cap.*9.

VERS.385. *Therodamanteos.* Quum plerique sodalitatis eius, quæ toto ferè terrarum orbe diffusa est quotidie magis rem litetariam, tum docendo, tum scribendo promoueant. Hi tres præcipuè de Musis humanioribus in dies bene mereri mihi videntur, Iacobus Sirmundus, Dionysius Petauius Galli,& Andreas Schottus Belga. Dicant & sentiant alij quod velint. Illum autem quem postremo loco nominaui meritò Isaacus Casaubonus Præfatione ad suas in Athenæum animaduersiones, eruditionis altæ virum appellat; & ego profiteri atque etiam præ me ferre soleo, tantum me fructus ex eius scriptis cepisse, quantum ex aliis neminis. Interdum tamen ab eo dissentire cogor, vt hoc loco dissentio, quum pro vulgata scriptura legendum suspicatur *Therodanteos* à Therodante citerioris Hispaniæ Rege, qui cum furore actus Herculis templum oppugnare aggressus esset, veniréntque ex aduerso Gaditani instructo nauium exercitu, subito in fugam versæ sunt Regiæ naues, inquit Macrobius *lib.*1.*Saturnal. cap.*20. simúlque improuiso igne correptæ conflagrauerunt. Paucissimi qui superfuerant hostium capti indicauerunt apparuisse sibi Leones proris Gaditanæ classis superstantes, ac subito suas naues immissis radiis quales in Solis capite pinguntur,exustas. Ita Schottus

lib.2. cap.32. Humanarum obseruationum. Sed habebat opinor senex doctissimus occupatam alibi mentem, aut certè adulterinis conspiciliis inter legendum vtebatur, cum illam suam coniecturam in medium protulit; neque enim *Therodas*, sed *Theron* in omnibus qui circumferuntur Macrobij codicibus constanter legitur. Deinde genuinam esse huius Ouidiani loci lectionem *Therodamas*, patet ex eodem Ouidio qui *lib.1.de Ponto, Eleg.3.* eiusdem Therodamantis meminit in his.

Non tibi Therodamas crudúsque vocabitur Atreus,
Quique suis homines pabula fecit equis.

Vetus Scholiastes ait Scythiæ Regem fuisse, qui timens ne per insidias occideretur, leones hominum sanguine alebat, quo magis sæuirent, vt si casus postularet ad crudelitatem paratos haberet. Eum verò sic appellatum quod ferarum domitor esset, vel si *Theromedon* legas, vt quidam Codices habent, quod feris imperaret, non leuis est Domitij & Bartholomæi Merulæ suspicio de illo, nihil mihi præterea lectum.

VERS.386. *Quique Thoantea.* Tauri Scythiæ populi sunt, quorum Tyrannus fuit Thoas, à quo Diana Taurica Nasoni dicta Thoantea, cuius ara hospitum immolatione infamis apud Herodotum *in Melpomene*, Callimachum *Hymno in Dianam*, Euripidem *Iphigenia Taurica*, Pomponium Melam *lib.4.* Minucium *in Octauio*, Ouidium *pluribus locis* & alios passim.

Vt

Vt quos Scylla vorax, Scyllæque aduerſa Charybdis
Dulichiæ pauidos eripuere rati.
Vt quos demiſit vaſtam Polyphemus in aluum,
Vt Læſtrigonias qui ſubiere manus.

COMMENTARIVS.

Scylla & Charybdis quid. Polyphemi proceritas nequaquam fabuloſa. Læſtrigones qui, & vbi ſedem habuerint.

VERS. 387. *VT quos Scylla vorax.* His quatuor verſibus Scyllam, Charybdim, Polyphemum, Læſtrigonas Vlyſſis claſſi infeſtos Ibidi vouet, quæ omnia Flaccus lib. de Arte poëtica *miracula ſpecioſa* vocat. Vlyſſes apud Homerum *Odyſſ.* 12. cum nauem propius ad Scyllam admouiſſet, ſex amiſit ex ſociis, eoque reſpexit Maro *Ecloga* 6. his verſibus.

Quid loquar, aut Scyllam Niſi quam fama ſecuta eſt
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto,
Ah timidos nautas, canibus laceraſſe marinis.

Quod

Quod iiſdem propè verbis repetit in Ceiri. Cæterum *voracis* epithetum quod etiam Catullus *de nuptiis Pelei & Thetidos* Scyllæ tribuit, Charybdi magis conuenit, nam vt ait Plinius *lib.3. cap.8. Eſt ſcopulus Scylla, item Charybdis mare vorticoſum: Ambo clara ſæuitia.* Quæ quidem verba tranſcripſit S. Hieronymus *Tractatu de locis Hebraicis*, & poſt eum Beda *Tractatu de nominibus locorum in Actis Apoſtolorum.* Hinc Ciceroni *Philippica 2. vorax.* Senecæ *Thyeſte rapax.* Ipſi Ouidio *lib.13. Metamorph. auida* dicitur. Proinde Euſtathius *in 12. Odyſſ.* dictam putat παρὰ τὸ εἰς χάος ῥᾷον ὑποδύνειν, alij malunt εἰς χάος ῥωβδεῖν. Et vero Charybdis nihil aliud eſt, quàm hiatus terræ vel maris vorticoſi, quo aquæ abſorbentur. Hinc & Orontes in Syria abſorptus hiatu inter Apameam & Antiochiam, rurſumque poſt 40. ſtadia emergens, Charybdis appellatur authore Strabone *lib.6.* qui Circen apud Homerum in hac deſcriptione mendacium admiſcuiſſe, & de induſtria Tragicæ amplificationis cauſa locutam ſcribit. Vnde Seneca Epiſt.79. *Scyllam ſaxum eſſe & quidem non terribile nauigantibus optimè ſcio.* Scylla quidem ad quam Scyllæum oppidum, hodie *Sciglio*, Charybdis *Calofaro* & *la Rema.* Hæc Meſſanæ, illa Rhegio ſubeſt, ſpatio duntaxat 15. m. paſſ. interiecto. Sed & totum Fretum Siculum Charybdis appellatur Thucydidi. Eſt autem Dulichium vna ex Echinadibus Inſulis, non procul ab Ithaca Vlyſſis patria, vnde paſſim Vlyſſes Dulichius

dictus.

dictus. Ithaca hodie *Valle di compare.*

VERS. 389. *Vt quos demisit.* Polyphemus sex Vlyssis socios deuorauit, ipsum etiam Vlyssem deuoraturus, nisi ab eo inebriatus & identidem excæcatus fuisset, vt Homerus scribit *Odyss. I.* Quod etiam graphicè describitur à Virgilio *lib. 3. Æneid.* & Ouidio nostro *lib. 14. Metam.* Tangit & Boëthius *lib. 4. de consolatione Philosophiæ*, in his.

Fleuit amissos Ithacus sodales,
Quos ferus vasto recubans in antro
Mersit immani Polyphemus aluo,

Eóque pertinet illud Ennij ex *Annal. 9.* apud Priscianum.

Cyclopis venter velut olim turserat alti
Carnibus humanis distentus.

Quum autem Naso *vastam aluum*, Boëthius *immanem* dixerunt, Homerum ambo expressere, qui μεγάλῳ νηΐ dixerat. Et vero quidni vasta & immanis esset Polyphemi aluus, cum Virgilius eius proceritatem sic repræsentet.

——— Ipse arduus, altáque pulsat
Sidera———

Et ante ipsum Lucilius.

Multa homines portenta Homero versificata
Monstra putant quorum in primis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes, & porro huic manu bacillum,
Quam malus nauis in corbita maximus vlla.

Nequaquam autem fabulosam esse, illam Polyphemi

phemi & Cyclopum aliorum proceritatem, documento sunt immania illa cadauera, viginti & etiam amplius cubitorum, quæ ad radices Erycis montis in Sicilia effossa esse prodidit Thomas Fazellus in his quæ de Sicilia scripsit. Sed enim fortasse Polyphemi cadauer fuit, de quo Fazellus idem *Decade* 1. *lib.*1. *cap.*6. in hunc modum. *Eryx mons est in Sicilia notissimus, mons Deprani hodie vulgo nominatus. Ad huius radices quâ Orientem respicit quum rustici quidam anno salutis M. CCCXLII. pastorali casæ fundandæ altius foderent, in antrum immensum inciderunt, in quod ingressi, virum portentosæ magnitudinis sedentem deprehenderunt, cuius rei nouitate consternati ex antro ocius fugam in oppidum, quod ad verticem est capessunt, ciuibúsque quid monstri viderint referunt. Erycini excíti, armati antrum petunt, ex quibus complures facibus incensis specum introgressi, monstróque quod in conspectu habebant tandem proximiores facti, hominem non vinum, sed cadauer humanum proceræ staturæ in sede positum, sinistra manu baculo mali nautici instar innixum, nulláque ex parte corrosum cognoscunt. Tactu scipionis cortex confestim in cinerem dissoluitur, quo claua plumbea quæ è terra ad manum vsque sedentis ascendebat, celabatur, tactu & cadauer aquè statim corruit, & in puluerem versum est, tribus solum dentibus molaribus admirandæ magnitudinis, & anteriori cranij parte aliquorum modiorum Sicilienſium capace incorruptissimis ac firmissimis relictis. Erycini in rei fidem ac miraculum dentes filo ferreo ad crucifixi pedes, quì*

in

in medio Templi Annunciata eiusdem oppidi pendebat, suspenderunt. Hac mihi omnia Senatores Erycini retulerunt. Meminit & exactè huius exempli Ioannes Boccacius *lib.4. cap.68.* de Genealogia Deorum. Certè Polyphemum, alioſque Cyclopas ſedem ad Erycem montem habuiſſe ſupra diximus ad *verſum* 271.

VERS.390. *Vt Læſtrigonias.* Læſtrigones Gigantum genus fuere, quos humanis carnibus veſci ſolitos ſcribit Plinius *lib.7.cap.2.* Ij ſocios aliquot Vlyſſis verubus transfixos,& igni aſſos deuorarunt apud Homerum *Odyſſ.10.* Vbinam verò ſedes eorum fuerit inter authores non conuenit. Quidam agrum Leontinorum in Sicilia tenuiſſe prodiderunt. Quæ quidem vrbs hodie *Lentini* vocatur. Hinc *Læſtrigonij campi* circa Leontinos appellati, de quibus Geographi veteres. In quam ſententiam Iſacius Tzetzes *in Lycophronem.* Λαιστρυγόνες δέ εἰσιν οἱ νῦν ἐν Σικελίᾳ Λεοντῖνοι, *Læſtrigones verò ſunt qui nunc in Sicilia Leontini dicuntur.* Certè Thucydides antiquiſſimus Scriptor *lib.6.* Cyclopas & Læſtrigonas Siciliæ partem quandam tenuiſſe narrat, quorum neque genus, neque vnde venerint, neque quò abierint, ſe compertum habere profitetur. Alij Læſtrigones in Italia poſuerunt ad Formianum litus, haud ita procul à Circæo monte, ipſum oppidum Formias Lami ſedem facientes. Vnde Flaccus *Ode 17. lib.3.* ad Ælium Lamiam.

Æli vetuſto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denomi

Denominatos, & nepotem
Per memores genus omne Fastos.
Authore ab ipso ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innatam Maricæ
Litoribus tenuisse Lirin,
Latè Tyrannus.

Qua de re Philippus Cluuerius copiosè *in libris de Italia, & Sicilia antiqua.*

Vt quos Dux Pœnus mersit putealibus vndis,
Et iacto canas puluere fecit aquas.
Et velut Icaridos famulæ periere, procique,
Inque caput domini qui dabat arma procis.

COMMENTARIVS.

Annibalis crudelitas in Acerranos. Famularum & procorum Penelopes, item Melanthij Vlyssis caprarij interitus.

VERS. 391. *VT quos Dux Pœnus.* Acerranorum Senatum intelligit, quem specie induciarum extra mœnia euocatum Annibal in profundum puteorum abiici, & terra obrui iussit, vti narrat Appianus in eo libro cui titulus est *Lybicus* & Valerius Maximus *lib. 9. cap. 6.*

VERS.

VERS. 393. *Et velut Icaridos.* Icaris est Penelope Icari filia, cuius famulas & Procos, item Melanthium Caprarium Vlysses domum reuersus interfecit. Qua in narratione totus est Homerus *Odyss.* 22. Idémque *lib.* 16. octo supra centum Procos enumerat, nempe quinquaginta duos ex Dulichio, viginti quatuor ex Samo, viginti ex Zacyntho, duodecim ex Ithaca, totidémque memorantur ab Appione Alexandrino apud Athenæum *lib.* 1. *cap.* 14. Eustathius tamen *in primum Odysseæ* trecentos ex aliquorum sententia fuisse prodit. Ad Melanthium quod attinet, ipsi nares & aures abscissæ, pedes cum manibus incisi, genitalia exsecta, & canibus obiecta sunt, quod is in caput Vlyssis arma Procis ministraret.

Vt iacet Aonio luctator ab hospite fusus,
Qui mirum victor cum cecidisset erat.
Vt quos Antæi fortes pressere lacerti,
Quosque fera morti Lemnia turba dedit.

COMMENTARIVS.

Antæi fabula, cur terræ filius dictus. Eius proceritas. Lemniacarum mulierum sæuitia. Λήμνιον κακὸν *quid.*

VERS. 395. *VT iacet Aonio.* Antæum intelligit, Neptuni & terræ filium, Athletam fortissimum, hospites secum luctari coactos enecantem, valentiúsque certantem, quoties prostratus terram matrem contigisset, à qua vires illi nouæ semper addebantur. Quamobrem Hercules ipsum è terra sublatum & compressum elisit. Ex Apollodoro *lib.* 2. Diodoro Siculo *lib.* 4. Lucano *lib.* 4. elegantissimè luctam Herculis & Antæi prosequente, obitúrque meminerunt Ouidius ipse *Epistola Deianiræ*, item *lib.* 9. *Metamorph.* Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 21. Martialis *Epigram. lib.* 5. Statius *lib.* 7. *Thebaidos.* Claudianus *in Rufinum lib.* 1. Martianus Capella *lib.* 6. Allegorice verò Fulgentius *Mythol. lib.* 2. Quin etiam Eusebius Gallicanus *Homilia* 8. Christo à terra sublato fabulam applicat. Terræ filium ideò dictum tradit Procopius *lib.* 4. *de bello Vandalico*, quia Tingitani, quorum Tyrannus fuit Antæus, sese veros αὐτόχθονας prædicarent. Neque vero prætermittendum quod Plutarchus *in Sertorio*, de Antæi proceritate scriptum reliquit. Eam nimirum

mirum fuisse cubitorum sexaginta. Cæterùm Hercules ab Ouidio *Aonius* dictus à Thebis Bœotiæ ciuitate, ex qua oriundus erat. Bœotiam enim antiquitus Aoniam appellatam suprà diximus.

VERS. 397. *Vt quos Antæi.* Antæus enim complures lucta victos interemerat.

VERS. 398. *Quosque feræ morti.* Lemniacæ mulieres, cum ob fœtorem hircinum à viris contemnerentur, iniuriam vltæ omnes è Thracia cum pellicibus reuersos vna nocte trucidarunt, præterquam Hypsipyle, quæ Patrem Thoantem seruauit. Author Apollodorus *lib.* 1. Statius *lib.* 5. *Thebaidos.* Valerius Flaccus *lib.* 2. *Argonaut.* Apollonij Scholiastes *in lib.* 1. Didymus *in* 7. *Iliad.* Pindari Scholiastes *in argumento Nemeorum.* Ex illa vero Lemniadum graueolentia natum Prouerbium λήμνιον κακὸν, de quo Paræmiographi. Alarum fœtorem esse tradit Dio Chrysostomus *oratione* 33. & Lactatius *in* 5. *Theb.* qui hircinum odorem vocat. Verum Eustathius *in* 1. *Iliad.* ad oris graueolentiam refert. Vt vt sit, Myrtilus siue Myrsilus apud Antigonum *Paradoxo* 130. & Apollonij Scholiastes fœtorem illum ex Medeæ pharmacis enatum prodidit. Alij fabulantur à Venere immissum.

Vt qui post longum sacri monstrator iniqui
Elicuit pluuias victima cæsus aquas.

Frater vt Antæi, quo sanguine debuit Aras
Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.

COMMENTARIVS.

Reiecta Gulielmi Canteri explicatio. Caroli Saluagnij elogium. Thrasius Ioui pluuio immolatus. Busiris ab Hercule mactatus. Neptuni filij qui appellati.

VERS. 399. *VT qui post longum.* Gulielmus Canterus vir eximiè literatus *Annotationibus in Lycophronem*, hunc locum de Molpide illo interpretatur, quem pro patria Ioui Pluuio mactatum esse prodit Lycophron in his.

Ἔστειλ' Ἐρεχθεὺς ἐς Λαιτρινάιας γηᾶς
Λευκρὰν ἀλετρεύσοντα Μόλπιδος πέτραν
Τῷ Ζηνὶ διαιτρυθέντος ὁμβρίῳ δέμας
Misit Erechtheus in Lætrinæos agros,
Politum triturum Molpidis lapidem
Ioui pluuio sacrificati.

Verùm Carolus Saluagnius Boëssij Toparchus pater meus, vir non minus literis quam militari gloria nobilis, qui nimirum Syriacè, Hebraïcè, Arabicè, Græcè, Latinè, Hispanicè, Italicè, Germanicè, Anglicè peritissimus erat, in suis ad eundem Lycophrona Commentariis Ouidium luculenter interpretatur

tatur de Thrasio illo de quo scilicet ipse *lib.* 1. *de Arte amandi.*

Dicitur Ægyptus caruisse rigantibus arua
Imbribus, atque annos sicca fuisse nouem.
Cum Thrasius Busirin adit, monstrátque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.
Illi Busiris, fies Iouis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.

Idémque voluisse Claudianum nemini dubium esse debet, quum ait *lib.* 2. *in Eutropium.*

Sic multos fluuio Vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem,
Inuentas primum Busiridis imbuit aras,
Et cecidit sæui quâ dixerat hostia sacri.

Quod etiam memoriæ prodidit Apollodorus *lib.* 2. *Bibliothecæ.* Ex his manifestò patet interpretationem Patris mei, tam veram esse quàm verum est me viuere. Sed enim Busiridis ipsius interitus proximo disticho memoratur.

VERS. 401. *Frater vt Antæi.* Busiris Antæi frater, cum vterque Neptunum patrem habuerit. S. Augustinus *lib.* 18. *de ciuitate Dei, cap.* 12. *Illo tempore vel Rex, vel potius Tyrannus Busiris suis Diis suos hospites immolabat, quem filium perhibent fuisse Neptuni ex matre Libya filia Epaphi.* Enimverò ferocissimos, & ab omni humanitate alienos Neptuni filios à Poëtis appellatos, Iouis autem præstantissimos virtute prudentiáque notauit A. Gellius *lib.* 15. *noct. Atticar. cap.* 21. Ipse tandem ab Hercule, eo quod dederat exemplo, mactatus debitas crudelitatis suæ pœnas exoluit, vt scri-

bunt Apollodorus *lib.*2. qui matrem eius non Libyam, sed Lysianassam vocat, Diodorus Siculus *lib.*4. Hinc Hercules apud Ouidium nostrum *lib.*9. *Metamorph.*

Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Busirim domui.

Quanquam Isocrates in Encomio Busiridis ipsum negat occisum ab Hercule, qui ducentis & amplius annis iunior fuerit. Imò verò Eratosthenes apud Strabonem *lib.*17. nullum Busirim fuisse, nec Regem, nec Tyrannum constanter affirmat.

Vt qui terribiles, pro gramen habentibus herbis,
Impius humano viscere pauit equos.
Vt duo diuersis sub eodem vindice casi
Temporibus, Nessus Dexamenique gener.

COMMENTARIVS.

Diomedes Thracum Rex equis suis pabulum datus. Gramen. Nessus & Eurytion Centauri ab Hercule occisi.

VERS.403. *VT qui terribiles.* Diomedes Thracum Tyrannus equis suis, quos humanis carnibus aluerat, ab Hercule pabulum datus est, vt ea ipse pateretur quæ

quæ aliis fecerat. Ex authoribus allatis ad *versum* 383. Sed quod ait Ouidius *pro gramen habentibus herbis*, vel pro eo dictum videtur, quod est apud Virgilium *Eclog.5. graminis herbam*, vel est eius sententia, pro herbis quibus inesset gramen. Quæ certè locutio cum insolens videatur, suspicabar legendum *pro gramen habentibus aruis*. Sed inconcinnè dici mihi visum est, *pauit equos humano viscere*, *pro gramineis aruis*. Porrò de gramine herba, sic Plinius lib.34. cap.19. *Gramen ipsum est inter herbas vulgatissimum. Geniculatis serpit internodiis, crebróque ab his & ex eius cacumine nouas radices spargit. Folia eius in reliquo orbe in exilitatem fastigiantur. In Parnasso tantum ederacea specie densius, quam vsquam. Fruticat flore odorato candidóque. Iumentis herba non alia gratior, siue viridis siue in fœno siccata, cum detur aspersa aqua.* Quoniam vero gramen est inter herbas vulgatissimum, ideo pro quauis herba interdum vsurpatur.

VERS.406. *Temporibus Nessus.* Nessus Centaurus ab Hercule sagittis transfixus, quod vim Deianiræ ad Euenum fluuium inferre voluisset, vt copiosè prosequitur Naso, *lib.9. Metamorph.* & Deianira ipsa apud Senecam *Hercule Oetæo*, *versu* 500. Apollodorus *lib.2. Biblioth.* Higynus *fab.34.* Tzetzes *in Lycophronem.* Obiter Strabo *lib.10.* Pausanias *Laconicis* & *Phocicis.*

Dexamenique gener. Debetur huius loci restitutio Paulo Leopardo viro doctissimo, *qui lib.3. emendationum cap.4.* pro vulgata scriptura.

Dissimanique gener primus legendum vidit *Dexameni*, vt intelligatur Eurytion Centaurus Ixionis & nubis filius, ab Hercule itidem occisus, quod is Deianiram Dexameni Regis filiam per vim desponsasset, quam prius Hercules ipse corruperat, data fide se eam vxorem ducturum. Sic Higynus *fab.*33. & Luctatius in illud Statij *si quando profundo Nubigenæ caluere mero.* Sed aliter historiam produnt Apollodorus *lib.*2. & Diodorus Siculus quorum hic Dexameni filiam,non Dejaniram, sed Hippolyten, ille Mnesimachen vocat.

Vt pronepos Saturne tuus, quem reddere vitam
Ipse Coronides vidit ab vrbe sua.
Vt Sinis,& Sciron, & cum Polypemone natus,
Quique homo parte sui, parte iuuencus erat.
Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras,
Æquoris aspectans huius & huius aquas.
Quaque Ceres vidit lato pereuntia vultu
Corpora, Thesea Cercyonea manu.
Hæc tibi, quæ precibus iustis mea deuouet ira,
Euenient, aut his non leuiora malis.

COMMENTARIVS.

Latrones à Theſeo interfecti. Lucretij lectio vindicata contra Salmaſium. Ouidius emendatus. Eiuſdem locus ex Metamorph. reſtitutus. Virgilius à correctione Ioſephi Scaligeri defenſus, & enarratus. Ouidius iterum explanatus.

VERS. 407. *ET pronepos Saturne tuus.* Ouidius ab Herculis laboribus ad ærumnas Theſei digreſſus, latrones ab illo interfectos octo verſibus commemorat. Adeò vt Iſocrates in Encomio Helenæ illum Herculi anteponere non dubitarit: ſcilicet Herculem celebriora, Theſeum vtiliora & Græcis coniunctiora certamina ſubiiſſe dicit. Nimirum illi Euryſtheus imperabat, vt mala Heſperidum afferret, Cerberum adduceret, & alios id generis labores ſuſciperet, quibus nihil aliis conduceret, ſed ipſe in diſcrimen & periculum vocaretur. Theſeus autem, cum ſui iuris eſſet, ea certamina delegit, quibus patriam ſuam & totam Græciam ſibi beneficiis obſtringeret. Hoc diſticho Periphetes intelligendus ex Vulcano patre & auia Iunone Saturni pronepos, *Coryne-*

netes à claua ænea qua vtebatur appellatus, quem latrociniis infamem Theseus ad Epidaurum hodie *Raguze* Æsculapij delubro celebrem interfecit. Quamobrem facinoris testem habuit ipsum Æsculapium, quem à Coronide matre Naso Coronidem nominat. Authores Apollodorus *lib.*3. Plutarchus *in Theseo*, Pausanias *in Corinthiacis*, Higynus *fab.*88. apud quem mendosè Periphetes Neptuni filius dicitur. Ouidius ipse *lib.*7. *Metamorph.* cum ait de Theseo.

——— Tellus Epidauria per te
Clauigeram vidit Vulcani occumbere prolem.

Cæterum *reddere vitam*, locutio tralatitia est, qua vsus idem Ouidius *lib.*10. *Metamorph.* & Cicero *pro Cneo Plancio: Qui pro Republica vitam reddiderunt.* Item Lucretius *lib.*6.

Aut etiam nona reddebant lampade vitam.

Sed obscurior locus est *lib.*4. in his

Vsque adeo certè vt videamur cernere eum quem
Reddita vitai iam mors & terra potita est.

ad quem Lambinus. *Hoc est, vt opinor, mors cum vita commutata.* Gifanus in Indice, *id est, allatus vitæ interitus.* Salmazius *Epistola* 50. *ad Fridericum Gronouium.* Hæc verba: *Reddita vitai iam mors* nullum sensum efficere putat, ideoque sic emendat, *Reddita vita iam mors & terra potita est*, nempe, *Reddita* secunda producta, à *reddire* pro *reddere*, sic *reddibo* apud Plautum pro *reddam*, ego nihil mutandum censeo. Lucretius dixit, *Reddita vitai iam mors* pro *Data vitæ iam*

mors vsus nimirum verbo composito pro simplici, quomodo sæpè alias tum *lib.*2.

Præterea si nulla coloris principiis est
Reddita natura.

Item *lib.*4.

Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita sit.

Perinde est igitur ac si dixisset, *Dedita vitæ iam mors*: vt vt sit, locutio est insolens.

VERS.409. *Vt Sinis.* Fuit hic latro nobilis, ad Isthmum Corinthiorum qui ramis diuersarum pinorum ad terram vi deflexis hospites alligabat, vt arborum in se redeuntium impetu sublati miserabilem in modum distraherentur, ob hoc dictus πιτυοκάμπτης *incuruans pinus*. Sed ipse postea Theseo vindice eodem supplicij genere scelus luit, vt narrant Apollodorus *lib.*3. Diodorus Siculus *lib.*4. Plutarchus *in Theseo*, Pausanias *in Corinthiacis*, Higynus *fab.*38. Pindari Scholiastes *in argumento Isthmiorum*. Ouidius ipse *Epistola Phyllidis*, item *lib.*7. *Metamorph.* his versibus

Occidit ille Sinis magnis malè viribus vsus,
Qui poterat curuare trabes & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.

Sinin verò ἀπὸ τῆ σίνεσθαι quod est nocere, dictum putat Eustathius *in primum Iliados*.

Et Sciron. Theseus præterea Scironem in mare abiecit, qui iuxta Megara occupatis petris quæ ab eo Scironiæ dictæ sunt, inde quoscunque nactus esset hospites detrudere solebat, vt author est Diodorus Siculus *lib.*4. Pausanias

ſanias *in Atticis*, Euripidis Scholiaſtes *in Hippolytum*. Alij tradunt Scironem eo petulantiæ progreſſum, vt hoſpitibus pedes lauandos protenderet, atque ita calce eos impetens in mare præcipitaret. Ex Plutarcho *in Theſeo*. Higyno *fab*.38. Ioanne Tzetze *chiliade* 5. *Hiſtoria* 10. Scironias petras accuratè ſuo more deſcribit Strabo *lib*.9. Quas Pauſanias & Diodorus ἐναγεῖς *ſceleratas*, Papinius *lib*. 1. *Thebaid. infames*, Seneca *Hippolyto*, *ſcelere nobiles* vocant, de quibus Ouidius *lib*.7. *Metamorph*.

Tutus ad Alcathoi Lelegeia mœnia limes
Compoſito Scirone patet ſparſiſque latronis
Terra negat ſedem, ſedem negat oſſibus vnda,
Quæ iactata diu fertur duraſſe vetuſtas
In ſcopulos, ſcopulis nomen Scironis inhæret.

Et cum Polypemone natus. Polypemon idem qui Procruſtes Pauſaniæ *in Atticis*. Is coactis hoſpitibus lectum aſcendere, ſi longiores erant parte ſupereminente præcidebantur. Sin breuiores, ad lecti menſuram extendebantur. Hinc Procruſtes nominatus ἀπὸ τοῦ προκρούειν, quod eſt impellere. Quo poſtea cruciatu à Theſeo affectus eſt, ex Diodoro Siculo *lib*.4 Higyno *fab*.38. Plutarcho *in Theſeo*, qui Procruſti Damaſtin nomen fuiſſe tradit, vt & Heſychius. Perperam autem Pindari & Euripidis Interpretes, & Natalis Comes *Mytholog. lib*.7. *cap*.9. Sinin cum Procruſte confundunt. Illum ad oppidum Hermionem occiſum eſſe Diodorus affirmat, Pauſanias ad Cephiſi alueum. Item Ouidius *lib*.7. *Metamorph*. cum ait.

Vidit

Vidit immitem Cephisias ora Procrusten.

Quem autem Naso per filium Polypemonis innuat etiamnum quæritur, licet Apollodorus *in fine lib.* 3. Sinin Polypemonis & Syleæ filium esse prodiderit, cui subscribit Euripidis Scholiastes *in Hippolyto.* Nam cum de Sini Ouidius iam locutus sit, alium profectò designari necesse est. Itaque fortè an vna literula mutatâ sic legendum. *Et cum Polypemone natam.* Vt Phæa mulier intelligatur, de qua sic Plutarchus *in Theseo pag* 9. editionis Stephaneæ: Ἔνιοι δέ φασι τὴν φαιὰν λῃστρίδα γυναῖκα φονικὴν, καὶ ἀνόλεθρον, ἄνπιθι κατοικοῦσαν ἐν Κρομυῶνι. Σὺν ᾗ ἐπονομασθῆναι. *Sunt qui Phæam mulierem latronem fuisse atrocem & lascivam referant quæ ibidem habitabat in Cromyone, suem appellatam ex moribus & vita, quæ sit inde à Theseo trucidata.* Cuiusque meminit Ouidius *lib.* 7. *Metamorph.* in his de Theseo.

Quodque suam securus arat Cromyona colonus,
Munus opúsque tuum est.

Quo loci αὐτὴ τὴν *suam* quod omnes hactenus editiones obsedit, legendum existimo *suis*, id est, *Phææ securus*, quæ sus appellata est. Eam autem Polypemonis filiam fuisse alienum à verò mihi non videtur. Nam cum Pytiocampten Polypemonis & Syleæ filium esse tradat Apollodorus, eundémque Pausanias *initio Corinth.* Cromyone educatum testetur, Phæa illa quam Theseus Cromyone interfecit, filia Polypemonis & soror Sinis esse potuit. Obiter autem vindicandus à magni viri correctione

Virgilius

Virgilius cum de Sylla canit in Ceiri.

Præterit abruptas Scironis protinus arces,
Infestúmque suis diræ testudinis exit
Spelæum, multóque cruentas hospite cautes.

Quo loco Iosephus Scaliger pro *testudinis* quod in omnibus libris, tum excusis, tum exaratis legitur, suo periculo rescribendum pronunciat *Thescidis*, vt Sus Cromyonia intelligatur, de qua modo diximus. Sed enim vulgata lectio retinenda, & tres illi versus de vno Scirone capiendi, qui ante Megara Scironias petras insidens hospites à se præcipitatos marinæ testudini obiiciebat, vt author est Diodorus Siculus *lib.4.* & Pausanias *sub finem Atticorum*, his verbis: Τὰς δὲ μετὰ ταύτην νομίσουσιν ἐναγεῖς ὅτι παροικῶν σφίσιν ὁ Σκίρων ὁπόσοις τῶν ξένων ἐπετύγχανεν ἠφίει σφᾶς ἐς τὴν θάλασσαν, χελώνη δὲ ὑπενήχετο ταῖς πέτραις τοὺς ἐσβληθέντας ἁρπάζειν. *Nam alia saxa quæ* (Moluridi) *adiacent infamia & scelerata putant, quod cum ea accoleret Sciron, inde quoscumque nactus esset hospites in mare detruderet. Eos verò adnatans testudo marina conficere dicebatur.* Quod etiam prodidit Euripidis Scholiastes *Hippolyto.* Quamobrem Virgilius Scyllam de prora nauis, quâ Minos vehebatur, suspensam & per mare tractam præteriisse dicit Scironias petras, & Spelæum testudinis marinæ infestum suis, id est, Megarensibus suis ciuibus, cum ipsa Nisi Megarensium Regis filia esset. Hæc est autem germana Virgiliani loci enarratio.

VERS.410. *Quique homo parte sui.* Minautau-

tus

rus à Theſeo occiſus, de quo ſupra dictum eſt ad *verſum* 373.

VERS. 411. *Quique trabes preſſas.* Ouidius priore diſticho de Sini locutus, nunc de Pityocampte ſubiicit. At Sinis idem eſt qui Pityocamptes, id eſt, *incuruans pinus*, ita ſcilicet appellatus, quod hoſpitum brachia ramis pinûs in terram adductis alligaret, vt redeuntibus in altum ramis diſcerpto corpore partes in diuerſa caderent. Hinc Plutarchus *in Theſeo pag.* 8. editionis Stephaneæ: ἐν δ' Ἰσθμῷ Σίνιν τὴν πιτυοκάμπτην, ᾧ τρόπῳ πολλοὺς ἀνήρει, τούτῳ διέφθειρεν αὐτός. *In Iſthmo Sinin Pityocamptem quomodo multos ille peremerat eodem eum ſuſtulit.* Quid ergo de hoc loco ſtatuendum? Certè Mezeriacus vir omnifariam doctus notis vernaculis ad Epiſtola Ouidianam Phyllidis ad Demophoonta de illo diſſerens, ſic ait: *Que dirons-nous donc de cét autre paſſage du Liure contre Ibis; i'aduoüe que ie ne ſçay point comme il s'en faut demeſler, mais i'attens que les plus doctes me l'apprennent.* Obſeruo nonnullos Sinin à Pityocampte diuerſum facere. In his Pauſaniam *in Corinthiacis, pag.* 44. cuius verba ſunt, τῆς δὲ Κορινθίας ἐστὶ γῆς καὶ ὁ καλούμενος Κρομύων, ἀπὸ τοῦ Κρόμου τῷ Ποσειδῶνος. Ἐνταῦθα τραφῆναι λέγουσι καὶ τὴν λεγόμενον Θησέως Πιτυοκάμπτην καὶ κατ' αὐτὸν τὴν τόπον ἐστὶν ἔργον. προιοῦσι γὰρ ἡ πίτυς ἄχρι τε ἐμοῦ ἐπεφύκει παρὰ τὴν αἰγιαλόν. *In Corinthiaco agro vicus eſt, cui Cromyon nomen à Cromo Neptuni filio. In eo educatum ferunt Pityocampten, cui ſuus eſt inter Theſei ærumnas locus. Operis index eſt pinus quæ in ipſo litore*

ſe

se progredientibus ostendit. Cum enim Pausanias mox de Sini sermonem instituat, herclè diuersos existimauit, vt & Propertius hoc disticho.

Arboreásque cruces Sinis, & non hospita Graiis
Saxa, & curuatas in sua fata trabes.

Quo tres famosissimos latrones, Sinin, Scyrona & Pityocampten intelligit, vt non dubitem quin eiusdem sententiæ fuerit Ouidius. *Æquoris aspectans huius & huius aquas.* Propterea quod Pityocamptes Isthmi angustias insederat, vnde prospectus erat in Ægæum & Ionium mare.

VERS. 413. *Quæque Ceres vidit.* Cercyon Neptuni filius hospites Eleusine secum lucta certare cogebat, victos interimebat. Et hunc Theseus sustulit ex Diodoro *lib.* 4. Pausania *in Atticis*, Higyno *fab.* 38. Suida & Ouidio ipso *lib.* 7. *Metamorph.* Ceres autem læto vultu Cercyonis interitum vidit, propterea quod Eleusine sibi sacra latrocinio purgata sit.

Qualis Achæmenides Sicula desertus in ora,
Troïca quum vidit vela venire fuit.
Qualis erat nec non fortuna binominis Iri,
Quique tenet pontem, qui tibi maior erit.
Filius & Cereris frustra tibi semper ametur,
Destituátque tuas vsque petitus opes.
Vtque per alternos vnda labente recursus
Subtrahitur presso mollis arena pede.

Sic

Sic tua neſcio quæ ſemper fortuna liqueſcat, 425
Lapſáque per medias effluat vſque manus.
Vtque pater ſolitæ varias mutare figuras,
Plenus inextincta conficiare fame.

COMMENTARIVS.

Achæmenides. Irus binominis. Fortuna Iri pro Iro, mendici in pontibus conſidere ſoliti. Plutus diuitiarum Deus. Eryſichthonis ingluuies. Ἐρυσίχθων λιμὸς. *Meſtra mutabilior.*

VERS. 417. QVALIS *Achæmenides.* Notantur his verſibus egeni, mendici famelici. Achæmenides Adamaſci filius ab Vlyſſe metu Polyphemi celerrimè fugiente in Sicilia relictus, aliquot menſes in luſtris ferarum ſordibus & ſqualore conſitus vitam miſerrimè traxit, donec prætereunte Ænea ab eo in nauem receptus eſt. Ex Homero *Odyſſ. lib.* 9. Virgilio *lib.* 3. *Æneid.* Ouidio ipſo *lib.* 14. *Metamorph.* Coniiciebat P. Nannius *Miſcellan. lib.* 7. *cap.* 3. verum nomen fuiſſe *Agamenides*, etymologia ducta ab eo quod nimirum diu maneret in ſpelunca Polyphemi, dum ſocij abeunt, quomodo dictus eſt Parmeno quod aſſiduo permanſiſſet ad fores Thaidis.

VERS. 419. *Qualis erat necnon.* Iri paupertas

prouerbio cessit. Binominem fuisse docet Homerus *Odyss.* 18. qui Arnæum à matre, Irum ex famulatu nominatum scribit. Quod etiam tradit Aphthonius *in Progymnasmatis*. Dictum autem ab Ouidio *Fortuna Iri* pro Iro ipso Græcanicè, vt βίη Πειάμοιο. Sic Virgilio in Culice *Telamonis virtus* pro Telamone, Propertio *error Herculis* pro Hercule, & *stuprum Clytemnestræ* pro ipsa adultera, Phædro *stupor corui* pro coruo, Lucano *ira leonum* pro leonibus, Claudiano *furor Enceladi* pro Encelado, & sexcenta huiusmodi. Hinc Plutarchus aduersus Coloten scribit βίην Ηρακλείην τὴ αὐτὸν Ηρακλέα *vim Herculeam esse ipsum Herculem.*

VERS. 420. *Quique tenet pontem.* Verisimile est per hæc verba insignem aliquem mendicum notari, qui ætate Ouidij in ponte quodam Romæ considebat, cuiusmodi Lutetiæ visuntur in Ponte nouo. Frequentia enim mendicorum in pontibus, propterea quod ibidem concurrant vltro citróque commeantes homines. Hinc Martialis *lib.* 10. *Epigram.* 5. sic in maledicum inuehitur.

Quisquis stolæve purpuræve contemptor,
Quos colere debet læsit impio versu,
Pontes per vrbis erret exul, & cliuos,
Intérque raucos vltimus rogatores,
Oret caninas panis improbi buccas.

Et *lib.* 12. *Epigr.* 32. in Vacerram.

Quid quæris ædes Villicósque derides,
Habitare gratis ô Vacerre cum possis;
Hæc sarcinarum pompa conuenit ponti.

Iuuenalis

Iuuenalis *Satyra 5.*

Ventre nihil noui frugalius, hoc tamen ipsum
Defeciſſe puta, quod inani ſufficit aluo,
Nulla crepido vacat, nuſquam pons.

Quod ſequitur *qui tibi maior erit*, ſic exponitur à Turnebo lib. 9. Aduerſar. cap. 25. *Videbatur dicendum qui te maior erit, ſed ſignificat qui in tuis maioribus numerabitur, vt tu in eius minoribus, vel potius, qui iudicio tuo in maioribus numerabitur, & quem præ te magnum dices, quamuis aliis ſit infimus & abiectiſſimus.* Malim hanc poſtremam interpretationem. In M.S. Vaticano diſertè legitur, quæ tibi maior erit. Quæ lectio fortaſsè genuina eſt vt τὸ *quæ* ad fortunam referatur.

Vers. 421. *Filius & Cereris.* Plutus intelligendus Cereris & Iaſij filius, cui diſtribuendarum diuitiarum munus conceſſum eſſe vetereſ crediderunt. Ideoque cæcus habitus, cuiuſmodi ab Ariſtophane Tragœdia cognomine introducitur, nam cum antea perſpicaciſſimus eſſet, & ad viros bonos tantum accederet, Iupiter ipſum oculis priuauit, vt nullo poſtea delectu quoſuis adiret. Sicut Ariſtophanes idem facetiſſimè narrat. Cereris & Iaſij filium eſſe prodiderunt Heſiodus *in Theogonia*, Diodorus Siculus *libro vltimo.* Quamobrem Naſonis votum eſt, vt Plutus diuitiarum Deus ab Ibide fruſtra ſemper inuocetur, ipſumque prorſus deſerat. Hic verò τὸ *vſque*, nihil aliud eſt quam *ſæpè & continuè*, quomodo à probatiſſimis Authoribus eleganter accipitur.

VERS.427. *Vtque pater solitæ.* Erysichthon Thessalus Deorum irrisor, propter violatum Cereris lucum in tantam famis ac sitis rabiem actus est, vt decoctis facultatibus & rebus omnibus absumptis, Mestram filiam vendere coactus sit, quæ beneficio Neptuni varias inducendo figuras eludere soleret, & subinde ad patrem resumpta priore forma, rursum vt venderetur, recurreret, vsque dum Erysichthon insaturabilis propria viscera depastus sit. Ita Naso *lib.*8. *Metamorph.* qui luculentissimè famem & βυλιμίαν Erysichthonis expressit. Callimachus Hymno in Cererem, apud quem Mestræ nulla mentio. Ioannes Tzetzes *chiliade* 21. *Histor.*47. Hinc adagia duo *Mestra mutabilior* & Ἄιδων λιμὸς. Nam & Æthon dictus est Erysichthon propter ardentē ingluuiem & igneam absumendi vim, quo nomine Hesiodus, Lycophron, Ælianus, Athenæus ipsum nominant. Vera historia est Erysichthonem filiam habuisse, quæ corporis quæstu patrem insatiabilem aleret.

Nec dapis humanæ tibi erunt fastidia, quaque
Parte potes Tydeus temporis huius eris.
Atque aliquid facias à vespere solis ad ortum,
Cur externati rursus agantur equi.
Fœda Lycaoniæ repetes conuiuia mensæ,
Tentabisque iterum fallere fraude Iouem.

Téque

Téque aliquis posito tentet vim numinis opto, 435
Tantalides tusis, Tereiúsque puer.

COMMENTARIVS.

Tanguntur illi qui humanas carnes esitarunt. Item illi qui in epulis absumpti sunt. Hirundines nullæ intra Daulidis fines. Vpupa primùm visa Megaris ad Terei sepulcrum.

VERS. 429. *NEC dapis humanæ.* Tydeus moribundus iacens è vulnere, quod in bello contra Thebanos à Menalippo acceperat, eiusdem caput ad se deferri iussit, & cerebrum euulsum exsorbuit, vt repetit Ouidius *versu* 517. ad quem locum Authores adducentur. Hoc enim disticho precatur, vt Ibis humanas carnes esitet, illo vt ipsemet esitetur. Addit Ouidius *quaque parte potes*, vt significet Ibin quidem Tydei similem fore, sed in eo solum quod humanum caput corroserit, cæteroquin Tydei bello strenui dissimilem, quem intrepidum vocat Lycophron, quod cum legatus rediret Argos Thebis, eique Eteocles insidias struxisset collocatis in itinere quinquaginta lectissimis iuuenibus, intrepido omnes animo aggressus sit, & in fugam verterit.

VERS. 431. *Atque aliquid facias.* Cum Thyestes

ſtes Aëropen Atrei fratris vxorem in ſtuprum illexiſſet, Atreus vt debitas à fratre pœnas ſumeret, proprios ei filios Tantalum & Pliſthenen, vel vt aliis placet, Aglaum, Orchomenum, & Calleum epulandos appoſuit, ſanguinémque illorum patera libauit. Quin etiam capita inter feralis conuiuij epulas, vt à Thyeſte cognoſcerentur, afferri iuſſit. Quo diro ſpectaculo Solem ab occaſu ad ortum ſe reuocaſſe perhibent, ne tanti ſceleris atrocitate pollueretur, vt prodit Ouidius ipſe *lib.* 1. *de Arte amandi.*

Creſſa Thyeſteo ſi ſe abſtinuiſſet amore,
(Ah quantum eſt vni poſſe placere viro.)
Non medium rapuiſſet iter, currúque retorto
Auroram verſis Phœbus adiſſet equis.

Papinius *lib.* 1. *Thebaidos.*

Funerea tum namque dapes, mediique recurſus Solis.

Seneca *Thyeſte.*

Ipſe inſueto nouus hoſpitio
Sol, Auroram videt occiduus,
Terríſque iubet ſurgere, nondum
Nocte parata, non ſuccedunt
Aſtra, &c.

Hinc iocus Martialis in Ligurinum *lib.* 3. *Epigramm.* 45.

Fugerit an menſas Phœbus, cœnámque Thyeſta,
Ignoro; fugimus nos Ligurine tuam.

Fabula trita, *notior vt non ſit canibus iam Delia noſtris.* Cuius rei veritatem quidam fuiſſe crediderunt, quod Atreus apud Mycenas primus

Solis

Solis defectum obseruarit, vt placuit Higyno *fab.* 258.

VERS. 433. *Fœda Lycaoniæ.* Lycaon Arcadiæ Rex hospitem Iouem epulis humanis excepit, vt Diuinitatis eius periculum faceret; quo scelere permotus Iupiter ipsum in lupum transformauit. Sic Ouidius *lib.* 1. *Metamorph.* Nonnihil euariant Apollodorus *lib.* 3. Higynus *fab.* 176. Pausanias *in Arcadicis*, Clemens Alexandrinus *in Protreptico*, Isacius Tzetzes *in Lycophronem*, Suidas *in Lexico*. Dictum autem *fallere fraude* quomodo apud Ciceronem pro Roscio Amerino *fallere omni perfidia & fraude*, apud Terentium & Virgilium *fallere dolo*.

VERS. 436. *Tantalides tusis.* Pelops, quem Tantalus pater minutatim concisum & reliquis dapibus immistum Diis conuiuio acceptis apposuit, quo numen ipsorum exploraret. Cæteris epulas auersantibus vna Ceres Pelopis humerum absumpsit. Pelopi vero Deorum misericordia recocto & ad vitam reuocato humerus eburneus in locum natiui restitutus est. Hinc Pindarus *in Olympicis* Hierone Syracusio, Pelopem ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκασμένον. *Elephantino splendidum humero eburno insignem.* Quem postea humerum Pelopidarum omnium signum fuisse, vt Spartanorum lanceam, testatur Tzetzes *in Lycophronem.* Fabulam tangit præter alios Ouidius *lib.* 6. *Metamorph.* Higynus *fab.* 83.

Tereiúsque puer. Itys Terei Thracum Regis filius, quem Procne mater in vltionem Philo-

melæ ſororis à Tereo cortuptæ partim aſſum, partim elixum patriis epulis oppoſuit. Exin Tereus in vpupam, Itys in phaſianum, Procne in hirundinem, Philomela in luſciniam conceſſerunt. Fabulam proſequitur Ouidius *lib.6. Metamorph.* quam longè aliter prodit Antoninus Liberalis *fab.2.* Sunt qui transformationem Procnes & Philomelæ confundunt, quos afferre ſuperfluum eſt. Illud animaduerſione dignum, quod intra Daulidis fines, vbi geſta finguntur quæ de Procne & Philomela vulgata ſunt, hirundines neque pariunt, neque ex ouis pullos excludunt, nec omninò tectorum laquearibus vllos affigunt nidos, vt ſcriptum reliquit Pauſanias *in Phocicis.* Idem narrat in Atticis vpupam auem primum viſam Megaris eo in loco vbi Terei ſepulchrum eſſet, fabulámque de luſcinia & hirundine ex eo natam exiſtimat, quod auis vtraque miſerabiles & luctuoſos cantus edat.

Et tua ſic latos ſpargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere vias.
Ære Perillæo veros imitere iuuencos,
Ad formam tauri conueniente ſono.
Vtque ferox Phalaris lingua prius enſe reſecta,
More bouis Paphio clauſus in ære gemas.

COMMENTARIVS.

Absyrtus à Medea sorore discerptus. Taurus æneus Perilli. Mons Ecnomos. Phalaridis mors. Æs Cyprium.

VERS. 437. *ET tua sic latos.* Absyrtus intelligitur Ætæ Colchorum Regis filius, quem Medea soror iuxta Phasin fluuium articulatim discerpsit, eiúsque membra per agros sparsit, vt iis colligendis insequentem patrem remoraretur, ipsaque interim cum Iasone effugeret, Authores Ouidius ipse *lib.* 3. *Trist. Eleg.* 9. qui rem fusè narrat. Apollonius *lib.* 4. *Argonaut.* Poëta vetus apud Ciceronem *lib.* 3. *de natura Deorum*, Seneca *Medea*, Tzetzes *in Lycophronem.* Aliter Higynus *fab.* 23. Hinc regioni mansisse nomen ait Ouidius, vt & Arrianus qui sepulchrum Absyrti suis temporibus demonstrari solitum scribit.

VERS. 499. *Ære Perillæo.* Perillus ænei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus longo & abdito cruciatu mugitus resonante spiritu edere cogebantur, ne eiulatus eorum humanæ sono vocis expressi Phalaridis Tyranni misericordiam implorare possent. Quam, quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suæ opus primus Artifex inclusus meritò auspicatus est, vt isdem verbis tradidit Valerius Maximus

lib.9.cap.3. Commemorat ipse Phalaris *Epistola* 103. si tamen is est, Tullius in Pisonem, Plinius *lib.34. cap.8.* Lucianus in Phalaride. Ex Poëtis Ouidius noster *lib.3. Trist. Eleg.2.* item *lib.1. de Arte*, Propertius *lib.2.* Claudianus *in Eutropium lib.1.* Tzetzes *chiliade* 1. *Histor.25.* Phalaridis autem Castellum & in eo Taurum æneum fuisse in Ecnomo monte qui hodie *Monte di Licata*, vnde monti nomen Ecnomo, id est, scelerato prodidit Diodorus Siculus *lib.18.*

VERS.441. *Vtque ferox Phalaris.* De morte Phalaridis Agrigentinorum Tyranni variant Authores. Ouidius in Taurum æneum à Perillo fabricatum, lingua prius resecta coniectum ait, Cicero *lib.1. de Officiis* vniuersam Agrigentinorum multitudinem, impetum in ipsum fecisse. Addit Valerius Maximus *lib.3. cap.3.* Zenonis Eleatis impulsu lapidibus prostratum. Agrigentum hodie *Gergenti* in Sicilia.

VERS.442. *More bouis Paphio.* Æs Paphium dixit, quod Paphos vrbs in Insula Cypro æris abundantia nobilis esset. Strabo *lib.14.pag.470.* edit. Casauboni, Κύπρος τῇ θέσει κατ' ἀρετὴν δ' οὐδεμιᾶς τῶν νήσων λείπεται, καὶ γὰρ εὔοινός ἐστι, καὶ εὐέλαιος, σίτῳ τε αὐτάρκει χρῆται, μέταλλά τε χαλκοῦ ἐστὶν ἄφθονα τὰ ἐν ταμασσῷ, ἐν οἷς τὸ χαλκανθὲς γίνεται, καὶ ὁ ἰὸς τοῦ χαλκοῦ πρὸς τὰς ἰατρικὰς δυνάμεις χρήσιμος. *Cyprus præstantia nulli cedit Insulæ, nam & vini oleique ferax est, & suo vtitur contenta frumento, & æris abundantia. Sunt metalla apud Tamassum vbi calcanthum, seu flos æris nascitur, & ærugo*

vsibus

vsibus medicis res apta. Idem *lib.*3. *pag.*13. Æris Cyprij meminit. Vnde Festus *Æroſam*, inquit, *appellauerunt antiqui Inſulam Cyprum quod in ea plurimum æris naſcatur.* In verbo *æroſa.*

Dúmque redire voles aui melioris in annos,
Vt vetus Admeti decipiare ſocer.
Atque eques in medy mergare voragine cœni, 445
Dum modo ſint facti nomina nulla tui.
Atque vtinam pereas, veluti de dentibus orti
Sidonia iactis Graja per arua manu.

COMMENTARIVS.

Peliæ fabula. De Medea ſcitu digna. M. Curtij hiſtoria. De Cadmo fabuloſa.

VERS.443. *DVMQVE redire voles.* Pelias, quem fraude Medeæ reuireſcentem ætatem pollicitæ à propriis filiabus vulneratum interiiſſe produnt Diodorus Siculus *lib.*5. Apollodorus *lib.*1. Higynus *fab.*24. Pauſanias *in Arcadicis.* Zenobius *Prouerbio* Λέσβιος ἢ Πελίας. Ouidius ipſe *Epiſtola Medeæ*, & graphicè *lib.*7. *Metamorph.* cuius ſunt hi verſus elegantes de Peliæ filiabus.

His

His vt quæque pia est hortatibus impia prima est,
Et ne sit scelerata, facit scelus ——

Quamobrem Dosiades *in Ara secunda* Medeam vocat ἀνδρεῖαν *viricoquam*. Fabulam tangit & Plato *in Euthydemo*. Sed enim Plautus *Pseudolo* & Tullius *in Catone maiore* Pelian à Medea recoctum & ex sene iuuenem factum scribunt, ad Pelian nimirum transferentes quod Æsoni præstitum erat. Qua de re plenius P. Victorius *lib. 5. var. lect. cap. 6.* Docet autem Diogenes apud Stobæum, quod & annotatum est ab Hieronymo Mercuriali *lib. 1. cap. 2. de Arte Gymnastica*, Medeam non veneficam fuisse, sed sapientem, quæ acceptis mollibus & effœminatis hominum corporibus, ipsa Gymnasiis & exercitationibus confirmaret, & robusta ingentiáque redderet; vnde fama euulgata, eam concoquendis corporibus senes in iuuentutem restituere. Aliter Fulgentius *lib. 2. Mytholog.* Cæterùm Pelias Admeti socer fuit, quoniam Admetus Alcesten Peliæ filiam in matrimonium acceperit, teste Diodoro.

VERS. 445. *Atque eques in medij.* Ad Curtium respexit, de quo T. Liuius *lib. 7.* in hunc modum: *Eodem anno, seu motu terræ, seu qua vi alia forum medium fermè specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur. Neque eam voraginem coniectu terræ, quam pro se quisque gereret expleri potuisse, priusquam Deûm monitu quæri cœptum, quò plurimum populus Romanus posset. Id enim illo loco dicandum Vates canebant, si Rempublicam Romanam perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium*

iuuenem

iuuenem bello egregium castigasse ferunt, dubitantes, num vllum maius Romanum bonum quam arma virtúsque esset. Silentio facto templa Deorum immortalium quæ foro imminent Capitolióque intuentem & manus nunc in cœlum, & nunc in patentem terræ hiatum ad Deos manes porrigentem se deuouisse. Equo deinde quam poterat maximè exornato insidentem armatum se in specum immisisse, donáque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum coniectas, lacúnque Curtium non ab antiquo illo T. Tatij milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum. Idem commemorant Valerius Maximus *lib.5 cap.6.* Paulus Orosius *lib.3 cap.5.*& obiter Minutius *in Octauio.*

VERS.447. *Atque vtinam pereas.* Cadmus Agenoris Phœnicum Regis filius Europam sororem à Ioue sub Tauri forma raptam & in Cretam abductam frustra quærens, oraculi monitu substitit in Phocide vrbem conditurus, vbi bos occurrens in herbam se submitteret. Sed cum Draconem insignis magnitudinis in specu delitentem, & socios aquatum missos enecantem occidisset, Palladis consilio dentes eius seminauit, è quibus nata manus armatorum, qui sese mutuis vulneribus confecerunt, quinque tantum superstitibus, qui nouæ vrbis constructionem adiuuerunt. Fabula nota ex Ouidio latius illam prosequente *lib.3. Metamorph.* Euripide *in Phœnissis*, Apollonio Rhodio eiúsque Scholiaste *libro 4. Argonaut.* Seneca *in Oedipo.* Sidonia vero manu fatos dentes Ouidius dixit à patria Cadmi, quem

propterea

propterea *Sidonium hoſpitem* vocat *lib. laudato Metamorph.*

Et qua Pytheides fecit, fatérque Meduſæ,
Eueniant capiti vota ſiniſtra tuo.
Et quibus exiguo eſt volucris deuota libello
Corpora proiecta qua ſua purgat aqua.

COMMENTARIVS.

Ouidiani loci noua interpretatio. Hipponactis, Archilochi, & Callimachi virulentia. Theſei & Hecubæ diræ, vota in caput directa. Ibus Clyſteris inuentrix. Albertus Magnus à reprehenſione Camertis vindicatus.

VERS. 449. *ET qua Pytheides fecit.* Veriſimile eſt his quatuor verſibus, Ouidium ea omnia Ibidi ſuo imprecari, quæ Hipponax Bupalo & Atheni, Archilochus Lycambi, Callimachus Apollonio Rhodio imprecati ſunt. Hipponax enim Pythei filius erat authore Suida. *Illi notabilis fœditas vultus erat*, inquit Plinius lib. 36. cap. 5. *Quamobrem imaginem eius laſciuia iocorum Bupalus & Athenis ſculptores*

sculptores fratres proposuere videntium oculis. Quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum distrinxit in tantum, vt credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse; quod falsum est. Complura enim in finitimis Insulis simulacra postea fecere. Sicut in Delo quibus subiecerunt carmen, non vitibus tantum censeri Chium, sed ex operibus Athenis filiorum. Hæc Plinius, quibus ferè consentanea refert Suidas. Hinc elegans Epigramma *lib.3. Anthol.*

Ω ξεῖνε φεῦγε τ' χαλαζετῆ τάφον
Τὸν φρικτὸν Ἱππωνακτ⊙, ἤ τι χ' ἁ τέφρα
Ἰαμβιάζει βεπάλειον ἐς σύγ⊙

Id est, *ô hospes fuge Hipponactis sepulcrum, horrendum, verborum grandine refertum, cuius etiam cinis iambos intorquet in odium Bupali.* Hinc & Horatius *Ode 6. Epod.*

Caue caue, namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambe spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

Meminit etiam Cicero *lib.3. de natura Deorum.* vnde Prouerbium *Hipponacteum præconium*, ab eodem Cicerone vsurpatum *lib.7. Epistol.* De eodem etiam dicemus ad *versum* 525. Quid si legamus hoc loco *Pittheides* cum aliquibus editionibus, vt Theseus Pitthei nepos intelligatur, Pittheus enim Æthræ pater, Æthra Thesei mater fuit authore Plutarcho *in Theseo*, Higyno *fab.*14. Apollodoro *lib.3. Biblioth.* Pausania *in Corinthiacis*, vnde Ariadne apud Ouidium nostrum *Epistola ad Theseum.*

Nec

Nec Pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
Filius, authores saxa fretúmque tui.

Vbi secunda patronymici syllaba producitur, quamuis hoc loco contrahatur, quemadmodum *lib.15. Metamorph. versu 296.*

Est prope Pittheiam tumulus Trœzena.

Et *versu 506.*

Pittheiam profugo curru Trœzena petebam.

Theseus Hippolytum filium diris & execrationibus deuouit. Cum enim Phædra Hippolytum priuignum iuuenem castissimum frustra sollicitaret, ab eo se interpellatam finxit, & apud patrem Theseum accusauit. Ille filium vrbe cum detestationibus expulit, quem fuga sibi consulentem equi horrendo phocæ à mari emergentis aspectu conterriti per inuia rapta-runt. De quibus diris supra dictum est ad *versum* 89. Theseus igitur ab auo Materno *Pittheides* dictus. Interdum enim & ab auis maternis patronymica desumi tradit Priscianus *lib.2.* vti Mercurius *Atlantiades*, Epaphus *Inachides* appellati sunt. Veteres editiones habent *Pentheides*, quod Menœceo tribui posse Micyllus existimat. *Nam Penthei filius Odasus traditur*, inquit, *Odasi Menœceus, huius Creon & Iocasta, Creontis verò Hæmon & Menœceus qui bello Troiano se pro patria deuouit, & è turri præcipitauit, vt author est Scholiastes Euripidis in Phœnissis.* Mihi longius petita videtur hæc interpretatio, quæ tamen Valerio non displicet.

Fratérque Medusæ. Archilochum innuere videtur, qui virulentis carminibus Lycamben

ad

ad laqueum adegit, vt ſupra diximus ad *verſ.* 54. Verum illi ſororem fuiſſe nomine Meduſam nuſpiam mihi lectum. An Euryſtheus intelligendus Meduſæ frater ex Sthenelo & Niciſpe parentibus vt author eſt Apollodorus *lib.* 2. Is enim multa vota ſiniſtra in Herculis exitium fecit, dum illi grauiſſimos labores imperauit perdendi eius deſiderio. An pro vulgata lectione *fratérque Meduſæ* reſcribendum *matérque Meduſæ.* Certè in membranis San-Victorianis adeſa priore litera exaratum inueni *atérque Meduſæ.* Per Meduſam autem non illam intellexerim, quæ ſubito viſos homines in ſaxa conuertebat; ſed aliam cuius Priamus pater, Hecuba mater fuit vt proditum eſt à Pauſania *in Phocicis*, his verbis: ἐφεξῆς δὲ τῇ Λαοδίκῃ ὑποστάτης τε λίθου, καὶ λουτήριόν ἐστιν ἐπὶ τῷ ὑποστάτῃ χαλκοῦν, Μέδουσα δὲ κατέχουσα ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις τὴν ὑποστάτην ἐπὶ τῷ τοῦ ἐδάφους κάθηται. Ἐν δὲ τοῦ Πριάμου θυγαθράσιν ἀριθμήσαι τ' ἄν τις καὶ ταύτην κατὰ τοῦ Ἡμεραίου τὴν ᾠδήν. *Poſt Laodicen eſt fulcrum lapideum cui æneum labrum impoſitum eſt: Meduſa vtraque manu fulcrum id ſuſtinens in imo ſolo ſedet. Hanc etiam inter Priami filias numerauerit qui Himeræi Poëtæ Canticum audierit.* Hecuba verò Meduſæ mater, cum in Thraciam captiua adduceretur, ibíque præ nimio dolore Græcos omnes diris & maledictis impeteret, lapidibus obruta eſt. Et quia perpetuò Græcis allatraret, eam poſt obitum in canem verſam finxerunt. Plautus Menæchmis de ipſa.

Omnia mala ingerebat quemquam aſpexerat,

Itaque adeo iure cœpta est appellari canis.

Tullius *lib.3. Tusculan. Hecubam quoque putant fingi propter animi acerbitatem quandam & rabiem in canem conuersam, ob tantas & tam multiplices calamitates opinor.* Idémque Lycophron *in Cassandra,* Naso ipse *lib.13. Metamorph.* Higynus *fab.111.* prodiderunt. Quamobrem Paris Hecubæ filius τέκνωμα κυνὸς *filius canis* vocatur Dosiadæ *in Ara secunda.* Hinc tumulus Hecubæ κυνὸς σῆμα dictus, cuius meminere Strabo *lib.13.* Plinius *lib.4. cap.11.* Solinus *cap.16.* Mela *lib.2. cap.2.* Pollux *lib.5. cap.5.* Ammianus Marcellinus *lib.22.* Thucydides, Sabinus Sophista, Suidas, & Ausonius hoc Epigrammate.

Quæ Regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami coniux, Hectora quæ genui.
Hic Hecuba iniectis peryſuper obruta saxis,
Sed rabies linguæ me tamen vlta prius.
Fidite ne regnis & prole & stirpe parentum,
Quicumque hoc nostrum σῆμα κυνὸς legitis.

Ouidius autem, quo tenebras offunderet, Medusam minus obuiam de tot Priami & Hecubæ liberis nominandam elegit. Sunt qui Medusam inter nothas Priami filias numerent. In his Apollodorus *lib.3.* vbi postquam nonnullos è legitimis Priami liberis recensuit & ἐκ δὲ ἄλλων γυναικῶν Πριάμου παῖδες γίνονται, subiicit. Μελάνιππος Τοργοθύων, Φελαίμων: τοῦ θυγατέρες δὲ Μέδουσα, Μηδεσι-αστη, Αυσιμάχη, Αριστοδήμη. Constat enim ex Homero *vltimo Iliados.* Priamum quinquaginta quidem liberos suscepisse, sed decem

decem & nouem duntaxat ex legitima vxore, à quo non discedit Theocritus, qui *Eidyll.* 15. Hecubam viginti liberorum matrem fuisse dicit. Quare puto Ciceronem vel memoria lapsum, vel deprauatum cum ait lib. 1. Tusculan. *At quinquaginta Priamus, è quibus decem & septem è iusta vxore nati.* Legendum enim *decem & nouem.* Sed etsi Hecuba Medusæ nouerca fuerit, tamen eius mater dici potuit. Vitricus enim & nouerca parentum; priuignus & priuigna liberorum loco habentur §. *adfinitatis*, & §. *socerum*, *Institut. de nupt.* & *l. Aristo. ff. de ritu nupt.* Philo μητρῦιες καὶ μητρὸς τοῦ ὄνομα συνῆνες. Et paulò pòst: δυνάμει ὅγε πατρὸς πατὴρ ὀφείλει τὴν ἐκ τῆς γυναικὸς ἐν τάξει θυγατρὸς τίθεσθαι, Phocylides de nouerca μητέρα δ' ὡς τίμα τὴν μητέρος ἴχνια βάβαν, Ouidius noster *lib. de Ponto.*

Nam tibi quæ coniux, eadem mihi filia pœne est,
Et quæ te generum, me vocat illa virum.

Quod etiam obseruatum est Iacobo Cujacio Iurisconsultorum memoriæ nostræ facilè principi, *lib. 9. Obseruationum cap.* 28. Cum igitur Theseus Pitthei nepos, & Hecuba Medusæ mater, aut nouerca, hæc Græcos, ille filium diris deuouerint, Ouidius imprecatur vt eorum vota in Ibidis caput retorqueantur.

VERS. 430. *Eueniant capiti. Capiti* dictum est, quia in hanc partem hominis vota dirigebantur. Cicero ad Atticum lib. 8. *Multa mala cum dixisset suo capiti vt aiunt.* Virgilius *lib.* 8. *Æneid.*

——*Di capiti illius generique reseruent.*

Idque Poëtis familiare fuit, vt ex hoc Æliani loco patet *lib.2. cap.13. var. Histor.* ἔτισεν μὲν ὁ Μακαρεὺς οὐ μεμπτὴν τὴν δίκην, τοῦτο δὴ τὸ ποιητικὸν σὺν τῇ ἑαυτοῦ κεφαλῇ καὶ τῇ τῆς γυναικὸς, καὶ οὖν καὶ τῇ τῶν παίδων προσέτι, *Macareus igitur non immeritam pœnam dependit, iuxta Poëtarum illud suo ipsius vxorisque & liberorum capiti.*

VERS.451. *Et quibus exiguo.* Iodocus Badius Ascensius hunc locum de cornice exponens ineptè cornicatur. Tu cum eruditis intellige eas ipsas imprecationes quibus Apollonium Rhodium à Callimacho sub Ibidis nomine deuotum esse diximus in Prolegomenis. Ouidius enim planius describere non potuit Ibidis naturam: quam ventrem rostro purgare solitam prodiderunt Plinius *lib.8. cap.32.* Phile sapiens *libro de proprietatibus animalium.* Plutarchus *libro* πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἔνυδρα. Isidorus Hispalensis Episcopus originum *lib.12. cap.7.* Inde Clysteris vsus emanauit, vnde Georgius Pisidas in opere sex dierum, Ibin Galeno doctiorem eleganter vocat his versibus:

Ἶβις δὲ ποίων εὐπορεῖ διδασκάλων
Καὶ τοῦ Γαληνοῦ δείκνυσι σοφωτέρα.
Τῆς γὰρ κάτωθεν ἐμφραγείσης ἐξόδου
Ἀμηχανοῦσα πῶς ἀνοίξει τὴν θύραν
Τόν μακρὸν ἐκτείνασα λοξῶς αὐχένα
Σίφωνα γοργὸν τεκτονεύει τὸ στόμα
Καὶ χυλὸν ἅλμης ἐμβαλοῦσα τοῖς ἔσω
Τὰ ξηρὰ ῥευστροῖς ἐξεφόρτωσεν βάρη.

Quales at Ibis nigra doctores habet,

Quæ

Quæ ipso Galeno in hoc videtur doctior,
Quod clausus est quoties meatus infimus,
Incerta quo pacto referet hanc ianuam,
Oblongum in obliquum latus collum exserit
Siphunculi in modum suum rostrum struens,
Salsumque fundens aluo succum in intimo;
Ita arida his fluxis onera trudit foras.

Multa præterea de Ibide scitu digna tradunt Ornithologi. Hîc autem Albertus Magnus obiter à quorumdam reprehensione vindicandus, quod ipse *lib.* 23. *de Animalibus*, Ibes licet aquaticas, nunquam tamen aquas ingredi scripserit. Vnde Ioannes Camers alioqui doctissimus Commentariis ad Solinum, Albertum Magnum falso mendacij insimulat. Id enim Petrus Damiani *lib.* 2. Epist. testatur his verbis: *Sed quem Draco signat, eundem & Ibis indicat. Est enim volatile luridum & immundum, & obscœno fœtentium sordium squalore pollutum. Nam morticinis semper cadaueribus & propè littora siue stagnorum, siue fluuiorum ingiter commoratur. Quærit enim si quid putridum siue corruptum ab aquis cadauer eiicitur, vt illo quia se timet fluctibus credere satietur; & quia natare nesciens, nequaquam sc gurgitibus audet immergere, quibuslibet immunditiis fluctu vomente proiectis auiditatis suæ rabiem contentum est satiare.* Itaque Andreas Alciatus non frustra Ibin, *Niliacis littoribus cognitam* dixit. Emblemate 87. in hunc modum.

Quæ rostro clystere velut sibi proluit aluum,
Ibis Niliacis cognita littoribus.

Transſit opprobrij in nomen, quo Publius hoſtem,
Naſo ſuum appellat, Battiadéſque ſuum.

Vulnera tótque feras, quot dicitur ille tuliſſe,
Cuius ab inferiis culter abeſſe ſolet.
Attonitúſque ſeces, vt quos Cybeleia mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.
Déque viro fias nec femina nec vir, vt Atis,
Et quatias molli tympana rauca manu.
Inque pecus magnæ ſubitò vertare parentis,
Victor vt eſt celeri victáque verſa pede.
Soláque Limone pœnam ne ſenſerit illam,
Et tua dente ferox viſcera carpat equus.

COMMENTARIVS.

Inferiæ ſine cultro. Galli curati. Iidem fanatici. Lauatio matris Deûm. Attonitus *quid propriè.* ἐμβρόντητος. *Quatuor modi, ſiue concentus. Ex his Phrygius concitatior. Galliambi. Dithyrambi.*

VERS. 453. VLNERA *tótque feras.* Vetus Interpres. *Callimachus dicit in Creta Menedemo ſacra fieri ſine ferro, qui in*

in Trojano bello pluribus vulneribus cultrorum interiit. Domitius & Sanctius Osyrin significari volunt, qui à Typhone fratre in viginti quatuor partes discerptus,& per campos Ægyptios proiectus fuit, in cuius inferiis ab vxore institutis piaculum sit gladium siue cultrum esse. Sed hæc sine Authore.

VERS.455. *Attonitúsque feces.* Sic Tibullus *lib.1. Eleg.4.*

Et fecet ad Phrygios vilia membra modos.

Galli nimirum Matris Idęæ Sacerdotes ad Phrygios modos sibi testa virilitatis partem amputabant. Iidémque in Aprili mense Megalensibus sese cruentabant, vsque dum in Almone fluuio matrem Idæam lauissent. Tum enim Dea depositò squalore & sordibus hilaris videbatur,& ipsi eandem lætitiam concipiebant. Vnde Valerius Flaccus

Sic vbi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætáque iam Cybele, festaque per oppida tædæ;
Quis modo iam sæuos adytis fluxisse cruores
Cogitet, aut ipsi qui iam meminere ministri.

Id autem cum fiebat, lauatio matris Deûm dicebatur. Arnobius. *Lauatio*, inquit, *Deûm matris est hodie.* Tum autem ceu diuino spiritu afflati & æstu quodam mentis perciti caput iactare solebant. Ouidius *lib.4 Fastorum.*

——— molléque ministri
Cædunt iactatis vilia membra comis.

Varro Eudæmonibus apud Nonium. *Tibi nunc semiuiri, teretem comam iactant tibi Galli.* Lucanus *lib.1.*

——————— *crinémque rotantes*
Sanguinei populis cecinerunt tristia Galli.

Dio oratione 1. de Regno, ταῦτα δὲ ἔλεγεν οὐχ ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν λεγομένων ἐνθέων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀσθμαίνουσα καὶ περιδυνοῦσα τὴν κεφαλήν. Quamobrem Liuio *lib.*36. Iuuenali *Satyr.*2. Vlpiano *lib.*1. §.*apud Viuianum, ff. de Ædilitio edicto*, Prudentio *in Roma*, *fanatici* appellantur, & Lampridio *præcisi fanatici*, cum ait in Heliogabalo. *Iactauit autem caput inter præcisos fanaticos, & genitalia sibi deuinxit.* Cui vocabulo succinit illud Nasonis *attonitus*, quamuis minus propriè: Nam *attonitus*, vt ait Seruius, propriè dicitur, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruum dant stuporem, aut vt Cornelius Celsus exponit, cuius corpus & mens stupet. Græcis ἐμβρόντητος & ἐμβεβροντημένος, quod quidem verbum per metaphoram ad alia transfertur, interdúmque vesanum atque animi impotem significat, vt hoc loco *attonitus*. Demosthenes περὶ τοῦ στεφάνου ἐμβρόντητε εἶτα νῦν λέγεις. Hinc ἐμβροντησία Hesychio est μανία & φρενοβλαβλία.

Ad Phrygios modos. Quatuor fuisse modos siue concentus cuiuis mediocriter literis tincto notum est, nimirum Phrygium, Lydium, Doricum, Ionicum, de quorum natura & proprietate sic Lucianus in Hermonide: Τῆς ἁρμονίας ἑκάστης διαφυλάττειν τὸ ἴδιον τῆς φρυγίας τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίας τὸ βακχικὸν, τῆς Δωρίας τὸ σεμνὸν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. *Vniuscuiusque harmoniæ suam est obseruare proprietatem. Phrygiæ impetum diuinum, Lydiæ Bacchicum, Doriæ graue, Ionicæ iucundum.* Pro

eo

eo verò quod Lucianus τὸ ἴθυφθον, Apulcius *religiosum* dixit *lib.* 1. *Floridorum*, vbi etiam pro Ionico modo, Æolicum & Iasium enumerat, vt quinque sint. *Tibicen quidam fuit Antigenidas*, inquit, *omnis vocula melleus modulator, seu tu velles Æolicum simplex, seu Iasium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Doricum bellicosum.* Ex his patet, cur Galli matris Deûm Sacerdotes Phrygios modos vsurpauerint, vt concitatiores & fanaticis maximè congruentes. Quin etiam carmina canebantur in honorem Cybeles, quæ propterea Galliambi dicebantur, cuiusmodi carmen est apud Catullum. Sic & Dithyrambici, qui Bacchi laudes quasi furore perciti concinebant Phrygiis modis vtebantur, vt Author est Aristoteles *lib.* 8. *Politic. cap.* 8. & Proclus *in Chrestomathia*, vbi non solùm Phrygios, sed etiam Hypophrygios modos nominat. Et vero Flaccus *Ode* 2. *lib.* 4. Pindari Dithyrambos vocat *audaces*: ideò quod vocabulis insolitis & inflatis vsus, numeris lege Poëtica solutis, quasi furibundus ac torrentis instar ferretur. Hinc adagium διθυραμβοποιῶν νῦν ἔχειν ἐλάττονα, *habere quam Dithyrambici mentis minus.* Certè Pindarus ipse *Olymp.* 2. gloriatur se natura carmen scribere non arte vt alij; vnde se aquilæ, illos coruis comparabat. Phrygiorum autem modulorum inuentor creditur Marsias Phryx, Lydiorum Amphion, Doriorum Thamyras Thrax authore Plinio *lib.* 7. *cap.* 56.

VERS. 457. *Déque viro fias nec femina nec vir.*

Ita plerumque vocantur, qui nec eas partes habent, quibus vir à muliere, vel contra mulier à viro dignoscuntur. Sic enim Ouidius noster alibi.

Hei mihi quod dominam nec vir nec femina seruas.

Et eius imitatione Lactantius *lib.* 1. *de falsa religione, cap.* 21. *Ab hoc genere sacrorum non minoris insaniæ indicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt matris Deûm, in quibus homines suis ipsi virilibus litant, amputato enim sexu, non viros sè nec feminas faciunt.* Ideo sic Hermitimus Pedacensis apud Herodotum in Vrania de Paniionio Chio quæritur à quo iuuenis exsectus fuerat. Τί σε ἐγὼ κακὸν ἢ αὐτὸς, ἢ τῶν ἐμῶν τίς σε ἐργόνων εἰργάσατο, ἤ σε, ἢ τῶν σῶν τίνα, ὅτι μιαίτ' ἀνδρὸς ἐποίησας τὸ μηδὲν ἔτι. *Quid aut ipse ego, aut meorum quispiam vel tibi vel auorum cuipiam mali fecit, quod ex viro neutrum me reddidisti.* Vel vt ad verbum reddatur, *quod ex viro me nihil esse feceris.* Diocles pariter apud Lucianum in Eunucho, seu Pamphilo de Eunuchis differens ait, eos non solum ab omni Philosophiæ commercio secludi oportere, verum ab ipsis etiam sacris, ac vasis puris; denique ab omnibus publicis cœtibus eiici, ostendens inauspicatum quoddam & occursu infaustum spectaculum fore, si quis manè domo egressus videat istiusmodi quippiam, siquidem Eunuchum ἔτε ἄνδρα, ἔτε γυναῖκα εἶναι, *neque virum esse neque mulierem.* Sed quiddam vtrinque compositum & conflatum planéque monstrum ab hominum natura

tura ſpeciéque alienum. Sic & Prudentius Romano.

Mas eſſe ceſſat ille nec ſit femina.

Nec minus eleganter Claudianus in Eutropium *lib.1. verſu* 466.

Linquite fœmineas infelix turba latebras,
Alter quos pepulit ſexus, nec ſuſcipit alter,
Exſecti Veneris ſtimulos & vulnere caſti,
Miſta duplex ætas; inter puerúmque ſenémque
Nil medium.

Itaque non minus graui quam venuſto dicterio tertium genus hominum illos nominat Alexander Seuerus vt Lampridius in eius vita refert; meritóque Mamerci Æmilij Lepidi conſulis decretum commendatur, de quo Valerius Maximus *lib.7. cap. de teſtamentis reſciſſis*, hæc memoriæ prodidit, *Genutius quidam Matris magna Gallus à Cn. Oreſte Prætore vrbis impetrauerat, vt reſtitui ſe in bona Nauiani iuberet, quorum poſſeſſionem ſecundum tabulas teſtamenti ab ipſo acceperat. Appellatus Mamercus à Surdino cuius libertus Genutium hæredem fecerat, Prætoriam iuriſdictionem abrogauit, quod diceret Genutium amputatis ſui ipſius genitalibus corporis partibus neque virorum, neque mulierum numero haberi debere. Conueniens Mamerco, conueniens Principi Senatus decretum, quo prouiſum eſt vt obſcœna Genutij præſentia inquinatáque voce tribunalia magiſtratuum ſub ſpecie petiti iuris pollucrentur.* Talis fuit Atys, aut Attis, vt marmora quædam præferunt, de quo videndi Ouidius noſter *lib.4. Faſt.* Catullus *in Galliambo*, Diodorus Siculus *lib.3.*

lib.3. Lucianus *in Dea Syria*, Pausanias *in Achaicis*, Arnobius *aduersus Gentes*, *lib.5*. S. Augustinus *lib.7. de ciuitate Dei*, ex authoritate Porphyrij. Anthem vero de mysteriis & arcanis Attios scripsisse tradit Harpocration.

VERS.458. *Et quatias molli.* Cybeles Sacerdotes crotalis, tympanis, tibiis, & cymbalis vsos esse præter Authores modo laudatos Varro, Lucretius, Virgilius, Claudianus & alij testantur. At *molli* manu dictum est, quod illi quasi peculiari nomine *molles* ob euirationem dicerentur. Ouidius alicubi

——molléſque miniſtri
Cadunt, &c.

B. Augustinus lib.7. de ciuitate Dei. *De mollibus eidem Matri magnæ contra virorum mulierúmque verecundiam consecratis, qui vsque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo per plateas vicósque Carthaginis etiam à populis, vnde turpiter viuerent, exigebant.* Sed & exsecti omnes *molles* appellati. Saluianus lib.7. *Abstulerunt de omni Africa sordes virorum mollium.*

VERS.459. *Inque pecus magnæ.* Hippomenes & Atalanta, de quibus egimus ad *versum* 373. Ij quod in templo magnæ Matris nulla habita Deæ reuerentia intempestiuam Venerem exercuissent, in leones conuersi sunt, Ouidio narrante *lib.7. Metam.* Leones autem pecus magnæ Matris appellat, quia vt ait Lucretius *lib.2.*

Hanc veteres Grajûm docti cecinere Poëtæ
Sublimem in curru biiugos agitare leones.

Hinc

Hinc & Sophocles *in Philoctete* Rheam λεόντων ἔφεδρον vocat.

VERS. 461. *Soláque Limone.* Historiam Limones Hippomenis filiæ retulimus ad *versum* 337.

Aut vt Cassandræ dominus non mitior illo,
Saucius ingesta contumuleris humo.
Aut vt Abantiades, aut vt Cycneius Heros, 465
Clausus in aquoreas proiicieris aquas.
Victima vel Phœbo sacras macteris ad aras,
Quam tulit à sæuo Theudotus hoste necem.
Aut te deuoueat certis Abdera diebus,
Saxáque deuotum grandine plura petant. 470

COMMENTARIVS.

Locus obscurior excussus. Merula notatus. Hercules Alexandri magni filius, à Cassandro neci datus. Apollodori Tyrannis. Perseus & Tenes arcula inclusi in mare abiecti. Ouidij locus nondum intellectus. Theudotus pro Theodoto. Abderitanorum sacrificia inhumana. καθάρμα.

VERS. 463. *AVT vt Cassandræ dominus.* Cassandra Potidæa, inquit vetus Interpres, Thessaliæ pars est, vbi Cassandrus dominatum dicitur habuisse, qui in suos nimis sæuiens, ab eis saxis obrutus est. Nugæ sunt, & Næuij buttubata, Domitius Harpocratem agit. Verum Micyllus, Sanctius, & Valerius ita legendum putant, *Aut vt Cassandri dominus*, vt ille sit Hercules filius Alexandri Magni, hæres paterni Regni, proindéque Macedonum & Cassandri dominus, quem Cassander Regni æmulus, ne fauore paterni nominis in Regnum Macedoniæ vocaretur, occidi tacitè cum matre Barsine iussit, corporáque eorum terra obruit, ne cædes sepultura proderetur: & quasi parum facinoris in ipso primum Rege, mox

mox in matre eius Olympiade ac filio admisisset, alterum quoque filium, cum matre Roxane pari fraude interfecit, quasi Regnum Macedoniæ quod affectabat aliter consequi quam scelere non posset. Vt iisdem verbis retulit Iustinus *lib.* 15. Pausanias autem *Bœoticis. pag.* 287. Olympiadem quidem lapidibus obrutam, sed Alexandri filios Herculem ex Barsine, Alexandrum ex Roxane veneno sublatos esse prodidit. Quare tantum abest, vt Micyllo & sequacibus calculum meum tradam, vt etiam eorum sententiam longè aliam ab Ouidiana existimem: neque enim Hercules Alexandi filius crudelem vnquam se gessisse legitur, vt cum Hippomene, cuius priore districho mentionem habuit Ouidius, conferri debeat, scilicet hoc significatur, his verbis, *non mitior illo.* Quamobrem, ego donec melius quid occurrat, hunc locum de Cassandro illo interpretor. Cuius Ouidius ipse meminit *lib.* 2. *de Ponto, Eleg.* 9.

Non tibi Cassandrus pater est, durúsque Capharcus,
Quique repertorem torruit arte sua.

Ad quem locum Bartholomæus Merula *Cassandrum*, inquit, *à quo Cassandrea Colonia in Macedonia appellata, quæ olim Potidæa dicebatur, ferunt viuos homines sepelisse, vnde postea à suis defossus eodem genere mortis periit. Ouidius. Aut sicut periit pereas Cassandreus ille, quem sua gens multo disperiit cinere.* Sed, amabo, Merula profer in primis somnij tui authorem, deinde locum Ouidianum vnde tuum distichon inele-

gans

gans & planè Ouidio indignum prompſeris: neque enim illud ego vſpiam comperio. Imò neminem lectorum eò ignorantiæ deueniſſe arbitror, vt putidos tuos verſus vnquam Naſoni tribuerit. Prætereà viderint eruditi, num fortè Apollodorus Caſſandræ Tyrannus intelligatur, de quo Pauſanias *in Meſſenicis, pag.* 115. in hunc modum: διαφθορὰ ἐγένετο τῆς Απολλοδώρου τυραννίδος, ἔς τε τὰς συμφορὰς οὐ πολλῷ τίνι ἀποδέοι ἢ οἱ Κασσανδρεῖς πεπόνθασι. *In Apollodori quidem tyrannide tollenda, etſi neque tamdiu neque tanto animi ardore bellatum eſt, Caſſandrenſium tamen calamitates facilè Meſſeniorum infortunia adæquarunt.* Quibus verbis Apollodorum à Caſſandrenſibus interemptum Pauſanias innuit. Is enim tam atrocem tyrannidem exercuit, vt cum Phalaride conferatur. Seneca lib.7. de beneficiis, cap.19. *Quid ſi non tantum malus factus eſt, ſed ferus, ſed immanis qualis Apollodorus aut Phalaris, & huic beneficium quod acceperis reddes.* Idem lib.2. de ira, cap.4. *Hi qui vulgo ſæuiunt & ſanguine humano gaudent, an iraſcantur, cum eos occidunt, à quibus nec acceperunt iniuriam, nec accepiſſe ſe exiſtimant, qualis fuit Apollodorus, aut Phalaris.* Plutarchus libro quo docet Philoſophum vel maximè cum Principibus viris diſputare debere: Τοὺς δὲ Απολλοδώρου τοῦ τυράννου, καὶ Φαλάριδος, καὶ Διονυσίου φίλους, καὶ συνήθεις ἀπετυμπάνιζον, ἐστρέβλουν καὶ ἐνεπίμπρασαν. *Apollodori autem Tyranni, Phalaridis, ac Dionyſij familiares & amicos mactarunt, torſerunt, inuſſerunt, & execrabiles ac deuotos reddiderunt.* Suidas etiam de

Hieronymo

Hieronymo Tyranno differens ait, neque Phalaris, neque Apollodorum, neque alium fuisse vllum Tyrannum illo sæuiorem. Vnde Naso de Hippomene sæuissimo locutus, merito subiecerit de Apollodoro *non mitior illo.* Si tamen Hercules Alexandri Magni filius intelligendus, pro *non mitior illo*, scribendum *non mitius illa*, quæ verba ad Limonen referuntur.

VERS. 465. *Aut vt Abantiades, aut vt Cycneius Heros.* Hoc disticho Perseus & Tenes intelligendi. Prior Abantiades dictus, vt & *lib.* 4. *Metamorph.* ab Abante proauo materno, Acrisij patre, qui cum ab oraculo responsum habuisset, se occisum iri à nepote qui ex filia Danaë nasceretur, nepotem Perseum & filiam in arcula inclusos in mare proiecit, vt scribunt Higynus *fab.* 63. Apollodorus *lib.* 2. Apollonij Scholiastes *lib.* 4. *num.* 68. Tzetzes *in Lycophronem*, Didymus *ad Iliad.* 14. Zenobius *in* Ἄιδος χυνῆ. Similiter & Tenes siue Tenus Cycni filius Philonomæ nouercæ vim intulisse falso accusatus, vna cum Hemithea sorore in capsulam inclusus & in mare abiectus est. Author Heraclides Ponticus ἐν πολιτείᾳ Τενεδίων, Lycophron *in Cassandra*, Pausanias *in Phocicis*, Homeri Scholiastes *Iliad.* α. Sunt qui pro *Cycneius Heros* legunt *Lyrnessius Heros*, per quem Telephus intelligatur, qui Lyrnessum vrbem sub ditione habuit, nam & illum vnà cum Aorge matre ab Aleo auo in arca impositum, & in mare abiectum prodit Strabo *lib.* 3. ex Euripide.

VERS. 467. *Victima vel Phœbo.* Hîc ego *sacras*

aras interpretor sceleſtas & execrandas, quomodo Virgilio dicitur *auri ſacra fames*, Horatio *ſacer nepotibus cruor*, Catullo *ſacer libellus*. Rectè vero *Theudotus* pro *Theodotus* editiones quædam habent. Sic enim Theudoſius paſſim Claudianus & Sidonius, vt & vetus inſcriptio Conſtantinopoli ſupra portam Auream.

Hæc loca Theudoſius decorat poſt fata Tyranni,
Aurea ſecla gerit qui portam conſtruit auro.

Quod non tantum metri cauſa ſcribebant, ſed quia Latinis frequens erat o in v mutatio, ſic *Laumento* pro *Laomedonte* apud vetuſtiſſimum Poëtam Liuium, *Laumedon* pro *Laomedon*, *Laudice* pro *Laodice* apud Iuſtinum. *Laucoon* pro *Laocoon* apud Petronium. *Boudicea* pro *Boodicea* apud Tacitum. Verùm quis ille ſit Theodotus Apollini mactatus, herclè neſcio. Quod enim vetus Interpres de Theodoto quodam Poëta recitat, qui cum liberius in Mneſarchum Regem ſcripſiſſet, ab eodem crudeliter in æde Apollinis cæſus ſit, cras credam, hodie nihil. Quare Domitius in hunc modum, *Quidquid ab aliis hoc loco traditum eſt, nondum comperi. Illud vnum inuenio Theodotum Bactrianorum Regem ab Arſace Rege Parthorum fuiſſe mactatum.* Sed næ lepidus eſt Domitius, qui figmentum aliorum profeſſus ipſe verba dare non erubeſcit. Vellem enim locum indicaſſet, vbi ſe legiſſe ait Theodotum ab Arſace mactatum. Siquidem Iuſtinus Trogi mutilator hæc tantum de Theodoto illo retulit lib. 41. *Eodem tempore etiam Theodotum* (is Straboni Διόδοτος) *mille vrbium*

Bactria

Bactrianarum Præfectus defecit, Regémque se appellari iussit. Quod exemplum secuti totius Orientis populi à Macedonibus defecere. Erat eo tempore Arsaces vir, sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis & rapto viuere, accepta opinione Seleucum à Gallis in Asia victum, solutus Regis metu cum prædonum manu Parthos ingressus Præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatóque eo imperium gentis inuasit. Non magno deinde post tempore, Hircanorum quoque regnum occupauit. Atque ita duarum ciuitatum imperio præditus grandem exercitum parat metu Selenci & Theodoti, Bactrianorum Regis. Sed cito morte Theodoti metu liberatus cum filio eius & ipso Theodoto (id est, qui patri cognominis erat, quod Valerius Andreas non intellexit) *fœdus ac pacem fecit.* Hactenus Iustinus, qui Theodotum ab Arsace mactatum sine dubio non tacuisset, si res ita se haberet. Quamobrem amplius quærendum.

VERS. 469. *Aut te deuoueat.* Abderitis in Thracia pro more fuit quotannis primo quoque die hominem pro incolumitate sua deuouere, eique lapidibus obruto, omnia mala vrbi impendentia imprecari, vt exponit vetus interpres quod alibi non memini me legere. Equidem stolidos fuisse testatur Martialis hoc versu, *lib.* 10. *Epigr.* 25.

Abderitana pectora plebis habes.

Sic & Ephesij mendico sene lapidibus obruto ciuitatem suam graui pestilentia laborantem Apollonij Thianei monitu expiarunt, vt Philo-

ſtratus & Euſebius memoriæ prodiderunt. Græci καθάρματον vocant, teſte Ariſtophanis Scholiaſte in Pluto. Videndus præterea de hoc loco Andreas Alciatus Parergon Iuris *lib.9. cap.22.*

Aut Iouis infeſti telo feriare triſulco,
Vt ſatus Hipponoo, Doſithoéſque pater.
Vt ſoror Autonoës, vt oui matertera Maia eſt,
Vt temere optatos qui male rexit equos.
Vt ferus Æolides, vt nati ſanguine eodem,
Quo genita eſt liquidis quæ caret Arctos aquis.
Vt Macedo rapidis icta eſt cum coniuge flammis,
Sic precor ætherei vindicis igne cadas.

COMMENTARIVS.

Capaneus, Atrax, Semele, Iaſion, Phaëton, Salmoneus, Lycaonis filij, Macedo fulmine percuſſi. Capaneus ſcalarum oppugnationis inuentor. Cur fulmen Iouitributum. Prouorſum fulmen. Ouidius reſtitutus & expoſitus.

VERS.471. *AVT Iouis infeſti.* His octo verſibus enumerantur totidem fulmine percuſſi. Primus eſt Capaneus Hippo-

noi-

ponoi filius, quem in oppugnatione Thebarum Iouis igne conflagrasse produnt Euripides *Phœnissis*, Æschylus *in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας*. Diodorus *lib.5*. Pausanias *in Bœoticis*, qui & Hipponoi filium dicit, Higynus *in catalogo Ducum*, Philostratus aliique multi. Hinc Papinius *librum* 11. *Thebaidos*, sic orditur

Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ
Contempsit Capaneus, expirantique receptum
Fulmen, & ad terras longè comitata cadentem
Signauit muros vltricis semita flammæ.

Ab ipso primum scalarum oppugnationem inuentam scribit Vegetius *lib.4. cap.21.* his verbis: *Sed qui scalis nituntur frequenter periculum sustinent, exemplo Capanei, à quo primum scalarum oppugnatio perhibetur inuenta, qui tanta vi occisus est à Thebanis, vt extinctus fulmine diceretur.* Qua vero de causa Ioui attributum sit fulmen, docet Plinius lib.2. cap.20. *Latet plerosque magna cœli affectatione compertum principibus doctrinæ viris, superiorum trium siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant, sed maximè ex iis medio loco siti, fortassis, quia contagium nimij humoris ex superiore circulo, atque ardoris ex subiecto per hunc modum egerat, ideoque dictum Iouem fulmina iaculari.* Quàm verè non est huius loci dispicere. Nec vero prætermittendum diurna fulmina Ioui tributa fuisse, nocturna Summano, vt notant Festus. Plinius *lib.2. cap.52.* S. Augustinus *lib.9. cap.23. de ciuitate Dei*, cuius verba sunt. *Romani veteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tri-*

buebant, coluerunt magis quam Iouem, ad quem diurna fulmina pertineant. Prouorsum autem fulmen dicebant, quod incertum erat, noctu an interdiu factum esset.

VERS. 472. *Dosithoésque pater.* Vetus Interpres Atracem Thessalum intelligit, qui cum filiam Dosithoën siue Thesiphilen, vt Zarottus legit, à Ioue compressam dimisisset, fulmine ictus sit. Alium Authorem desidero.

VERS. 473. *Vt soror Autonoës.* Hæc est Semele Bacchi Mater, Autonoës & Inus soror ex parentibus Cadmo & Hermione. Illi Iouis compressu grauidæ etiam ad pariendum vicinæ, Iuno quæ sibi illam disperdendam decreuerat, in anum conuersa, persuaserat, vt à Ioue, per Stygiam paludem iurato, complexus eosdem peteret, quibus ipse Iunonem beare soleret. Itaque Iupiter, qui ei pollicitus erat se quidquid illa peteret concessurum, inuitus ad ipsam fulmineis manubiis armatus accessit, statímque Semele fulminis vim non sustinens, in cinerem conuersa est. Fabula notissima ex Ouidio *lib. 3. Metamorph.*

Vt cui matertera Maia est. Iasion Iouis & Electræ filius, cuius Maïa matertera, cum ipsa & Electra sorores fuerint ex Atlante. Illum à Ioue percussum fulmine, quod cum Cerere consuesset, author est Homerus *libro quinto Odyss.* Diodorus Siculus, Higynus, Tzetzes *in Lycophronem.* Scribit autem Apollonij Scholiastes *in libro primo Argonaut.* ex Hellanico & Idomeneo Iasionem fulmine ictum, quod

quod imagini Cereris iniuriam feciſſet.

VERS. 474. *Vt temere optatos.* Phaëton nimirum, cuius fabulam adducit Cicero *lib. 3. de Officiis*, vbi docet non eſſe ſeruanda promiſſa, quæ nihil conducunt quibus promiſeris. *Sol*, ait, *Phaetonti ſe facturum eſſe dixit quidquid optaſſet. Optauit vt in currum patris tolleretur. Sublatus eſt, atque inſanus antequam conſtitit ictu fulminis conflagrauit. Quanto melius fuerat in hoc promiſſum patris non eſſe ſeruatum.* Fusè Naſo *lib. 2. Metamorph.* Sunt qui putant fabuloſam illam aurigationem à Græcis ex hiſtoriæ Heliæ 4. *Regum cap. 2.* deſumptam, vbi ille curru igneo in Cœlum raptus narratur. Nec abludunt nomina Ἠλίας. Ἥλιος. Tertullianus à Pentapolis incendio, de quo in Geneſi, natam exiſtimat. Alij aliter.

VERS. 475. *Vt ferus Æolides.* Salmoneus Æoli filius, quod ſuper æreo ponte currus agitaret, quibus Iouem fulminantem imitaretur, ab ipſo fulmine percuſſus eſt. Authores Virgilius *lib. 6. Æneid.* Manilius *lib. 5.* Aſtronom. Valerius Flaccus *lib. 1. Argonaut.* Claudianus *in Epigrammatis*, Ioannes Tzetzes *chiliad. 7. Hiſtor. 107.* Hinc Adagium *Salmoneus alter*, de quo Parœmiographi. Ferus autem à Naſone dicitur, quod ſuperbia & impietate ſubditorum odia ſibi conflarit, teſte Diodoro Siculo.

Vt nati ſanguine eodem. Qui libelli huius interpretationem primi ſuſceperunt, neſcio quid de Iſmeneo Lycaonis filio comminiſcuntur, qui cum Deos floccifaceret, fulmine percuſſus

interiit. Sanctius de ipso Lycaone interpretatur. Valerio hæret aqua, vt ipse fatetur his verbis : *Equidem certè de hoc afferre nihil possum, authoritate omni destitutus.* Ego hanc libri San-Victoriani lectionem sequor, *vt nati sanguine eodem*, qua liberos Lycaonis intelligo. Eos enim partim in lupos conuersos, partim fulmine percussos author est Hecatæus Milesius *lib.2. Genealogiarum*, idémque tradunt Higynus *fab.176.* Suidas *in* Λυκάων, Tzetzes *in Lycophronem*, *pag.83.* Germanicus Cæsar *in Aratum*, Apollodorus autem *lib.3. Biblioth.* ipsum etiam Lycaona cum liberis, præter Nyctimum natu minimum, fulmine conflagrasse dicit. Horum soror fuit Callisto in Vrsam mutata & in Cœlum translata, quam liquidis aquis carere dicit Ouidius, propterea quod Sidus illud nunquam occidit ob poli eleuationem cui vicinum est, ideoque sub horisontem, seu finitorem nunquam labitur, quod ad fabulam traduxit Ouidius *lib.2. Metamorph.* Hinc Virgilius *Oceani metuentes æquore tingi.*

VERS.477. *Vt Macedo rapidis.* Vetus interpres pro *Macedo* legit *Macelo*, quod sic enarrat. *Nicander dicit Macelon filiam Damonis cum sororibus fuisse. Harum hospitio Iupiter susceptus, cum Thelonios, quorum hic Damo Princeps erat, corrumpentes venenis successus omnium fructuum, fulmine interficeret, seruauit eas. Sed Macelo cum viro, propter viri nequitiam periit. Ad alias seruatas cum venisset Minos, cum Desitone concubuit, ex qua creauit Eusantium*

fantium vnde Eusantia fuerunt. Fides esto penes illum.

Prædáque sis illis, quibus est Latonia Delos
Ante diem rapto non adeunda Thaso. 480
Quique verecundæ speculantem membra Dianæ,
Quique Crotopiaden diripuere Linum.

COMMENTARIVS.

Thasus, Actæon, Linus à canibus discerpti. In Delo nullus olim canis. Linus idem qui spurius Argiuorum lingua.

VERS. 479. *PRÆDAQVE sis illis.* Nunc aliquos perstringit, qui à canibus discerpti sunt. De Thaso sic Higynus *fab.* 247. cui Lemma, *Qui à canibus eonsumpti sunt. Actæon Aristæi filius. Thasus in Delo, Anij Sacerdotis Apollinis filius: Ex eo in Delo nullus canis est.* Et Higynus quidem solus huic loco fax esse potuit, nemine præter eum historiam prodente. Quamuis enim Strabo scribat *lib.* 10. nefas esse canes in Delo alere, de Thaso ne verbum quidem.

VERS. 481. *Quique verecundæ.* Actæon Aristæi

& Autonoës filius, quod Dianam se lauantem nudam vidisset in Ceruum mutatus, & à propriis canibus laceratus est. Fabulam copiosè pertractat Ouidius *lib.3. Metamorph.* Nonnus *libro quinto Dionysiac.* Diodorus Siculus *libro quarto*, Pausanias *in Bœoticis*, Higynus *fab.*180. & 171.Palæphatus περὶ ἀπίστων. Fulgentius *lib.3. Mytholog.* qui duo postremi rem ἀλληγορικῶς exponunt.

VERS.482. *Quique Crotopiaden.* Hìc est Linus ille quem cum Psamathe Crotopi Argiuorum Regis filia ex occulto Apollinis concubitu peperisset, & Regij pecoris custodibus ob metum patris clam educandum tradidisset, negligentia pastorum à canibus dilaceratum refert Pausanias *in Atticis.*

Viridis nam cespite terræ
Proiectum temerè, & patulo cœlum ore trahentem
Dira canum rabies morsu depasta cruento
Discidit.

Vt canit Statius qui luculenter historiam prosequitur *lib.*1. *Thebaidos.* Memini autem me legere Linum appellatum, quod antiquâ Argiuorum linguâ, Linus spurium significat. Ad eandem historiam pertinet *versus* 575. cum tribus sequentibus.

Neve venenato leuius feriaris ab angue,
Quam senis Oeagri Calliopéque nurus.

Quam

Quam puer Hypſipyles, quam qui caua primus 485
acuta
Cuſpide ſuſpecti robora fixit equi.

COMMENTARIVS.

Eurydice, Opheltes, Laocoon ſerpentum morſu interempti.

VERS. 483. *NEVE venenato.* Eurydice vxor Orphei, quæ morſu ſerpentis interiit, vt latè proſequitur Virgilius *lib.* 4. *Georgic.* Ouidius ipſe *lib.* 10. *Metamorph.* Ioannes Tzetzes *chil.* 2. *Hiſtor.* 54. ἀλληγορικῶς Fulgentius *lib.* 3. *Mytholog.* Nurum dixit Oeagri & Calliopes, quorum filius Orpheus Apollonio teſte *lib.* 1. *Argonaut.* Apollodoro *lib.* 1. Pauſanias *in Bœoticis*, & aliis paſſim.

VERS. 485. *Quam puer Hypſipyles.* Fuit is Opheltes Lycurgi filius, Archemorus poſtea dictus, quem parum diligenter ab Hypſipyle nutrice cuſtoditum coluber interemit, vt narrant Apollodorus *lib.* 3. Higynus *fab.* 74. Pauſanias *in Corinthiacis*, & fusè Papinius *lib.* 5. *Thebaid.* in eius honorem ludi Nemei inſtituti.

Quam qui caua primus acuta. Laocoon Apollinis Sacerdos, qui quod primus equum durateum Palladi ſacrum ferro violare auſus eſſet, à duobus ſerpentibus è Tenedo aduenientibus, vnà cum filiis Antiphante & Thymbræo deuoratus

uoratus est. Vnde Virgilius *lib.2. Æneid.* quo Nasonem respexisse non dubito.

Scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.

Narrant item Petronius *in Satyrico*, Calaber θραλεπομβόις, qui serpentes Porcen & Charibæan nominat. Lycophron solius Porcæ meminit . . . . . .

Neve gradus adeas Elpenore cautius altos,
Vimque feras vini quo tulit ille modo.
Támque cadas domitus, quam quisquis ad arma vocantem
Iuuit inhumanum Thiodamanta Dryops.
Quam ferus ipse suo periit mactatus in antro
Proditus inclusa Cacus ab ore bouis.

Commentarius.

Elpenor scalarum lapsu extinctus. Thiodamas ab Hercule occisus. Herculis voracitas. Historia Caci.

Vers.487. *NEVE gradus adeas.* Elpenor vnus sociorum Vlyssis, cum apud Circen ad ebrietatem vsque bibisset, de scalis lapsus fractis ceruicibus extinctus est.

Ex

Ex Homero *Odyss.* κ. & λ. Quod & Ouidius tetigit *lib.* 14. *Metamorph.* & *Eleg.* 4. *lib.* 3. *Trist.* quo loco debilem vmbram Elpenoris dicit à scalarum lapsu in his.

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit domino debilis vmbra suo.

VERS. 489. *Támque cadas domitus.* Herculem ferunt, cum aliquando Dryopum regionem, quæ est iuxta Parnassum peragraret, & maxima inedia premeretur, fortè in Regem Thiodamantem bobus terram arantem incidisse, & modicum ab illo cibum petiisse, quod cum ille denegasset, Herculem vnum de bobus aratoribus corripuisse, eúmque adeo integrè deuorasse, vt ne quidem ossa superfuerint. Qua iniuria permotum Thiodamantem Dryopas ad arma vocasse, quibus profligatis Hercules ipsum Thiodamantem occiderit. Ex Appollonio *lib.* 1. *Argonaut.* eiúsque Scholiaste. Obiter meminit Callimachus *Hymno in Dianam*, Apollodorus *lib.* 2. Ab hoc deinde guloso facinore Hercules *Buphagus*, *Pamphagus*, *Addephagus* est appellatus, de quibus cognomentis L. Gyraldus *Syntagmate* 10.

VERS. 491. *Quam ferus ipse suo.* Historiam Caci prosequitur Liuius *lib.* 1. in hunc modum: *Herculem in ea loca memorant, ac propè Tyberim fluuium, quâ pra se armentum agens nando traiecerat loco herbido, vt quiete & pabulo lato reficeret boues, & ipsum fessum via procubuisse. Ibi cum eum cibo vinóque grauatum sopor oppressisset, pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulcritu*

pulcritudine boum, cum auertere eam prædam vellet, quia si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quærentem dominum eo deductura erant, auersos boues eximium quemque pulcritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam Auroram somno excitus, cum gregem perlustrasset oculis, & partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si fortè eò vestigia ferrent, quæ vbi omnia foras versa videt, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porrò armentum occepit. Inde cum actæ boues quædam ad desiderium, vt fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem conuertit, quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus claua, fidem pastorum nequicquam inuocans morte occubuit. Eadem narrant Dionysius Halicarnassensis *lib.* 1. Ἀρχαιολ. Iustinus *lib.*44. Solinus, Ioannes Tzetzes *chiliade* 5. *Historia* 21. & graphicè Virgilius *lib.*8. *Æneid.* Ouidius ipse *lib.*1. *Fastor.* Propertius *lib.*4. *Eleg.*10. qui Caco tribuit, quod erat Geryonis, nimirum tria ora, dubium morene poëtico an confusione personarum. Aurelius Victor *lib. de sacerdotiis Romanorum.* Allegoricè vero Fulgentius *lib.*2. & Ioannes Gerundensis *lib.*1. *Paralipomenon Hispania*, cuius verba referre non piguerit. *Cacus in Hispania à Carpetanis, seu noua Carthagine Toletum vsque & Tarrassonam & Oscam imperauit, & nomen monti indidit, quem hodie montem Cajum vulgus appellat, effectúmque est vt horribili facie ac dira conuersatione & aspero cultu*

seminir

seminir appellaretur. Hic autem primus omnium dicitur inuenisse ignem ex diuerso compositum puluere, quo lapides iactabat in altum modo licet inculto, quo nos bombardis vtimur in hodiernum. Oscam condidit vrbem, quam eius incolæ Oscæi semiferi appellauere. Hic Cacus fugatus ab Hercule Geryone extincto in vindictam aspirans more patrio, qui ad vindictas ab omni æuo promptissimi fuerunt, intellecto recessu Herculis ab Hispania, illum vsque in Italiam secutus, quum ad Tiberina ostia quatuor ipsius Herculis boues rapuisset, comprehensus ab Hercule in spelunca in qua latitabat peremptus est, maximo igne euomito propter quem finxere Poëtæ Vulcani filium.

Quam qui dona tulit Nessæo tincta veneno,
Euboicáque suo sanguine tinxit aquas.
Vel de præcipiti venias in Tartara saxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.
Vt qui Theseæ fallacia vela carinæ
Vidit, & Iliaca missus ab arce puer.
Vt teneri nutrix, eadem matertera Bacchi,
Vt cui causa necis serra reperta fuit.
Liuida se scopulis vt virgo misit ab altis,
Dixerat inuiso quæ mala verba Deo.

COMMENTARIVS.

Lychas, Cleombrotus, Ægeus, Astyanax, In Perdix, Aglauros præcipitio extincti.

VERS. 493. *QVAM qui dona tulit.* Tanguntur modo qui præcipitio vitam finierunt. Lychas Herculis famulus ab ipso in mare Euboicum præcipitatus, quod ei sacrificaturo tunicam Nessi cruore tinctam attulisset, munus scilicet Deianiræ mittere se philtrum ratæ. Fabula nota, ex *lib. 9. Metamorph.* Higyno *cap. 36.* Seneca *Hercule Oetæo.* Isacio Tzetze *in Lycophronem.* De hoc Deianiræ dono, sic Horatius *in Epod. Ode 3.*

Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.

VERS. 495. *Vel de præcipiti.* Cleombrotus Academicæ sectæ Philosophus, qui lecto Platonis de anima immortalitate libro, qui Phædon inscribitur, è muro se in mare abiecit, vt Callimachus *Epigrammate*, quod apud Sextum Philosophum *cap. 6.* aduersus Mathematicos & *Anthologiæ lib. 3.* legitur, Cicero *lib. 1. Tusculan. quæst.* Lactantius Firmianus *lib. 8. cap. 18.* S. Augustinus *lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 22.* memoriæ prodiderunt. Per opus vero Socraticum, caue putes aliquid à Socrate scriptum, sed intellige

tellige Platonis Phædonem. Sic apud Horatium *in Arte Poëtica.*

Rem tibi Socratica poterunt ostendere chartæ.

Per Socraticas enim chartas non libri à Socrate scripti significantur, cum nihil ille scripserit teste Aristide *in prima Platonica pro Rhetorica.* Sed à Platone, Æschine, Xenophonte, & cæteris eius auditoribus, quos idem Flaccus *Ode 29. lib. 1. Socraticam domum* vocat. Quas autem nomine Socratis Epistolas edidit Leo Allatius homo Græcus suppositicias esse non dubito.

Vers. 497. *Vt qui Theseæ.* Ægeus Athenarum Rex Thesei pater, quo regnante Minos Cretensium Rex bellum Athenienſibus intulit ob cædem Androgeo filij, legésque durissimas imposuit, vt scilicet quotannis septem iuuenes nobiles in Cretam ad Minotaurum mitterentur, qui tribus annis sorte missi sunt, quarta autem sors obtigit Theseo qui magno patris dolore nauem conscendit, & cum omnia nauigij ornamenta nigra essent, habuit in mandatis à patre, vt si contingeret in agendis eum felicem sortiri exitum, rediens naui album poneret velum, amoto nigro, vt eminus euentum nosceret, Theseus Ariadnæ consilio victor mandatorum patris immemor non amoto velo nigro redibat. Ægeus excelsa turri prospectans nigrum velum, quod proinde Naso fallax vocat, filium mortuum arbitratus ex turre se deiecit in mare, quod ab ipso vocatum est Ægeum. Ex Plutarcho *in Theseo*, Catullo *de nuptiis Pelei*

& Thetidos, & aliis. Verùm Simonides apud eundem Plutarchum negat album velum ab Ægeo datum, sed puniceum quod insigne esset incolumitatis Thesei.

VERS. 498. *Et Iliaca missus ab arce puer.* Astyanax Hectoris filius, quem pater Scamandrium à fluuio præterlabente nominare solitus erat, ab Vlysse præcipitio extinctus est, ne quis de stirpe Regia superesset, qui maiorum iniurias vlcisceretur, Ouidius ipse *lib.* 13. *Metamorph.*

Mittitur Astyanax illis de turribus, vnde
Pugnantem pro se proauitaque Regna tuentem
Sæpè videre patrem monstratum a matre solebat.

Eiusdem iterum mentio fiet *versu* 565.

VERS. 499. *Vt teneri nutrix.* Ino Athamantis vxor, eadémque Bacchi nutrix & matertera, cuius nimirum soror fuerit Semele Bacchi mater, viso Learcho filio, ab Athamante furente ad saxum alliso, sese cum altero filio Melicerta in mare præcipitem misit; Dea postmodum habita, quam Græci Leucotheam, Latini matutam vocat. Ex Ouidio *lib.* 4. *Metamorph.* item *lib.* 6. *Fastor.* Apollodoro *lib.* 3. Higyno *fab.* 11. Aristide *in Isthmitica, tomo* 1. Seneca *in Oedipo*, Nonno *Dionysiacon lib.* 8. Zenobio *Prouerbio* ἰνοῦς ἄχη.

VERS. 500. *Vt cui causa necis.* Is fuit Perdix, quem Dædalus auunculus inuidia ductus, quod ex consideratione spinæ dorsi in piscibus serram ferream primus excogitasset, ex Arce Mineruæ

neruæ præcipitem egit, in auem sibi cognominem à Minerua transformatum, vt canit Ouidius *lib.* 8. *Metamorph.* qui es Circinum ab eodem inuentum refert. Verum Diodorus *lib.* 4. inuentorem serræ non Perdicem vocat, sed Talum, Pausanias *in Atticis*, Calum, Ioannes Tzetzes *chil.* 1. *Histor.* 19. Attalum.

VERS. 501. *Liuida se scopulis.* Rectè Ianus Parrhasius vir auorum nostrorum memoria doctissimus, *lib. de rebus per Epistolam quæsitis, Epist.* 47. Aglauron intelligit, vnam è Cicropis filiabus, quæ Mercurio ad Hersen sororem accedenti conuitium fecit, eúmque tectis excedere coëgit. Liuida vocatur quod inuidiæ à Pallade immissæ liuore suffecta felicitate sororis Deo nupturæ cruciaretur, vt pulcrè describitur ab Ouidio *lib.* 2. *Metamorph.* Hanc autem quod cistam, in qua Erichtonius abditus erat, contra Palladis mandatum resignasset, furiis agitatam sese cum Herse sorore ex Athenarum arce, quâ maximè præruptus locus erat, præcipitem misisse prodidit Apollodorus *lib.* 3. *Bibliothecæ*, & Pausanias *in Atticis.* Sed Ouidius hoc loco totam rem in Aglauron contulit, quam *libro laudato Metamorphoseon*, in saxum à Mercurio mutatam canit. In ea vero parte rupis templum illi postea erectum scribit Herodotus *lib.* 8. Frustrà vetus Interpres & alij eum secuti pro *Liuida* legunt *Lydia* & fabulam de ilice quadam Ibici Lydij filia comminiscuntur.

Fœta tibi occurrat patrio popularis in agro,
Sitque Phaylleæ causa leæna necis.
Quique Lycurgidem lethauit, & arbore natum,
Idmonáque audacem, te quoque rumpat aper.
Isque vel exanimis faciat tibi vulnus, vt illi
Ora super fixi quem cecidere suis.
Atque idem simili pinus quem morte peremit,
Venator Phrygia sis Berecynthiades.

COMMENTARIVS.

Phayllus siue Phalæcus, à leæna discerptus. Mauritania leonum nutrix. Ancæus, Adonis, Idmon, Thoas, Attis ab apris occisi. Lethare *pro letho dare.* Audax *qua Notione apud Virgilium.* Rumpere & frangere *pro interimere. Martialis acumen dispectum. Venatorum mos. Ouidij locus tentatus. Idem de spurio suspectus.*

VERS. 503. FOETA *tibi occurrat.* Phayllus Ambraciæ Tyrannus fuit, quem obuia casu leæna discerpsit. Quamobrem

obrem Ambracienſes eam conſecrauerunt, vt libertatis ſuæ vindicem. Author Ælianus *lib.12.de Animalibus*. Sed enim, quia paulo breuior eſt, hiſtoriam fuſiorem, quam vix alibi reperias, ex Antonino Liberali petitam curæ eſt. Itaque ſic ille *in Collectaneis Metamorphoſeon. Cum Phalacus Graca non habeo, Ambraciam tyrannide premeret, metúſque ab eius cæde omnes detineret, Diana venanti Tyranno catulum leonis exhibuit, quem cum is in manus ſumpſiſſet, leæna mater à ſylua erupit, & in Phalacum impetu facto pectus eius dilaniauit. Ideo Ambraciota ſeruitutis excuſſo iugo Dianam Principem placarunt, venatriciſque Diana ſimulacro facto, feram ei appoſuerunt.* Hinc dubium oritur, *Phallecuſne* cum Liberali, an *Phayllus* cum Æliano, Tyrannus hic dici debeat. Certè Ianus Parrhaſius *Epiſtola* 9. primus emendandum putauit *Phayllea* pro *Paphagea*, quod omnes editiones inuaſerat. Sequitur *patrio popularis in agro*, quod à nemine interpretum excuſſum eſſe demiror. Hîc enim Ouidius patriam Ibidis ſubinde indicat, vnde nos eo capite, quo Ibidis nomen inueſtigauimus, eum ex Libya, aut ex vicina regione oriundum eſſe oſtendimus. Etenim leonibus, quos *Ibidis populares* Naſo vocat, adeo Libya ſcatet, vt quædam ciuitates teſte Diodoro Siculo *lib.3. Biblioth. cap.3.* leonum vi ex deſertis locis aduentantium deſertæ ſint, nec ſine cauſa Flaccus *Ode 22. lib.5. ad Ariſtium Fuſcum.* Mauritaniam Lybia regionem *Leonum nutricem* appellauit, vbi de lupo qui

sibi in silua Sabina occurrerat ita canit.

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit esculentis,
Nec Iuba tellus generat leonum
Arida nutrix.

VERS. 505. *Quique Lycurgidem.* Sequentibus sex versibus conglomerat historias eorum, qui ab apris interempti sunt. Per *Lycurgidem* non alius intelligendus quam Ancæus Lycurgi filius ab apro Calydonio laceratus, de quo Naso noster *lib.* 8. *Metamorph.* Apollodorus *lib.* 1. Pausanias *in Arcadicis*, Higynus *fab.* 247. Seneca *Medea*, Philostratus iunior *in imaginibus*, Apollonij Scholiastes ex Pherecyde *in lib.* 1. *Argonaut.* ex quo natum prouerbium.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κοτύλης καὶ χείλεος ἄκρου.

Multa cadunt inter calicem supremáque labra.

Cuius quidem prouerbij meminit Lycophron *in Cassandra*, Didymus ex Aristotele *ad lib.* 22. *Odyss.* Apollonij Scholiastes. Quanquam Festus aliam originem refert. *Lethauit* pro interemit prisco verbo, sed minus vsitato. Eutychus *lib.* 2. adduxit hunc Ouidij versum super verbo *Lethare* cum isto *lib.* 3. *Metamorph.*

Vt nemus intrauit lethatáque corpora vidit.

Quo loco Pontanus hoc verbi nusquam lectum notauit. Sed ipso etiam Virgilius vsus est in culice vbi de Achillo.

Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod lethat.

Illúdque Barthius existimat restituendum apud Gratium *in Cynegetico*, *versu* 63. vbi de Heroïbus qui ab apris, aut aliis feris armatis perempti sunt,

sunt, cum sola virtute illas aggressi essent. Sic enim Gratius, ex Barthij emendatione.

Nonne vides veterum quos prodit fabula rerum
Semiudos; illi aggressus lethare superbos,
Tres feræ amatores ausa tractare Dearum
Quam magna mercede.

Lethum à Græca voce ductum scribit Varro cum ait: *Alterum apparet in funeribus indititiis, cum dicitur Ollus letho datus est, quod Græcus dicit λήθῳ, id est obliuioni:* nam, *ollus letho datus est*, veteres vsurpabant pro, *ille mortem obiit.* Hinc Tullius *lib.* 2. *de legibus: Deorum Manium iura sancta sunto. Hos letho datos Diuos habento.* Priscianus deducit à verbo *leo* pro quo nunc *deleo.* Alij à *luo.*

Et arbore natum. Adonin Myrrhæ filium ab apro interfectum authore Ouidio ipso, *lib.* 10. *Metamorph.* Lycophrone *in Cassandra*, Theocrito *Idyllio notissimo*, Luciano *in Dea Syria*, siue Dianæ inuidia, vt voluit Apollodorus *lib.* 3. siue Musarum odio, vt canit Bion *Idyllio α*, siue denique zelotypia Martis riualis in aprum mutati, vt scribit Aphthonius *Progymn.* Author γεωπονικῶν *lib.* 11. Nonnus *Dionysiacon lib.* 41. Iulius Firmicus *de errore prophanarum Religionum.* Arbore verò natus Adonis dicitur Myrrha matre in arborem sui nominis conuersa. Testes idem Naso *loco citato* Lycophron, *Antoninus Liberalis*, Plutarchus *in Parall.* Plinius *lib.* 12. *cap.* 15.

Vers. 506. *Idmonáque audacem.* Idmon Vates, vnus ex Argonautis, qui apud Maryandinos

ab apro percussus interiit. Author Apollonius *lib.2. Argonaut.* Higynus *cap.247. Audacem* dicit, quia cum Vates esset, ideóque sciret se in expeditione Colchica periturum, nihilominus expeditionem non detrectauit. Hinc Seneca *Medea.*

Idmonem quamuis benè fata nosset.

Et verò Vatem fuisse nomen indicat, vnde Ausonius.

Idmona quid Vatem, medicum quod Iasona dicunt
Discendas artes nomina præueniunt.

Quin etiam Virgilius, vt Grammatici notant *audacem* plerumque dicit, quoties aliquem frustrà nitentem inducit, sic enim de Pallante *lib.8.*

audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat.

Et *lib.9.* de Turno.

Irin de cœlo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum.

Item *lib.12.* de Iuturna quæ Turno fratri ensem frustra restituerat.

Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere.

Te quoque rumpat aper. Rumpere & frangere frequenter vsurpatum pro interimere, Turnebus obseruauit, *Aduersariorum lib.24. cap.21.* & *lib.28. cap.31.* sic enim Martialis *lib.1. Epigramm.50.*

Leporémque forti callidum rumpes equo.

Ex *lib.12. Epigr.14.*

Sapius est Equitem rumpere quam leporem.

Ex cuius verbi notione ductum mihi videtur acumen

acumen Epigrammatis 99. *lib.*9. quod ita claudit Martialis.

Rumpitur inuidia quod amamur, quodque probamur,
Rumpatur quisquis rumpitur inuidia.

Alioquin non dispicio Epigrammatis acumen, nisi Virgilianum illud in animo habuerit, *rumpantur vt Ilia Codro.* Sic & Valerius Flaccus *lib.*2. *Argonauticon*, verbo *frangere*, eadem significatione vsus est.

Ille velut refugi, quem contigit improba Mauri
Lancea, sanguineus vasto Leo murmure fertur,
Frangit & absentem vacuis sub dentibus hostem.

Vt & Solinus cap.20. *Apud hos populos nati canes omnibus feris anteponuntur, frangunt tauros, leones perimunt.*

Vers.507. *Isque vel exanimis.* In Andragathia regione venator erat, qui pedes & capita ferarum quas ceperat Dianæ dicata arboribus affigere solebat. Sed enim cum fortè aprum ingentem prostrasset neglecta Dea se caput duntaxat dicaturum dixit, tum eo arbori affixo sub eadem Meridiani æstus vitandi causa quiescens in somnum incidit: Ecce vero caput aprinum ligaculis sua sponte dissolutis decidens, venatorem dormientem perimit, vt iisdem propemodum verbis, sed Græcis memoriæ prodidit Diodorus Siculus *lib.*4.*cap.*2. *Bibliothecæ.* Idque iam viderat vetus Interpres, qui Thoanti nomen illi fuisse refert. Hinc autem venatoribus moris fuisse coniicimus, vt Dianæ partem prædæ pollicerentur, ac finita venatione caput, aut

exuuias arboribus appenderent, velut teſtantur Xenophon & Arrianus *in Cynegeticis*, & Ariſtophanis Scholiaſtes *in Pluto* his verbis : Ἔθος ἦν τοὺς θηρῶντας τινὰ ἄγραν, μέρος τι τοῦ θηρωμένου κεφαλὴν, ἢ πόδα προσηλοῦν πασσάλῳ ἐπὶ δένδρου εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος. *Conſuetudo fuit venatoribus partem prædæ vel caput vel pedem affigere clauo in quadam arbore in hac ipſa ſylua in honorem Dianæ.* Hinc Virgilius *Ecloga 7.*

Setoſi caput hoc apri tibi Delia paruus
Et ramoſa Mycon viuacis cornua cerui.

Vers.509. *Atque idem ſimili.* Non dubium quin Attis Calai Phrygis filius, à Berecynthia Dea ſiue Cybele adamatus, intelligi debeat, nam & illum ab apro diſcerptum ſcribunt Hermeſianax Elegorum Scriptor. Pauſanias *in Achaicis*, Nicandri Scholiaſtes *initio Alexipharmacon.* Verùm prior verſus omnino deprauatus eſt. Quis enim ſenſus elici poteſt ex his verbis : *Simili pinus quem morte peremit.* Vetus Interpres ait Attin in Berecyntho monte à venatione laſſum obdormiuiſſe, atque arboris illius pomis interiiſſe. Ineptias: An ſcribendum ex coniectura Sanctij, *Atque idem ſimili viuus quem morte peremit.* Vt τὸ *viuus* opponatur *exanimis*, quod eſt in priore diſticho. An pro *peremit* corrigendum *redemit.* Attis enim in arborem pinum conuerſus fingitur ab Ouidio *lib.*10. *Metamorph.* his verſibus

Et ſuccincta comas hirſutáque vertice pinus
Grata Deum matri, ſiquidem Cybeleius Attis

Exuit

Exuit hac hominem truncóque induruit illo.

Quasi dicatur pinus Attim redemisse à morte, qui hodiéque viuat in ea arbore. Frigida certè omnia vt ingenuè fatear, suspectum ideo mihi de spurio distichon.

Si tua contigerit Minoas puppis arenas.
Te Corcyreum cressia turba putet.
Lapsurámque domum subeas vt sanguis Aleuæ,
Stella Leoprepidæ cum fuit æqua viro.
Vtque vel Euenus torrenti flumine mersus 515
Nomina des rapidæ vel Tiberinus aquæ.

COMMENTARIVS.

Cretenses Corcyreis infesti. Historia de Simonide. Ouidij locus variè intellectus. Euenus in Lycormam & Tiberinus in Albulam submersi, vnde fluuiis ipsis nomina.

VERS. 511. *Si tua contigerit.* Vetus Interpres in hunc locum, *Cretenses ex Sicilia Minois ossa referentes Corcyram venerunt, quos Corcyrei vexauerunt, & ossa quæ ferebant sparserunt. Quare quicunque Corcyrei Cretam veniebant occidebantur.* Corcyra Insula Homero dicta

dicta *Scheria* Phæacum sedes, Callimacho *Drepane*, aliis etiam *Macris*, hodie *Corfu*.

VERS. 513. *Lapsurámque domum.* Per *Aleuæ sanguinem*, Scopas Thessalus, per *virum Leoprepida* Simonides Ceus, per *Stellam* Castor & Pollux intelligendi. Historia petenda ex Cicerone lib. 2. de Oratore. *Dicunt enim cum cœnaret Cranone in Thessalia, Simonides apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, cécinisseque id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa Poëtarum more in Castorem scripta & Pollucem fuissent, nimis illum sordidè Simonidi dixisse, se dimidium eius rei quod pactus esset pro illo carmine daturum, reliquum à suis Tyndaridis quos æquè laudasset peteret, si ei videretur. Paulò post esse ferunt nunciatum Simonidi vt prodiret, iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere euocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclaue illud vbi epularetur Scopas concidisse. Ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse, quos cum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere vllo modo, Simonides dicitur ex eo quod meminisset quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator vnius cuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus inuenisse fertur ordinem esse maximè qui memoriæ lumen afferret.* Eadem narrat Valerius Maximus *lib. 1. cap. 9.* Scopas autem dictus *Aleuæ sanguis*, siue quod Creontis & Echecratiæ filius esset ex Aleuæ progenie, vt Theocriti Scholiastes author est, siue quod Thessali omnes dicti *Aleuadæ* ab Aleua eorum Rege, vt supra dixi-

mus

mus ad *versum* 325. Simonides Leoprepei filius vt ipsemet scripsit, & à Suida traditur. Hinc Leoprepides appellatus ex coniectura Iosephi Scaligeri *in Ausonianis lectionibus lib.*2. *cap.*30. Pleræque tamen Editiones habent *Stella Lycoritæ*, quædam *Lycoridæ*, quam lectionem tuentur & exponunt Andreas Alciatus *lib.*6.*cap.*21. Parergon iuris. Adrianus Turnebus *lib.*9. *c.*21. *Aduersariorum*, Andreas Schottus *lib.*2. *cap.*32. *Obseruationum humanarum. Proculdubio*, inquit Turnebus *de Simonide locus est explicandus, quem Lycoridem virum vt opinor, vocat vt & Melicum Poëtam & Apollinium. Nam vt Amphrysia Vates Sibylla dicitur, quia ad Amphrysum pauerat pecus Apollo, quidni & ab Apolline, qui* Λυκωρεὺς *vocatur, vt apud Callimachum* λυκώρεϊ ἔνθια φοίβε *Lycorides dicatur. Fortasse etiam à Lycoreo qui Delphis vicum condidit genus ducebat, quod & verius puto.* Notum verò cur appellatione Stellæ Castor & Pollux significantur. Sic apud Horatium *lib.*1.*Ode* 3.

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera,
Ventorúmque regat pater.

Et *Ode* 12.

Dicam & Alciden, puerósque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem, quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluxit saxis, &c.

Hæc enim stella nautis amica & salutaris est, periculúmque abesse significat. Cæterum notatu

tatu dignum est,quod ait Strabo *lib.*1. veteres longiora mari terráque fecisse itinera, quam posteros,idcóque Castorem & Pollucem maris procuratores, ac nauigantium seruatores esse dictos,quod lõgissimè latissiméque nauigarint.

VERS.515. *Vtque vel Euenus.* Fuit Euenus Martis filius Ætoliæ Rex,qui cum Idam Apharei filium Marpissæ filiæ raptorem frustra insecutus esset, præ dolore in Lycormam Ætoliæ fluuium se coniecit,qui ab eo dictus est Euenus. Sic Apollodorus *lib.*1. Plutarchus *in Parallelis, Hist.*40. Item *libro de fluminibus, in Lycorma.* Didymus *in Eustathium Iliad.*9.

Torrenti flumine. Torrens est fluuius vel cœlestibus aquis, vel solutis niuibus auctus, qui ex montibus præceps in campos, vel maria,vel flumina defertur. Vsurpatur nunc absolutè pro fluuio, nunc ὀπθέντως, vt hoc loco, item apud Virgilium *lib.*2. *Æneid.*

——*aut rapidus montano flumine torrens.*

Græcus χείμαῤῥοι ποτωμοὶ, vt Homero 5. *Iliad.* Herodoto *lib.*3. Artemidoro *lib.*2.*cap.*27.

VERS.516. *Rapida vel Tiberinus agua.* Tiberinus Albanorum Rex, qui in traiectu Albulæ submersus celebre ad posteros nomen fluuio dedit. Authores T. Liuius *lib.*1. Ouidius ipse *lib.*2. *Fastorum,* Aurelius Victor *in origine gentis Romanæ*, qui non Tiberinum, sed Tiberium ipsum nominat, vt & Eustathius *in Dionysium, pag.*50. editionis Stephaneæ, & Ado Viennensis *in Chronicis ætate* 4. longè aliæ de Tiberis nomine rationes afferuntur à Virgilio, & eius

Interprete

Interprete Seruio, qui præterea tradit ipsum in sacris Tiberinum, in Cœnolexia Tiberim nominari.

Astacidæque modo dississa cadauere trunco
Digna feris, hominis sit caput esca tuum.
Quodque ferunt Brotheum feciſſe cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremenda pyræ.
Inclusúsque necem cauea patiaris, vt ille
Non profecturæ conditor historiæ.

COMMENTARIVS.

Menalippi caput à Tydeo corrosum. Sequenti districho legendum Proteum, *non* Brotheum, *imò* Biotheam *fortè* Brotum, *imò* Broteum, *eorúmque omnium interitus. Varia de morte Callisthenis.*

VERS. 517. *ASTACIDÆQVE modo.* Ita legendum ex felici Franciſci Sanctij coniectura, qui hoc distichon antea deprauatissimum nitori suo restituit. A qua lectione San-Victorianus Codex optimæ notæ non longè recedit. Naſonis enim mens esse videtur,

videtur, vt Ibidis caput à suo corpore fœdè truncato diffissum, non secus ac Menalippi corrodatur, quamuis à feris potius deuorari deberet. Siquidem Tydeus Oenei Calidoniæ Regis & Eurybocæ, siue Peribocæ filius, in bello Thebano lethaliter à Menalippo vulneratus, caput eius ad se deferri iussit, quod cum tandem per quæque pericula defectum Amphiaraus attulisset, ille mordicus arripiens cernicibus non aliter, ac rabidus canis, dentes infixit. Authores Apollodorus *lib.* 3. *Bibliotheca*, Sextus Empyricus *Hypotypoſeon Pyrrhoniarum*, *lib.* 3. Ouidius ipse *versu* 430. & Papinius *lib.* 8. *Thebaidos*, vnde Lycophron *in Cassandra*, Diomedem τῦ κρατερῶτ@ filium vocat. Dosiadas *in Ara secunda*, filium τῦ αἰδροβῶ, genitiuo scilicet Dorico, pro αἰδροβῶτ@. Menalippum autem Astaci filium esse testatur Æschylus Tragœdia de Thebis. Herodotus Terpsicore. Hinc Astacides Ouidio dictus, vt & Papinio libro citato Thebaidos *Attacides Menalippus erat.*

VERS. 519. *Quodque ferunt Brotheum.* Hic locus planè mihi chamæleonte mutabiliot videtur, adeò sibi non constat, aliámque subinde atque aliam interpretationem sumit : mirum enim quam variè à præstantissimis viris inuertatur ac sollicitetur. Primùm sic exponit eum vetus Interpres. Brotheus Iouis filius à sua turpitudine nomen habuit, quare immortalitatem assequi non potuit, vnde præ dolore, & quia se contemni videbat in ardente pyra mori

mori voluit. Domitius Calderinus *Brotheus Vulcani & Mineruæ filius, propter deformitatem oris contemptus, se in pyram ardentem coniecit. Alio nomine Erichtonius dicebatur ab Homero, vt scribit Eusebius.* Paria de Brotheo refert natalis Comes *Mythologiæ lib.2. cap.6.* Ambo sine Authore. Alciatus autem, vir acerrimo ingenio *lib.4.cap.4. Parergon iuris*, hoc distichon de spurio suspectum Ouidio demere non dubitat, & de Peregrino Pariano Philosopho, cognomento Proteo, capiendum contendit, qui celebri die Olympiorum in pyram hac causa fabrefactam adstante totius Græciæ conuentu se condidit, vt scribit Agellius *in noctibus Atticis lib.22. cap.11.* & Lucianus peculiari libello, quo dementiam eius explodit, obitérque Tertullianus *lib. ad Martyres.* Ideo putat Alciatus, aliquem eius temporis studiosum Luciani exemplo hominis memoriæ illudentem, Ouidiano carmini in Ibin inseruisse illud distichon. Nam, quæ Interpretes de Brotheo Vulcani & Mineruæ filio prodiderunt, inquit, nullis idoneis authoribus fulciuntur, apparétque ab eis id confictum impostoram lectori facientibus, vt sæpè alias eo in libro. Alciato F. Sanctius assentiri videtur. Paulus autem Leopardus *in Miscellaneis lib.1. cap.10.* hos versus ad Axiotheam siue Biotheam refert, de cuius interitu præter Diodorum Siculum, Polyænus *lib.8. stratagematum.* Ita scribit, sed Græcè. Axiothea Nicoclis Regis vxor, magna militum multitudine veniente ab Ptolomæo Ægypti Rege ad

disturbandum Regnum, cum Nicocles vitam laqueo finisset, fratrésque eius sibi ipsis mortem conciuissent, ipsa mortuorum virtutem æmulata est, sororésque eorum ac matres vxorésque conuocauit, & iis persuasit, ne quid genere indignum committerent. Illæ persuasæ, fortiter aulæ muliebris ianuas concluserunt, recurrentésque ad tecta multitudine ciuium confluente, quos liberos in vlnis ferebant, interfecerunt, & igne tectis iniecto, aliæ gladiis se ipsas occiderunt, aliæ confidenter in flammam insilientes perierunt, Axiotheo vero ducem se in periculis optimam præstabat: cum enim videret omnes egregiè iacere, tum & ipsa summisso gladio per cædem se in flammam coniecit, vt ne mortuo quidem corpore hostes potirentur. In aliquibus exemplaribus pro *Axiothea*, legitur *Biothea*, vnde nata Leopardi coniectura. Verùm Ianus Parrhasius Epist. 9. *Brotum* legit: nam *Brotus*, inquit, *indigena fuit ac terræ filius, vt scribit Euenerus, vt Hesiodus Ætheris & Auroræ. Natus hic erat immortalis, sed eum tantum lucis odium cepit, vt nouo exemplo omnium primus vitam cum morte commutarit, vnde Græcis βροτος mortalis ab eo dictus homo.* Idem in additamento ad eandem Epistolam, hanc historiam è Collectaneis historiarum refert. Βροτίας κυνηγὸς τὴν Ἄρτεμιν οὐκ ἐτίμα, ἔλεγε δ' ὡς οὐδ' ὑπὸ πυρός τι πάθοι. Ἐμμανὴς οὖν γενόμενος ἔβαλεν εἰς πῦρ ἑαυτόν. *Broteas erat venator. Is nullo honore Dianam dignabatur, ausúsque dicere est, nullam sibi noxam ab igne afferri posse. Itaque furore correptus*

reptus in ardentem rogum præcipitem se misit, & periit. Elige lector, fortassis enim sæpè iaciendo, Venerem iecimus.

VERS. 521. *Inclusúsque necem.* Rectè Vetus Interpres, & post eum Parrhasius, Egnatius, Abstemius explosa Domitij de Chœrilo enarratione, Callisthenem Alexandri Magni Comitem, rerúmque ab illo gestarum scriptorem intelligunt, de cuius morte varia produntur. Sic eam refert Iustinus lib. 15. cap. 153. *Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem Philosophum propter salutationis Persicæ interpellatum morem, insidiarum quæ sibi paratæ fuerant conscium fuisse iratus finxisset, eúmque truncatis crudeliter omnibus membris, abscisísque naribus ac Naso, labiísque deforme ac miserandum spectaculum reddidisset. Insuper cum Cane in cauea clausum, ad metum cæterorum circumferret. Tunc Lysimachus audire Callisthenem, & præcepta virtutis ab eo accipere solitus, miseratus tanti viri non culpæ, sed libertatis pœnas pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quod adeo ægrè Alexander tulit, vt eum obiici ferocissimo leoni iuberet.* Diogenes Laërtius *in vita Aristotelis*, in cauea circumductum ad spectaculum, morbóque pediculari correptum ac demum leoni obiectum scribit. Suidas etiam cauea inclusum vnà cum Nearcho, & phthiriasi absumptum. Quo etiam morbo periisse Plutarchus *in Sulla* prodidit. Seneca pater *prima suasoriâ* præceptorem Alexandri vocat, & lancea traiectum ait. Philostrarus *lib. 7. de vita Apollonij*, interfectum à

Macedonibus, quod ipsos vituperasset. Aristobulus apud Arrianum compedibus vinctum, ac postea morbo extinctum refert. Curtius *lib.*8. tortum interiisse. Adeo Scriptores de Callisthenis nece dissentiunt. *Nullius autem cædes*, ait Curtius, *maiorem apud Græcos Alexandro excitauit inuidiam, quod præditum optimis moribus artibúsque, à quo reuocatus ad vitam erat, cum interfecto Clito mori perseueraret, non tantum occiderit, sed etiam torserit, indicta quidem causa, quam crudelitatem sera pœnitentia consecuta est.* Hinc Seneca lib.6. cap.23. *Naturalium quæstionum*, quo loco de terræ motibus ex sententia Callisthenis disputat. *Rara terræ natura est, multúmque habens vacui, per has raritates spiritus fertur, qui vbi maior influxit, nec emittitur, concutit terram. Hæc placet & aliis vt paulo ante retuli causa. Si quid apud te profectura testium turba est. Hanc etiam Callisthenes probat non contemptus vir; fuit enim illi nobile ingenium, & furibundi Regis impatiens; hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimit: nam quoties quis dixerit, occidit Persarum multa millia, opponitur & Callisthenem; quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tunc magnum Regnum erat, opponitur & Callisthenem; quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit. Dicitur, sed Callisthenem occidit, omnia licet antiqua Ducum Regúmque exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus*

Callisthe

Callisthenis. De Callisthenis autem historia Tullius, ita scribit lib. 2. de Oratore. *A Philosophia profectus Princeps Xenophon Socraticus, ille, post ab Aristotele Callisthenes Comes Alexandri scripsit historiam, & hic quidem rhetorico penè more. Ille autem super ea leniore quodam sono est vsus.* Is Alexandrum, vt est apud Arrianum *lib.* 4. eiúsque facta omnia suis scriptis inferiora censebat, & parum modestè scripserat. Existimarunt quidam Callisthenis Historiam in Vaticana Bibliotheca Romæ, in Regia Lutetiæ, in Medicea Florentiæ asseruari. Sed hæc omnino spuria, falsa, & supposititia est, fabulísque referta.

Vtque repertori nocuit pugnacis Iambi,
Sic sit in exitium lingua proterua tuum.
Vtque parum stabili qui carmine læsit Athenin, 525
Inuisus pereas deficiente cibo.
Vtque Lyræ Vates fertur periisse seuera,
Causa sit exitij dextera læsa tui.

COMMENTARIVS.

Archilocho, Hipponacti, Alcæo maledicentiam exitio cessisse. Ouidius variè sollicitatus. Dextra fidei symbolon. δεξίωμα. δεξίωσις. δεξιὰ *pro fide.*

VERS.523. *VTQVE repertori.* Archilochus intelligendus Iambici carminis inuentor, cui maledicentiam exitio fuisse docet Pindarus ὠδ. β. Πυθ. his verbis ad quæ Naso respectum habuisse videtur.

——————Ἐμὲ δὲ χρεὼν
Φεύγειν δάκος ἀδινὸν κακαγορίαν
Ἔδον γὰρ ἐκὰς ἐὼν τὰ πόλλ' ἐν ἀμαχανίᾳ.
Ψογερὸν Αρχίλοχον βαρυλόγοις ἔχθεσιν παιδόμενον.

Id est, *At me opus est fugere morsum tristem maledicentiam. Vidi enim cum procul abessem sæpè facultatum inopem maledicum Archilochum, dum maledicis odiis pinguefieret.* Enim verò primum *Lacedæmonij libros Archilochi è ciuitate sua exportari iusserunt.* Verba sunt Valerij Maximi lib.6.cap.3.de seueritate, *quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur, noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret quam ingeniis prodesset. Itaque maximum Poëtam, aut certè summo proximum, quia domum sibi inuisam obscœnis maledictis lacera*

lacerauerat, carminum exilio multarunt. Eadem iisdem verbis refert Ioannes Sarisberiensis *lib.8.cap.2. Policratici.* Deinde verò ipsum Archilochum vrbe sua eiecerunt, ob eam maximè causam, quod is in carmine quodam scripsisset, ὡς κρεῖτόν ἐστιν ἀποβαλεῖν τὰ ὅπλα, ἢ ἀποθανεῖν: *Satius est abiicere arma quam mori*, vt author est Plutarchus *in institutis Laconicis.* Nota vero est illius maledicentia in Lycamben, Neobulen, Chidum & Periclen; vnde nata prouerbia, *Archilochi patria, Archilochia edicta, Archilochum teris.* Illúdque de eo tradit Lucianus *libro* περὶ ἀποφράδος, quod cum à quodam contumeliosè appellatus esset, ita respondit τὴν τέττιγα πτερῷ συνείληφας, *Cicadam ala comprehendisti.* Quod autem Iambici carminis inuentor fuerit, Horatius *Epistola 9. lib.1.* & libello *de Arte Poëtica*, vt & Velleius Paterculus *lib.1.* disertè produnt. Nonnulli primum hunc Iambum fuisse scripserunt ἀνθρωπ' ἄπελθε τὴν σκάφην ἀνατρέπεις, & à muliere lauante pannos dictum in Archilochum, quem etiam primum epodon excitasse. Marius Victorinus ait. Fuit in illo summa vis elocutionis, cum validæ, tum breues vibrantésque sententiæ, plurimum sanguinis ac neruorum, ita sentiente Quintiliano *lib.10.* Perperam Domitius & Andreas Alciatus *lib.5. cap.18. Parergon iuris*, hunc Ouidij locum exposuerunt.

VERS.525. *Vtque parum stabili.* Vetus interpres, & ex eo Lilius Giraldus *Dialogo 4. de Poëtarum historia*, hoc distichon de Mæuio exponunt,

nunt, qui cum Athenas petulantissimo carmine proscidisset, ab Athenienſibus in vincula coniectus inedia mori coactus est. Domitius Aristophanem quendam fingit, qui cum laudes Athenarum ab Oratoribus editas, libris qui *Panathenaici* inscribuntur carmine insectaretur, inedia extinctus est publico decreto. Alciatus *lib.5.cap.*18. *Parergon iuris*, legendum *Athenin* & de Hipponacte intelligendum asserit, qui primus, inquit, Iambum claudicare fecit, & Scazonta in Bubaplum & Athenin composuit, vt est apud Suidam, vt rectè Ouidius *parum ſtabile*, id est, claudum carmen ei tribuit. Alciato subscribit Adrianus Turnebus *Aduersariorum lib.9. cap.25. Videtur enim*, inquit, *de Hipponacte intelligi, qui claudicante & parum ſtabili verſu, id eſt, Scazonte in Bupalum & Athenin inuectus eſt Athenienſes, quo in carmine ne Athenis quidem pepercerat. Quid tamen ſi pro Athenas, Athenin legamus, quem ab eo probris oneratum accepimus. Ne hanc quidem lectionem improbarim, etſi alteram delere non auſim.* Sanctius & Valerius ipsis assentiuntur. Et egō lubens in eorum sententiam pedibus eo, quod verisimile sit Nasonem duos Iambici carminis inuentores, eosdémque maledicos & obtrectatores iungere voluisse, quemadmodum Horatius vtrumque coniunxit *Epod.6.* in his

Qualis Lycambe ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.

Item Cicero lib.3. de natura Deorum, *Neque enim quem Hipponactis Iambus læſerat, aut qui erat*

erat Archilochi versu vulneratus, à Deo immissum dolorem, non conceptum à seipso continebat, &c. Hipponactem enim Scazontis authorem esse Dionysius Halicarnasseus *lib. de interpretatione*, Clemens Alexandrinus *Stromatum lib.* 1. Rufinus *de Metris Comicis*, tradunt, vt & Sulpitia Poëtria, Satyra de Reipublicæ statu, his versibus:

Nec trimetro Iambo, nec qui pede tractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.

Hipponacti notabilis fœditas vultus erat, ait Plinius *lib.* 36. *cap.* 5. quamobrem imaginem eius lasciuia iocorum Bupalus & Athenis sculptores fratres proposuere ridentium oculis: quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum distrinxit in tantum, vt credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse, quod falsum est. Complura enim in finitimis Insulis simulacra postea fecere, sicut in Delo, quibus subiecerunt carmen non vitibus tantum censeri Chium, sed ex operibus Athenis filiorum. Hæc Plinius, quibus ferè consentanea refert Suidas. Hinc elegans Epigramma *lib.* 3. *Antholog.*

Ὦ ξεῖνε φεύγε τὴν χαλαζεπῆ τάφον,
Τὸν φρικτὸν Ἱππόνακτος ὃ τεχ' ἁ τέφρα
Ἰαμβιάζει Βυπάλειον ἐς στύγος.

Id est, *ô hospes fuge Hipponactis sepulcrum horrendum, verborum grandine refertum, cuius etiam cinis Iambos intorquet in odium Bupali.* Hinc natum prouerbium *Hipponacteum præconium*, à Cicerone vsurpatum *lib.* 7. *Epistolarum.* Certè

Zarottus hunc locum de Anaxandride Poëta interpretatur, quem fame & inedia ab Athenienſibus necatum eſſe dicit, quod eos ſanctiſſimas quidem leges habere, prauiſſimis tamen vti ſcripſiſſet. Quod etiam refert L. Gregorius Giraldus *Dialogo 6. Hiſtoriæ Poëtarum.* Ambo ex Euſtratio vel Euſtrathio Græco Ariſtotelis Interprete *in lib. 7. Ethicorum.* Quod ſi ita ſe habeat, quærenda profecto non eſt aliunde Naſonis interpretatio. Sed ita me Deus amet, ſi Euſtratius Anaxandridem inedia periiſſe ſcriptum vnquam prodidit, in ea ſaltem editione quam videre mihi contigit, vt veriſimile ſit Lilium Giraldum non adito Euſtratio hoc retuliſſe, ex fide Chriſtophori Zarotti, qui rem ſine dubio commentus eſt Ouidianæ menti accommodatiſſimam.

VERS. 527. *Vtque Lyræ Vates.* Baptiſta Egnatius miſſis Domitij nugis, Philoxenum Dithyramborum Poëtam intelligit. Alciatus *lib. 5. cap. 18. Parergon iuris*, Ouidium de Heſiodo loqui putat. Sanctius de Steſichoro interpretatur. Mihi tantorum virorum honorem præfato nulla de tribus illis expoſitionibus arridet. Sed cum aliis Alcæum Poëtam Lyricum intelligo, qui mordaciſſimis verſibus Pittacum, Myrſilum, Megalagyrum, Cleanactidas, alioſque Tyrannidem in patria exercentes inſectatus eſt: teſte Strabone *lib. 13. pag. 424.* editionis à Caſaubono recognitæ, & Fabio Quintiliano *lib. 10.* qui ſcribit eum in parte operis, qua Tyrannos inſectatus eſt, aureo plectro merito donatum.

natum. Hinc Græci quædam eius opera σκώπτικα, id est, seditiosa vocauerunt, & Horatius *Ode 9. lib.4.* eius *Camœnas minaces*, in his

Nec si priores Mæonius tenet
Partes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceaque, & Alcæi minaces,
Stesichorique graues Camœnæ.

Vt & Ouidius hoc loco eius *Lyram seueram.* In Pittacum tamen præcipuè inuectus est, quem σαράποδα & σαράπυν vocauit, quod latipes esset & pedes traheret, χειροτύλλω quod scissuras in pedibus haberet, quæ χειράδες appellantur, γαύεικα quod frustra intumesceret, & superbiret, φύσκωνα & γάστρωνα, quod pingui aqualiculo esset, ζοφοδορτίδαν quod obtusam haberet oculorum aciem, vel vt Plutarchus *Problem. lib.8. cap.6.* exponit, quod alioqui obscuris, sordidis nihilque conuiuis delectaretur. Porrò & ἀγάσυρτον, quod obtrectatoribus pateret, & sordibus esset, vt est apud Diogenem Laërtium in Pittaco *lib.1. de vitis Philosophorum.* Pittacus tamen ea moderatione vsus est, vt *Alcæum Poëtam*, inquit Valerius Maximus lib.4. cap.1. *Et amaritudine odij & viribus ingenij aduersus se pertinacissimè vsum Tyrannidem à ciuibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo posset admonuerit.* Heraclitus autem apud Laërtium, illi Pittacum dixisse ait veniam supplicio longè meliorem. Quare ego existimo Alcæum à maledictis non cessantem, à Pittaco in exilium missum esse, quod fortasse Flaccus innuit his versibus ex *Ode 13. lib.2.*

Et

Et te sonantem plenius aureo
Alcaee plectro dura nauis,
Dura fugæ mala, dura belli.

Græci enim exilium φυγὴ, & exulare φεύγειν dicunt. Nisi potius Flaccus Alcæi fugam intelligat, de qua Herodotus Terpsichore *pag.*205. editionis Stephaneæ,& Strabo *lib.*13. *pag.*412. & 413. Cæterum per *læsam dexteram*, fidem quam Pittaco verisimiliter obstrinxerat violatam intelligo. Iam tum enim veteres vel in amicitia concilianda vel in fœdere ineundo vel in adstringenda fide dextras iungere solebant, vt notat Eustathius *Odyss.* ω. & Aristophanis Scholiastes *in Nubibus*, his verbis, εθος ἦν ὅτε πίστιν καὶ συμβήκας βεβαίας τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. De quo more pleni sunt Authorum tum Græcorum tum Latinorum libri. Hinc Fides & concordia duabus iunctis dextris, interdum imagunculis duabus dextram dextræ iungentibus fingebatur, vt in numo Balbini Imperatoris patet, cuius auersa pars duas dextras iunctas præsefert hac inscriptione *Fides mutua Augg.* Similiter numisma Pupieni auersam quoque partem binis dextris habet, cum hac inscriptione. *Charitas mutua Augg.* vnde Pythagoras ex hoc more quoslibet in amicitiam non esse admittendos admonebat, μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν. Græci autem δεξιῶσις pro comiter & benignè accipere dicunt, vt quendam Arriani locum Budæus exponit, vnde & apud Euripidem δεξίωσις est, quod leniter amplectimur, & δεξίωσις apud Appianum, vbi de reditu

Ciceronis

Ciceronis idem est atque gratulari. Seruius etiam in lib. 2. Æneid. *Iungere dextras maiorum salutationem fuisse* dicit, *cuius causam affert Varro Callimachum sequutus asserens omnem eorum honorem dextræ constitisse virtute; quamobrem hac se venerabantur corporis parte.* Hinc Grammatici δεξιὰς apud Homerum *Iliad.* β'. fidem interpretantur. Nec absimiliter δεξιὰ apud Xenophontem *Anab.* β. pro fide vsurpatur, quemadmodum hîc ab Ouidio dextera, & apud Virgilium *lib.* 6. Æneid.

——*Nec veriti dominorum fallere dextras*

Ideo Physici dextram fidei consecrarunt, vt genua misericordiæ, aures memoriæ, frontem Genio, teste Seruio Grammaticorum doctissimo ad *lib.* 3. *Æneid.* vt merito Plinius *lib.* 11. *cap.* 14. ei quandam religionem inesse dixerit. Postquam enim de religione genuum tam eleganter, quam elegantissimè scripsit. *Inest*, inquit, *& aliis partibus quædam religio sicut dextra oculis auersa appetitur, in fide porrigitur*, sed de his hactenus.

Vtque Agamemnonio vulnus dedit anguis Oresti,
Tu quoque de morsu virus habente cadas. 530
Sit tibi coniugij nox prima nouissima vitæ;
Eupolis hoc periit & noua nupta modo.
Vtque Cothurnatum periisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris missa sagitta tuis.

COMMEN

COMMENTARIVS.

Oreſtes ſerpentis morſu interemptus. Eupolis, Diogenes, Hymenæus, Sertullus prima nuptiarum nocte obruti. Lycophronis interitus. Valerius notatus. Theodoretus emendatus.

VERS. 529. *VTQVE Agamemnonio.* Sanctius. *Apud vnum*, inquit, *Scholiaſten Euripidis in Oreſte, lego Oreſten à ſerpente interiiſſe.* Imo Iſacius Tzetzes hoc etiam tradit in Alexandram Lycophronis, vbi de Oreſte loquens ait: Ἔγημεν Ἑρμιονὴν ἐξ ἧς γεννᾷ Τισάμενον ἢ κατὰ τινὰς Ἠριγόνην γήμας τὴν Αἰγίσθου, Πένθιλον γεννᾷ οἰκῶν ἐν Ὀρεστίᾳ τῆς Ἀρκαδίας, ὅπου ὑπὸ ὄφεως διχθεὶς ἀναιρεῖται. Euripidis Scholiaſtes Ἀσκληπιάδης ἐν Ἀρκαδίᾳ φησὶ τὴν Ὀρέστην ὑπὸ ὄφεως ἀναιρεθῆναι ἑβδομήκοντα ἐτῶν. Tegeæ verò ſepultus eſt Oreſtes, vnde poſtmodum oſſa eius oraculi monitu reuulſa Spartam à Licha Lacedæmonio tranſlata ſunt. Cuius rei periucundam hiſtoriam narrant Herodotus *Clio* Pauſanias *in Laconicis*, obitérque Plinius *lib.7.cap.16.* Solinus *cap.5.*

VERS. 531. *Sit tibi coniugij.* Eupolis Atheniensis Niciæ filius prima nuptiarum nocte cum Glycerio noua nupta obrutus eſt. Qua de

re extat Epigramma *lib.3. Anthologiæ* in hunc modum.

Αἲ αἲ, τοῦτο κάκιστον ὅταν κλαίωσι θανόντα
Νυμφιὸν ἢ νύμφην ἡνίκα δ' ἀμφοτέρος.
Εὔπολιν ὡς ἀγαθήν τε Γλυκέριον ὧν ὑμέναιον
Εὔσεβεν ἐν πρώτῃ νυκτὶ πεσὼν θάλαμος.
Οὐ καλῶς τόδε κῆδος ἰσόῤῥοπον, ὃς σὺ μὲν υἱὸν
Νίκια σὺ κλαύσας δ' Εὔδικε φυγατέρα.

Sic enim exponendum hunc Ouidij locum primus animaduertit Antonius Vrceus Codrus *sermone* 1. Non absimilis historia proditur de Diogene quodam, qui cum secundam vxorem duxisset, prima nocte thalami ruina cum sponsa periit, vt Apollonides, *lib.2 eiusdem Anthologiæ* testatum reliquit. Sic Hymenæus die nuptiarum ruina oppressus est, vnde expiationis causa nominabatur in nuptiis, & earum Deus est habitus authore Seruio *in* 1. *Æneid.* & Ioannem Tzetze *chiliade* 13. *Histor.*496. Ita quoque Romæ Q. Sertullius prima illa nocte cum vxore suffocatus est, quorum in sepulchro etiamnum visitur hoc Epitaphium. *Aspice viator Q. Sertullij & dulciculæ spons. me. Ranciliæ Virg. ac post inde quid faciat licentiosa sors legito. In ipsa florida ætate, cum acrior vis amoris ingrueret, mutuo capt. tand. Socero & m. Socr. annuentibus solen. hymen. nupt. copulamur. Sed ô fatum infelix nocte prima cum import. voluptatis ex li. fac. extinguere, & D. M. vota cogeremur redd. heu ipso in actu dom. marit. corruens ambos iam extrem. cum dulcedine lætiss. complicatos oppressit funestas soror. nec noui quid feciss. puta non erat in fatis tum nostra*

longior

longior hora, Cari parentes nec luctu nec lacrymis misera ac larvata nostra defleatis funera ne reddatis infeliciora. At vos nostris diuturniores viuite annos optimè lector ac viue tuos. Quod quidem mortis genus *amœnum* vocat Iulius Firmicus *Astron. lib.*8. *cap.*6. vbi nonnullos inter vsum Veneris astrorum vi obire dicit.

Nouissima vita. Vocem illam *nouissima* Ciceronem vitauisse prodidit A. Gellius *in noctibus Atticis lib.*10.*cap.*21.quo iudicio deceptus Laurentius Valla. *lib.*2. *Elegantiarum*, *cap.*50. dictionem illam Ciceroni abiudicat. Verùm quidquid ipsi visum sit, vsurpatam à Cicerone comperi in Oratore ad Brutum, & in oratione pro Roscio Comœdo cum ait, *Breui tempore qui ne in nouissimis quidem erat Histrionibus, ad primos peruenit comœdos.* Vsi sunt & illa, M. Cato. C. Sallustius, Ælius Stilo, apud Varronem. C. Cassius. D. Brutus aliique Ciceronis æquales.

VERS.533. *Vtque cothurnatum.* Lycophron Chalcidensis Soclei Grammatici filius sub Ptolemæo Philadelpho Lagi filio ea Poëticæ facultatis & eruditionis fama floruit, vt inter septem præstantissimos ætatis suæ Tragicos, quibus Pleiadum nomen, pro numeri æqualitate fuit inditum, meritò locum habuerit teste Suida & Hephæstione. Ille cum multa alia tum viginti Tragœdias scripsit, quas enumerat idem Suidas. Vnde, *Cothurnatus* ab Ouidio nuncupatur, quoniam Cothurnus Tragicorum calceamentum erat, vt Soccus Comœdorum. Ex tot autem eius opusculis Alexandra siue Cassandra

ſandra duntaxat ad nos ſuperſtes enatauit, τὸ σκοτεινὸν ποίημα ſummo iure appellatum, quod Theo Grammaticus ſcholiis quæ intercide-runt illuſtrauit, vt teſtis eſt Stephanus & Iſacius Tzetzes, cuius Commentarij ſuperſunt, vt ex recentioribus Gulielmus Canterus, Ioannes Meurſius, & ante hunc, Carolus Saluagnius Boëſſij Toparchus, pater meus, vir non minus literarum quam militaris diſciplinæ peritiſſimus. Verum de morte Lycophronis vnus Ouidius illum ſagitta transfixum obiiſſe prodidit, & poſt eum Fauſtus Andrelinus qui auorum noſtrorum memoria floruit, ille inquam Fauſtus cuius in ſcriptis vnicam ſyllabam deeſſe, nempe νοῦν, Eraſmus dictitare ſolebat. Sic enim *lib. 3. Amorum Elogia vltima*, de infelicitate Poëtarum.

Et ſunt obſcuri transfixa Lycophronis exta;
Sicanius preſſa fauet Poeta perit.

Nam quod attinet ad Theodoretum quem Valerius profert, mera eſt hallucinatio. De obitu enim Lycophronis ne verbum quidem apud illum. Deinde Theodoreti locus *lib. 8. de Græc. affect. curat.* vbi ex Zenone Lycophronem in Dianæ Magneſia templo conditum refert, planè deprauatus eſt, & pro *Lycophrone*, quod etiam Pariſianam editionem, à Iacobo Sirmundo recognitam inuaſit, proculdubio reponendum *Leucophryne*, cuius monumentum erat apud Magnetes in Dianæ templo, vt ex eodem Zenone tradit Arnobius *lib. 6. aduerſus Gentes*, in his *Leucophrynæ monumentum in Fano apud*

Magneſiam Dianæ eſſe Myndius profitetur ac memorat Zeno. Eoſdem enim Authores, nempe Myndium ac Zenonem, Theodoretus laudat, vt non dubitem quin ille tametſi Græcus ſcriptor hoc ab Arnobio ſumpſerit. Diana autem Leucophryne dicta apud magnetes maximè culta erat, cuius fanum Smyrnæ fuit, magnitudine quidem donariorum multitudine Epheſio cedens, at concinnitate & artificioſa delubri ſtructura longè ſuperius.

Aut lacer in ſylua manibus ſpargare tuorum,
Sparſus vt eſt Thebis angue creatus auo.
Perque feros montes tauro rapiente traharis,
Vt tracta eſt coniux imperioſa Lyci.
Quodque ſua paſſa eſt pellex inuita ſororis,
Excidat ante pedes lingua reſecta tuos.

Commentarius.

Pentheus à ſuis diſcerptus. Dirce tauro alligata. Philomelæ fabula.

Vers. 535. *AVT lacer in ſylua.* Pentheus Rex Thebanorum ex Agaue Matre Cadmi nepos, qui cum liberi Patris contemptor in Cithæronem montem Orgia diſturbatum veniſſet, ibidem à matre & materteris

teris furentibus aprum esse ratis membratim discerptus est, vt canit Ouidius *lib.*3. *Metamorph.* iuuencum matri visum esse Catullus voluit in his: *Pars è diuulso tractabant membra iuuenco*, Taurum Valerius Flaccus *lib.*3. Vitulum Nero apud Persium hoc versu: *Et raptum vitulo caput ablatura superbo Mænalis.* Fabulam præterea commemorant Theocritus *Idyllio, quod inscribitur.* Λιώαι. Euripides *Bacchis*, Apollodorus *lib.*3. Higynus *fab.*184. Philostratus *in imaginibus*, & Poëtæ passim. Addit Pausanias *in Corinthiacis*, arborem ascendisse Pentheum ex qua Baccharum operta sacra specularetur, Corinthiis autem redditum oraculum vt arborem illam quærerent & inuentæ diuinos honores haberent. Penthei etymon refert Euripides, apud quem Dionysius audito Penthei nomine illud ei ad infelicitatem congruere dicit.

Ἐνδυστυχῆσαι τοὔνομ' ἐπιτήδειος εἶ.

Quo etiam alludit Chæremon *hoc senario.*

Πενθεὺς ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.

Πένθος enim Græcis *luctus* est. Cæterum Pentheus *angue creatus auo* dicitur, Cadmo in draconem mutato, vt suprà dictum est in illud *generóque draconem.*

Vers.537. *Perque feros montes.* Dirce Lyci Thebarum Regis vxor, quam Zethus & Amphion in vltionem matris Antiopæ iniuriosius tractatæ feroci tauro per montes miserè distrahendam alligarunt, vt narratur ab Apollodoro *lib.*3. Higyno *fab.*7. Apollonij Scholiaste

in 4. Argonaut. & meminerunt obiter Plautus *Pseudolo, Act. 1.* Propertius *lib. 3. Eleg. 15.* Seneca *Thebaide*, Pausanias *in Bœoticis*, qui Dirces fontem ab ea denominatam ait.

VERS. 539. *Quodque sua passa est.* Philomela fororis Procnes inuita pellex, quam Tereus Procnes maritus primum pudicitia, deinde lingua spoliauit, ne vim sibi allatam proderet, ex authoribus allatis in illud *Tereüsque puer.*

Cognitor vt tardè Blæsus cognomine Cyræ,
Orbis in innumeris inueniare locis.
Inque tuis opifex Vati quod fecit Achæo,
Noxia luminibus spicula condat apis.
Fixus & in duris carparis viscera saxis,
Vt cui Pyrrha sui filia fratris erat.

COMMENTARIVS.

Batti Cyrenes conditoris historia. Ouidij luculenta expositio, reiecta Sanctij coniectura. Achæus Poëta spiculis apum acie oculorum priuatus.

VERS. 541. COGNITOR *vt tardè.* Paulo Leopardo assentior qui *lib. 3. emendatio*

emendationum, cap. 12. primus hunc locum restituit, & de Batto Cyrenes conditore interpretatus est, de quo Iustini verba Commentarij vice referenda sunt ex lib. 13. *Cyrene autem condita fuit ab Aristæo, cui nomen Battus, propter linguæ obligationem fuit. Huius pater Cirnus Rex Theræ Insulæ cum ad oraculum Delphos propter dedecus, adolescentis filij nondum loquentis Deum deprecaturus venisset, responsum accepit quo iubebatur filius Battus Africam petere, & vrbem Cyrenem condere, vsum linguæ ibi accepturus. Cum responsum ludibrio simile videretur, propter solitudinem Theræ Insulæ, ex quâ coloni ad vrbem condendam in Africam tam vastæ regionis proficisci iubebantur, res omissa est. Interiecto deinde tempore velut contumaces pestilentia Deo parere compelluntur, quorum tam insignis paucitas fuit, vt vix vnam nauem complerent. Cum venissent in Africam pulsis accolis montem Cyran, & propter amœnitatem loci, & propter fontis vbertatem occupauere. Ibi Battus Dux eorum linguæ nodis solutis loqui primum cœpit, quæ res animos eorum ex promissis Dei iam parte percepta, in reliquam spem condendæ vrbis accendit. Positis igitur castris opinionem veteris fabulæ accipiunt, Cyrenem eximiæ pulcritudinis virginem à Thessaliæ monte Pelio ab Apolline raptam, perlatámque in eiusdem montis iuga, cuius collem occupauerant à Deo repletam quatuor pueros peperisse, Nomium Aristæum, Authocum Argæum: Missos à patre Speo Rege Thessaliæ qui perquirerent virginem, loci amœnitate captos in iisdem terris cum virgine resedisse. Ex his pueris*

tres adultos in Theſſaliam reuerſos auita Regna cepiſſe, Ariſtæum in Arcadia latè regnaſſe, eúmque primum & apium & meſſis vſum, & lactis ad coagula nominibus tradidiſſe, ſolſtitialéſque ortus ſideris primum inueniſſe. Quibus auditis, Battus virginis nomine ex reſponſis agnito vrbem, Cyrenem condidit. Ex his patet cur Ariſtæus propter obligationem linguæ Battus, ſiue Blæſus, cognominatus Cyram montem in Africa, vbi Cyrenem conditurus erat, tardè cognouerit. Quod Iuſtinus expreſſit illis verbis, *Interiecto deinde tempore.* Sed Ouidius addit, Battum varia orbis loca peragraſſe, antequam oraculo ſatisfactum eſſet; neque enim vbi terrarum eſſet Africa gnarus erat, vt ſcriptum reliquit Herodotus *lib.*4. vbi hanc Coloniæ deductionem operosè proſequitur. Sic autem malo Naſonem interpretari, quam cum Sanctio legere, *Cognitor vt tardæ Blæſus cognomine Myrrhæ.* Vt per tardam Myrrham intelligatur Silphium, Hiſpanis *Beniui* dictum, quod nimirum tardè creſcit, cuiuſque Battus ditiſſimus fuit, vnde prouerbium, *Batti Silphium.* Hiſtoriam Batti præter Herodotum & Iuſtinum prodidit Callimachus ab eodem oriundus *Hymno in Apollinem*, qui Battum non Ariſtæum, ſed Ariſtotelem vocat, quomodo etiam Pindarus *S. Pythiorum.* Heraclides περὶ πολιτειῶν nominant. Ipſe verò deducta iam Cyrene Colonia vocis medelam reperit hoc modo. Dum Cyrenæi in extrema Africæ deſerta excurrunt, leonem Battus conſpexit. Re improuiſa territus ma-

gnum

gnum & clarum necessitate cogente sustulit clamorem, vt memoriæ prodidit Pausanias *in Atticis.*

VERS. 543. *Inque tuis opifex.* Homerum frustrà Domitius intelligit de Achæo Poëta vetus Interpres exponit, cuius per hortum ambulantis capiti examen apum insedit, quod cum expellere vellet, earum aculeis acie oculorum priuatus dicitur. Eodem certè nomine Tragici duo Poëtæ memorantur, vnus Eretriensis Sophocle paulò iunior, cuius meminerunt Athenæus, Laërtius, Suidas. Alter Syracusius fuit, qui decem Tragœdias scripsit, vt ab eodem Suida proditum est, vt vero quidem simile videtur, hunc vel illum à Nasone significari.

VERS. 545. *Fixus & induris.* Prometheus, qui fratrem habuit Epimetheum, ex quo Pyrrha nata. De eodem iam facta mentio ad *versum* 293.

Vt puer Harpalyces referas exempla Thyestæ,
Inque tui cæsus viscera patris eas.
Trunca geras sæuo mutilatus partibus ensem,
Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.
Vique Syracosio præstricta fauce Poëta, 545
Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.

COMMENTARIVS.

Harpagum & Clymenum proprios filios comediſſe. Ouidius eleganter emendatus & expoſitus. Mamertes fruſtratim diſcerptus. Theocritum ſiue quempiam alium Syracuſium Poëtam laqueo vitam finiiſſe. Improbata Alciati & Valerij interpretatio.

VERS. 541. VT *puer Harpalyces.* Domitius Calderinus cui familiare eſt quidquid obuium eſt arripere, legebat *Harpiages*, & de Harpiage neſcio quo Thyeſtæ filio fictitiam quandam fabulam proponebat. Verum Zarottus, Egnatius, Micyllus, Sanctius, Valerius, vt & Laurentius Abſtemius *variarum annotationum*, *cap.* 4. ſcribendum contendunt, *Harpagides*, vt Harpagi filius intelligatur, quem Aſtyages Medorum Rex in vltionem ſeruati Cyri nepotis interfecit, & patri epulandum appoſuit, vt Herodotus narrat *lib.* 1. his verbis: Ἀσυάγης ὦ ὡς οἱ ἀπίκετο ὁ Ἅρπαγος πάις σφάξας αὐτὸν κὴ κρύψας μέλεα θηρίων, τὰ μὲν ὤπτησε, τὰ δὲ ἕψησε τῶ κρεῶν εὐτυκτα ὦ ποιησάμενος εἶχεν ἑτοῖμα, ἔπειτα δὲ ὁ ὥρης γενομένης τῆ δείπνου παρῆσαν οἱ τε ἄλλοι δαιτυμόνες κὴ ὁ Ἅρπαγος: πίσι μὲν ἄλλοισι κὴ αὐτῶ

ἐν ἀυτῷ Ἀστυάγει παρεσκεύαστο τράπεζα ὁπλέα μηλίων κρεῶν, Ἁρπάγῳ δὲ τῷ ἑαυτῆ παιδὸς, πλὴν τῆς κεφαλῆς τε καὶ ἄκρων χειρῶν τε καὶ ποδῶν, τ' ἄλλα πάντα ταῦτα δὲ χωρὶς ἔκειτο ὁκοῖ κανέῳ κατακεκαλυμμένα. Ita vertit Laurentius Valla, *Eius porro filium vbi aduenit Astyages iugulatum, & in frusta conciſum partim torruit partim elixauit, & probè conditum, paratum habuit. Dehinc ſub horam cœnæ poſtquam adfuerunt cum cæteri conuiuæ, tum verò Harpagus conuiuis quidem aliis atque ipſi Astyagi menſæ appoſita ſunt, Quilla referta carne. Harpago autem præter caput & manus extremas, & pedes reliquis filij ſui partibus, nam illa in Caniſtro operta ſeparatim ſepoſita erant.* Idem prodit Iuſtinus *lib* 1. Sed nos San-Victoriani Codicis lectionem ſecuti edendum curauimus *Harpalyces*, à qua veteres quædam editiones non longè aberrant, Harpalyces enim filius à patre Clymeno conſumptus intelligitur, de quo ſic Higynus fab.206. *Clymenus Schœnei filius Rex Arcadiæ amore captus, cum Harpalice filia concubuit. Ea cum peperiſſet in epulis filium appoſuit patri. Clymenus pater re cognita Harpalycen interfecit.* Quod etiam repetit *fab.*238. 239. 242. 246. 253. 255. Appoſitè ad mentem Ouidij, qui Thyeſtis & Clymeni fabulas contulit; vterque nimirum, filium in epulis conſumpſit, vterque filiam compreſſit. Et vero ſatius eſt fabulam fabulæ iungi, quam hiſtoriam. Hîc autem *puer Harpalyces* pro filio, Græcorum more vſurpatur, vt verſu 485. *Quam puer Hypſipyles*, apud Virgilium Ecloga 8. *Crudelis*

mater magis, an puer improbus ille. Et centies apud Horatium. Quapropter hanc esse Nasonis manum istos oculos tangere paratus sum.

VERS. 549. *Truncа geras sæuo.* Mamertes, vnde Mamertini Siciliæ populi appellantur, oppidum ædificasse traditur. Inde oborta de regno lite, à fratre membratim laceratus est. Ita vetus Interpres. Alij scribunt Mamertem, quod Regni cupiditate fratris filium enecasset, à Sysaphone fratre frustatim discerptum, vtrumque sine authore. Quædam exemplaria pro *Mamertis* habent *Mycerni.*

VERS. 545. *Vtque Syracosio.* Theocritum Syracusium vetus Interpres intelligit, *qui cum in Hieronis Tyranni filium inuectus esset, ab eo ideo est capi iussus, vt eum ad supplicium trahi simularet, interrogatus si deinceps à maledictis desisteret, ille eo acrius etiam Regi ipsi maledicere cœpit, quare indignatus, non iam ad simulatum, sed ad certum supplicium rapi iussit; quidam laqueo strangulatum, quidam capite cæsum prodidere.* Sed quia sine authore, putabat Andreas Alciatus Theocrito notam inustam, quamobrem hunc locum sic interpretatur lib. 9. cap. 24. Parergon iuris. *Hic vero ego celeberrimi hominis Poëtæ Theocrito Syracusio aduersus Ouidianos Interpretes succurram, qui eum tam atroci iniuria affecerunt, vt suspendio perisse affirmarent, ex carmine illo vtque Syracosio &c. Nemo certè veterum authorum extat, qui hoc mortis genere periisse Theocritum scribat. At quin & aly fuere ex ea vrbe illustres carminibus factitandis*

tandis viri, vt Heraclides, Nymphodorus, Theodoridas, Bion, Moschus, Sophren, Sosicles, Sosiphanes, Epicharmus, Phormus, Cursoli Theocrito hanc notam inurunt. Satius ergo erit ita opinari, vt alluserit Ouidius ad eum amatorem qui apud Theocritum Idyllio. 28. seipsum amore dilecti pueri suspendit, hoc sibi prius condito Epitaphio.

Τοῦτον ἔρως ἔκτεινεν ὁδοιπόρε μὴ παροδεύσῃς
Ἀλλά σὰς τὸ δὲ λέξον, ἀπωλέσα ἔσχον ἑταῖρον
Hunc extinxit amor, ne transgrediare viator,
Sed siste & dicas heu durum nacte sodalem.

Acutè quidem ille more suo, sed vt opinor, præter Ouidij mentem. Neque magis placet Valerij sententia locum hunc de Empedocle Philosopho & Poëta insigni capientis, quem Democritus Trœzenius apud Laërtium *lib.* 8. præstrictis faucibus interiisse prodidit. Tum quod Empedocles Agrigentinus, non Syracusius fuerit, tum etiam quod eius interitus infrà tangitur ex magis recepta Scriptorum sententia vt notabimus ad *versum* 599.

Nudáque derepta pateant tua viscera pelle,
Vt Phrygium cuius nomina flumen habet.
Saxifica videas infelix ora Medusæ,
Cephenûm multos quæ dedit vna neci.

COMMENTARIVS.

Marſyas pelle ſpoliatus. Alexander ab Alexandro ab Andreæ Tiraquelli reprehenſione defenſus. Marſyæ ſtatua in foro Romano. Amnis Marſya liquidiſſimus. Deripere. Ouidius & Iuſtinus emendati.

VERS. 253. NVDAQVE *derepta.* Nota Marſyæ fabula, tibiarum cantu ab Apolline prouocato ſuperari & pelle nudati, à quo *Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.* Ex Ouidio *lib.6. Metamorph.* item *lib.6. Faſtor.* Apollodoro *lib.1.* Diodoro, Higyno, Nomno Palæphato & aliis. Hinc *Marſyæ mors* prouerbio ceſſit, de ſæuiſſimo genere mortis, Iniuria vero Andreas Tiraquellus alioqui doctiſſimus, Alexandrum ab Alexandro reprehendit, quod is *lib.1. c.12. Genialium dierum*, Marſyæ pellem in Foro Celænarum appenſam fuiſſe ſcripſerit. Id enim Polyhiſtor ille Neapolitanus accepit, licet ſubticeat quod illi ſolemne eſt, ab Herodoto Polyhymnia cuius verba ſunt de Cælenis vrbe loquentis: Ἐν τῇ καὶ ὁ τοῦ Σιλήνου Μαρσύεω ἀσκὸς ἐν τῇ πόλι ἀνακρέαται ὑπὸ φρυγῶν λόγος ἔχει ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐνδαρέντα ἀνακρεμασθῆναι. *In qua vrbe & in quo foro*

foro visitur suspensa Sileni Marsya pellis in vtrem formata, quam a Phrygibus fertur Apollo illi detractam suspendisse. Eius statua in foro Romano posita erat, vt eius aspectu temerè litigantes deterrerentur, de qua Horatius *Sat.6. lib.1. obeundus Marsya.* Martialis *Epigr.64. lib.2.*

——Fora litibus omnia feruent,
Ipse potest fieri Marsya Causidicus.

Sidonius *carmine* 13.

Marsiaque timet manum & rudentem,
Qui Phœbi ex odio vetustiore
Nunc suspendia Vatibus minatur.

Meminit etiam Plinius *lib.21.* & Seneca *lib.6. de beneficiis*, sed & idem Plinius Aulocrenem Vallem fuisse scribit, sic appellatam à rei euentu, à tibiis videlicet in fontem iactis, qua Valle in Phrygiam iretur, vbi & Platanus per ea tempora ostenderetur, ex qua Marsyas ab Apolline victus pependisset. Plura de Marsya L. Giraldus *Dialogo 9. de Poëtarum historia*, & Salmasius *in Plinianis exercitationibus, pag.83.* Fluuius autem Marsyas qualis esset cum alij, tum maximè Q. Curtius enarrat *lib.3.* qui primus est eorum qui supersunt. Cum enim Alexandrum Celænis exercitum promouisse prodidisset subiunxit: *Media illa tempestate mœnia interfluebat Marsya amnis fabulosis Græcorum carminibus inclytus. Fons eius ex summo montis cacumine in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit. Inde diffusus circumiectos irrigat campos, liquidus & suas duntaxat vndas trahens. Itaque color eius placido mari similis locum Poëtarum mendacio fecit.*

fecit. Quippe traditum est Nymphas amore amnis retentas illa rupe considere. Ex his patet cur Nasoni dicatur *lib.6. Metamorph. liquidissimus amnis.* Cæterum pro *direpta*, quod in omnibus editionibus legitur rescripsi *derepta.* Aliud enim est *diripere* aliud *deripere*, quemadmodum obseruauit Obertus Gifanius in Indice Lucretiano. Illudque verbum moneo restituendum apud Ouidium nostrum *libro memorato Metamorph.* vbi de Marsya.

Clamanti cutis est summos direpta per artus.

Item apud Iustinum initio *lib.*4. vbi sic: *Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ adhæsisse, direptámque velut à corpore.* Quibus locis omnino legendum *derepta & dereptam.*

VERS.555. *Saxificæ videas.* Quemadmodum Perseus obiecto Medusæ capite Cephenos in saxa conuerterit, fusè prosequitur Ouidius *lib.*5. *Metamorph.* cuius est initium.

Dúmque ea Cephenûm medio Danaeius Heros
Agmine commemorat.

Sunt autem Cepheni Asiæ minoris populi, vel vt alij volunt, Æthiopiæ. Saxificam autem Medusam vocat, vt Lycophron μαρμαρώπιδα γαλεῶ.

Potniadum morsus subeas vt Glaucus equarum,
Inque maris salias Glaucus vt alter aquas.
Vtque duobus idem dictis modo nomen habenti,
Præfocent animæ Gnosia mella viam.

COMMENTARIVS.

Glauci tres, eorúmque interitus. Gnosus Minois Regia, nunc Pagus obscurus.

VERS. 557. POTNIA DVM *morsus.* His quatuor versibus trium Glaucorum interitus notatur. Primus Sisyphi filius è Potniis Bœotiæ vrbe ab equabus discerptus est, de quo Virgilius *lib.* 3. *Georgicon.*

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.

Ad quem locum Seruius scribit, Glaucum sacra Veneris spreuisse, iratam Deam equas concitasse in Glaucum, quibus ipse in curru vtebatur: illas iuxta vrbem Potnias Glaucum morsibus laniasse. Aliter Iulius Phylargirius in hunc modum. *Glaucus Sisyphi filius, cum ad minicum certamen quadrigam duceret, adplicuit ad vicum Bœotiæ, & equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, vnde qui bibissent, in furorem agi solebat. Itaque illum equæ furore exagitante in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur.* Aliter item Probus. Sed & Pausanias in Eliacis posterioribus tradit in Isthmo Taraxippum esse, qui Glaucus fuit Sisyphi filius ab equabus discerptus, ludis funebribus quos patri

patri suo fecit Acastus. Meminit & Glauci Potnienſis Strabo *lib.9.* Palæphatus ἐν ἀπίστοις. Eustathius *in Homerum*, Euripidis Scholiastes enarrans illud ex Oreste. Ποτνιάδες ἵπποι. Quin etiam Æschylus duas diuersas Tragœdias scripsit, quarum vtrique titulum fecit *Glaucus*, sed patriæ adiectione distinguebantur. Altera enim *Glaucus Potnienſis*, altera *Glaucus Anthedonius* inscripta erat. Addo ex Pausania in Bœoticis, puteum ostendi Potniis, è quo potantes equæ in furorem præcipites agantur.

Vers.558. *Inque maris ſalias.* Fuit hic piscator Anthedonius, qui cum pisces captos supra littus explicuisset, illi subito contacta quadem herba se colligentes in mare prosilierunt; admiratus Glaucus illius herbæ vim, quum & ipse degustasset, pisces sequutus in aquam insiluit, & diuinitatem adeptus est. Quam fabulam copiosè prosequitur Ouidius *lib.13. Metamorph.* cui ferè consentanea tradunt Pausanias *in Bœoticis*, Philostratus *in imaginibus*, Oppianus *in Halieutico*, Apollonij Scholiastes *in lib.1.* Tzetzes *in Lycophronem*, Eustathius *in Iliad. β.* Quidam in Balænam transformatum crediderunt, vt proditur à Strabone *lib.9.* Allegoricè vero fabulam exponit Palæphatus ἐν ἀπίστοις. Sed & Mnaseas apud Athenæum *lib.7.* Glaucum rei Nauticæ peritum & insignem vrinatorem fuisse tradit, & ex eo Pontium appellari.

Vers.559. *Vtque duobus idem.* Glaucus hic Minois Cretensium Regis filius fuit, qui cum puer

puer esset & murem insequeretur, in mellis dolium delapsus interiit; Minos quo amissum filium reperiret, cum diu multúmque quæsiisset, scisciatum oracula misit. Curet ei illi tricolorem inter armenta bouem esse retulerunt, cuius simulacrum qui optimè effingere posset, ab eo filium in vitam reuocatum iri. Accersitis igitur vndecunque Vatibus, Polyidus Cœrani filius rubi fructui colori bouem assimilauit, & puerum vestigare coactus, vaticinij cuiusdam adiumento tandem reperit. At cum Minos eum sibi viuum reddi oportere dictitaret, Polydus cum pueri cadauere includitur, cumque in summa consilij inopia versaretur, draconem ad præmortui pueri corpus pro serpentem vidit. Hunc lapide percussum, veritus ne idem ipse pateretur, occidit. Interea serpens alius aduenit, ac priorem interemptum conspicatus retro abiit, mox herbam ferens redit, eáque super toto draconis occisi corpore imposita, illum in vitam reuocauit. Id cum Polyidus summa cum admiratione conspexisset, eandem herbam illatam Glauci cadaueri admouit, atque illico mortuum suscitauit. Sed enim Minos Polyidum Argos remeare non permisit, nisi prius Glaucum vaticinandi artem edoceat. Polyidus coactus edocet, atque in patriam reuersurus, iamque vela faciens Glaucum in os suum inspuere iubet, quo facto Glaucum vaticinandi obliuio subiit. Sic Apollodorus *lib.3. Bibliothecæ*, & Isacius Tzetzes *in Lycophronem*. Nonnihil euariat Higynus *fab.136*. Meminerunt

item Æneas Gazæus *in Theophrasto*, Pindari Scholiastes *in Olympiis*, Claudianus *lib. de bello Getico*, in his.

Cretáque, si verè narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulcro,
Quem senior Vates auium clangore repertum
Gramine restituit: mirâ nam munere sortis
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

Allegoricè fabulam enarrat Palæphatus ἐν ἀπίστοις. Dixit autem Naso, *Gnosia mella*, quia Gnosus in Creta Minois Regia fuit, nunc pagus est obscurus alio nomine. Hîc porrò notare licet locutionem satis insolentem, nimirum *idem nomen dictis habere*, pro simile nomen illis duobus, quos priore disticho nominauit, Glauco scilicet.

Sollicitóque bibas, Anyti doctissimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi, si quid amas, felicius Hemone cedat,
Vtque sua Macareus sic potiare tua.
Et videas, quod iam cum flammæ cuncta tenerent,
Hectoreus patriæ vidit ab arce puer.

COMMENTARIVS.

Mors Socratis. Philosophi peculiari appellatione doctissimi dicti. Hæmonis & Macarei amores infelices. Distichon Ouidio assertum.

VERS. 561. *SOLLICITOQVE bibas.* Socrates intelligitur ab Anyto, Melitone, & Lycone accusatus, quamobrem *Anyti reus* à Nasone dicitur. Item ab Horatio *Satyra* 4. *lib.* 2.

——*qualia vincunt*
Pythagoran Anytique reum, doctúmq; Platona.

Nota vero mors Socratis haustu Cicutæ, quem Ouidius *doctissimum* vocat, non quod sapientissimus hominum iudicatus esset oraculo Pythiæ, sed quod omnes Philosophi peculiari quadam appellatione doctissimi nuncuparentur. Sic enim Tullius lib. 3. de Oratore, *Cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiunt.* Idem oratione pro Rabirio *doctissimum Platonem* dixit. Iterum lib. 1. de legibus, *Igitur doctissimis viris proficisci placuit à lege*, & lib. 2. *Siquidem & illud bene dictum est à Pythagora doctissimo viro.* Rursus lib. 3. *Faciam Attice vt vis, & locum istum totum, vt a doctissimis Græciæ quæsitúmque disputatúmque est explicabo.*

VERS. 563. *Nec tibi si quid amas.* Hæmon

Creontis Thebanorum Regis filius Antigonem Oedipi & Iocastæ filiam sibi desponsam, tam impotenti amore deperiit, vt ad mortuæ tumulum sese interfecerit. Hanc enim damnatam quod spreto edicto Polynicem fratrem sepulturæ mandasset in vacuo monumento Creon includi iusserat, vbi inedia contabesceret; quam mortis calamitatem suspendio ipsa anteuertit. Ex Sophoclis Antigone, quò pertinet illud Propertij *lib.2. Eleg.9.*

Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus.

Euripidis Scholiastes rem aliter narrat.

VERS.564. *Vtque sua Macareus.* Macareus Æoli filius Canace sororem turpiter amauit. Conceptus infans rem prodidit: Canace accepto à patre gladio flagitium nece sua vlta est, quod etiam Macareus fecit. Author Plutarchus ex Sostrato. Videndus *versus* 359.

VERS.565. *Et videas quod iam.* Franciscus Sanctius hoc distichon non esse Ouidianum suspicatur, sed è margine in contextum irrepsisse, quod de Astyanacte è turre præcipitato iam ante *versu* 498. dictum sit, *Insulsum*, inquiens, *distichon & nullius imprecationis nec salis.* Sed absit vt ego ipsum obelo confodiam. Omnes enim quotquot excusi sunt libri duos illos versus agnoscunt. Zarottus, Domitius, atque ipse vetus interpres enarrant; denique in vetustissimo Costice San-Victoriano leguntur. Vnde γνησίους παῦσας Nasonis esse non dubito. Cuius mens est, vt Ibis Astyanactis instar parentes

rentes obtruncari, totámque patriam ferro & flammis deuastari videat, vt se vidisse queritur Andromache in his Ennij versibus apud Ciceronem pluribus locis Tusculanarum quæstionum, & *lib. de Oratore.*

O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altisono Cardine templum;
Vidi ego te adstante ope Barbarica,
Tectis celatis, laqueatis,
Auro, ebore instructum regificè;
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

Quæ omnia vidit Astyanax siue Scamandrius Hectoris & Andromachæ filius, ex ea turre vnde præceps missus est, ne quid reliquiarum superesset, quod excidium Trojanum aliquando vltum iret, vt Ouidius ipse retulit *versu* 498. & *lib.* 13. *Metamorph.* Euripides *Andromache*, & *Troadibus*, Seneca *Troade*, *Actu* 5. Libanius *in Hectoris vituperio*, Ausonius *in eius Epitaphio*, Pausanias *in Phocicis*, vbi ex Lescheo tradit, non Græcorum decreto in Astyanacta sæuitum esse, sed priuato Neoptolemi odio, qui sibi eius necem depoposcerat. Eius Leschei siue Leschæ, qui μικρὰν Ἰλιάδα scripsit, carmina de Astyanacte adducuntur ab Isacio Tzetze *in Lycophronis Alexandram.*

Sanguine probra luas, vt auo genitore creatus,
Per facinus soror est cui sua facta parens.
Ossibus inque tuis teli genus hæreat illud,
Traditur Icariy quo cecidisse gener.
Vtque loquax in equo est elisus guttur acerno,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.

COMMENTARIVS.

Adonin parentum probra sanguine luisse. Varia de morte Vlyssis. Pastinaca marinæ aculeus venenosus. Socer Vlyssis à Cephalenibus non Icarius. Sed Icadius dictus. Politiano assensum in Ouidiani loci explanatione, contra Baptistam Pium, & Baptistam Egnatium. Anticlus ab Vlysse suffocatus. Equus Durateus.

VERS. 567. SANGVINE *probra luas.* Adonis ex incesto Cinyræ patris, & Myrrhæ sororis concubitu natus. Quo flagitio idem fuit auus, qui genitor, eadem mater quæ soror. Is parentum probra sanguine

sanguine luit ab apro laceratus, vt dictum est ad *versum* 505.

VERS. 569. *Ossibus inque tuis.* Vlysses Icarij gener, de cuius morte, cum varij varia prodant, Ouidius eos sequitur, qui telo, cui venenosus pastinacæ marinæ aculeus præfixus esset, à Telegono ex Circe filio imprudenter occisum narrant. Cum is Ithacam venisset, vt patrem viseret. Ita Nicander *in Theriacis*, vbi de Pastinacis. Lycophron *in Cassandra*, qui tamen euariat. Euripides *in Rhœso extremo*, Oppianus *lib.* 2. *Halieuticon. versu* 497. Sextus Empyricus *lib.* 1. *aduersus Mathematicos, cap.* 16. Parthenius *lib.* 3. *Eroticon.* Dyctis Cretensis *lib.* 6. Didymus, & Eustathius ad *Odyss.* λ. Aristophanis Interpres *in Pluto*, Proclus *in Chrestomathia*, citatur & Sophoclis Tragœdia, quæ inscripta erat Ὀδυσσεὺς ἀνασθοπλὴξ, quod spina ictus materiam dederit scribendæ Tragœdiæ. Hinc Horatius *lib.* 3. *carminum, Ode* 29. de Tusculo à Telegono condito, *Telegoni iuga parricidæ.* Est autem Pastinaca, quæ τευγὼν Græcis, θαλάσσιον θηρίον φονευτικὸν, vt ait Nicandri Scholiastes. De qua pariter Hesychius τευγὼν ἰχθὺς θαλάσσιος ἧς τὸ κέντρον δηλητήριον. Idem traditur ab Antigono *libro* ἱστοριῶν παραδόξων, & ex eodem Antigono Stephanus *in* γύαρος. Quibus addo Philen in Hexaëmero. Quod autem ipsi κέντρον dicunt, Ouidius *telum* vocauit. Nec omiserim quod Lucianus ait, ἐν ποδαγροπαίδαις Vlyssem podagra obiisse, ioculariter opinor: nam idem *lib.* 2. *Verarum Historiarum*, à Telegono interfectum

fectum refert. Videndi præterea Ptolomæus Epheſtion *lib.*4. & Euſtathius *in Homerum loco citato* de Vlyſſis interitu.

VERS.570. *Traditur Icarij.* Cum plerique Homerum ſecuti patrem Penelopes Icarium appellarint,& Laconem crediderint, Cephalenes illum ſibi vindicare & Icadium, non Icarium nominare prodidit Ariſtoteles *lib.*1.*de Poëtica.* Suut etiam qui ipſum Icarum vocant. In his Stephanus *in* Ἀλύζεια; quo loco Claudius Bachetus Mezeriacus vir eruditus, in Commentariis vernaculis ad Epiſtolas Ouidianas *pag.*25.pro Ἰκάρε corrigendum cenſet Ἰκαρίε.Sed ego vulgatam ſcripturam non muto. Nam & pater Erigones,qui à pleriſque *Icarius* appellatur ab Ouidio tamen *verſu* 613. huius Poëmatij, Propertio, Tibullo, Icarus nominatur. Ita pater Atalantæ, quem Callimachus & Higynus Iaſium vocant,ab Apollodoro, Scholiaſte Euripidis, & Lutatio veteri Papinij enarratore Iaſus nuncupatur. Eundem Ælianus & Apollonij Scholiaſtes, Iaſiona vocant, quamuis apud iſtum perperam Ἰάσονα legatur.Ita Tyndareus, ab aliis Tyndarus dicitur. Sic & Tiberinus Albanorum Rex, à nonnullis *Tiberius* nominatur.

VERS.571. *Vtque loquax in equo eſt.* Antidus proculdubio intelligendus ex luculenta, vt mihi quidem videtur, Angeli Politiani emendatione *in Miſcellaneis*, *cap.*75. quam aduerſus Baptiſtas duos, Pium nempe Bononienſem, & Egnatium Venetum defendunt Paulus Leo-

pardus

pardus *emendationum*, *lib.*19. *cap.*1. & Iacobus Nicolaus Loënsis *Miscellaneorum Epiphillidum*, *lib.*7. *cap.*5. nam cum ad equum illum Trojanum trabibus contextum grauidúmque militibus impulsu numinis accessit Helena, voces imitari vxorum cuiusque occœpit, vt inibi delitescentium desideria euocaret,& responsa eliceret. Sed enim reliquis patientiam,silentiúmque præstantibus, cum solus Anticlus in respondendi lubrico articulo quo foret, statim est ab Vlysse præuentus,& manibus impressis suffocatus, vt est apud Homerum *lib.*4. *Odyss.* & latius apud Tryphiodorum *Poëmate de Ilio capta*, qui & Anticlum hunc Ortygidem vocat, vxorémque eius Laodamiam nominat.

In equo est elisus guttur acerno. Habebat opinor ob oculos hunc Virgilij locum *libro* 2. *Æneid.*

Præcipuè cum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus.

Non quod equus ille Durateus ex acere solo fabricatus esset; Virgilius enim nunc abiegnum facit, vt & Propertius *Eleg.*1. *lib.*3. & *Eleg.*1. *lib.*4. modo pineum, interdum ex robore contextum, vt & Petronius, imo Pausanias *in Laconicis* cornum in eius fabrica adhibitam prodidit, vnde nomen Apollini Carneo.

Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta,
Iactáque pro solidis frugibus ossa sonent.

575 *Vtque patrem Psamathes condat te Phœbus in ima*
Tartara, quod nata fecerat ipse sua.
Inque tuos ea pestis eat, quam dextra Choræbi
Vicit, opem miseris Argolicisque tulit.

COMMENTARIVS.

Anaxarchus in pila contusus. Vsum molarum apud veteres non fuisse. Mylas earum inuentor. Solidæ fruges quid. Crotopi & Psamathes interitus. Monstrum à Choræbo profligatum. Pestis pro pestilentia, reiecta quorumdam scrupulosa obseruatione.

VERS. 573. *VT vt Anaxarchus.* Anaxarchus Abderites infensum habens Nicocreontem Cypri Tyrannum ab eo comprehensus, & in pilam coniectus est, ibíque ferreis pistillis contusus adeo patienter aspertimos illos cruciatus pertulit, vt dictum illud memorabile ingeminaret, tunde tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum non tundis. Ad vltimum amputationem linguæ minitante Tyranno, protinus abscisſam dentibus & commanducatam in os eius ira patens expuit. Ex Diogene Laërtio in Anaxarchi vita. Plutarcho de

de virtute morali. Clemente Alexandrino *Stromatum lib.* 4. Celso apud Origenem *lib.* 7. Philone Iudæo, Gregorio Nazianzeno *Epist.* 58. Ex Latinis Valerio Maximo *lib.* 3. *cap.* 3. Plinio *lib.* 7. *cap.* 23. Tertulliano *in Apologetico.* Quod etiam Tullius obiter tangit *lib.* 3 *de natura Deorum.* Item *lib.* 2. *Tusculan. quæst.* Obseruauit autem Paulus Leopardus *emendationum, lib.* 18. *cap.* 7. hoc loco *solidis* legendum pro *solitis*, vt per solidas fruges intelligantur ἀπεράμονες & αὐτίπυροι, id est, immites ac duræ.

Pila minuaris in alta. Quia apud maiores nostros, molarum non erat vsus, vt ait Seruius *in lib.* 1. *Æneid.* frumenta torrebant, & in pilas missa pinsebant, vnde & pinsores dicti qui nunc pistores vocantur. Quod etiam Naso tradit *lib.* 6. *Fastor.*

Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali sunt stata sacra Dea.

Hinc fornacarius seruus pro pistrinario apud Vlpianum *in l.* 81. §. *si fornacarius, ff. ad legem Aquiliam*, vt rectè mea quidem sententia Budæus emendauit, & fornacator *in l. continetur*, 14. *ff. de instr. vel instrum. leg.* Quin etiam Dea Fornax ob hanc causam colebatur, & fornacalia sacra 21. Kal. Mart. celebrabantur, de quibus Ouidius *iisdem Fastorum libris.*

Facta Dea est Fornax, lati Fornace coloni
Orant, vt vires temperet illa suas.
Curio legitimis tum Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.

Eiusdem meminit Lactantius, vt & Fornacaliorum

liorum Festus his verbis: *Fornacalia feria instituta sunt farris torrendi gratia, quod ad fornacem quæ in pistrinis erat sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.* Porrò sacra etiam in honorem vestæ instituta sunt, quod farra solummodo in furnis vestæ, hoc est, ignis beneficio torreri consuessent. Tandem molarum vsus à Myleta siue Mylante repertus est, vt Pausanias author est *in Laconicis*, & Stephanus *in* Μυλαντία. Ac primum iumentorum vel seruorum opera circumagebantur; vnde pistrinum pro opere & munere ingentis laboris, molestiæ ac negotij pleno vsurpatur. Deinde molarum aquariarum vsus excogitatus est, de quo dubium est, an veteribus etiam Romanis cognitus fuerit. Procopius enim tradit Belizarium Iustiniani Ducem Romæ à Gothis obsessæ rationem inuenisse, vt molæ aqua agitatæ frumentum comminuerent. At iam earum meminerat Imperator Zeno *in l. decernimus, C. de Aqua-ductu lib.* 11. vbi eas *aquæ molas* appellat. Imo Plinius *lib.* 18. *cap.* 10. earum mentionem facit his verbis: *Maior pars Italiæ ruido vtitur pilo, rotis etiam quas aqua versat obiter & molat.* Vnde Vido Pancirolus *tit.* 22. *libri rerum recens inuentarum*, vsum earum aliquandiu intermissum, postea verò à Belisario renouatum existimat.

Vers. 575. *Vtque patrem Pfamathes.* Crotopum Argiuorum Regem, cuius filia Pfamathe Linum ex Apolline clam pepererat, quem negligentia pastorum apud quos educaretur

à cani

à canibus diſcerptum ſupra diximus ad *verſum* 482. Crotopus cognito filiæ partu ipſam morte affecit, vt canit Papinius *lib.* 1. *Thebaidos*, his verſibus

——— *Hic vero attonitas vt nuntius aures*
Matris adit, pulſi exanimo genitórque pudórque
Et metus, ipſa vltro ſæuis plangoribus amens
Tecta replet, vacuúmque ferens velamine pectus
Occurrit confeſſa patri; nec motus at atro
Imperat, infandum, cupientem occumbere letho.

Ouidius addit Phœbum de Crotopo ipſo pœnas exegiſſe: nam & Argiuis omnibus infenſum fuiſſe proximo diſticho videbimus.

VERS. 577. *Inque tuos ea peſtis eat.* Pauſanias *in Atticis, pag.* 42. editionis VVechelianæ: Ἐπὶ Κροτώπου λέγουσιν ἐν Ἄργει βασιλεύοντος ψαμάθην τὴν Κροτώπου τεκεῖν παῖδα ἐξ Απόλλωνος ἐχομένην δὲ ἰσχυρῶς τοῦ πατρὸς δείματι τὴν παῖδα ἐκθεῖναι. Καὶ τὴν μὲν διαφθείρουσιν ἐπιτυχόντες ἐκ τῆς ἐς τὴν πόλιν πέμπει Ποινὴν ταύτην τοὺς παῖδας ἀπὸ τῶν μητέρων φάσιν ἁρπάζειν, ἐν ὃ Χόροιβος ἐς χάριν Αργείοις φονεύει τὴν Ποινήν. *Regnante Argis Crotopo, eius filiam Pſamathen tradunt puerum quem ex Apolline pepererat, vt patrem à quo ſibi plurimum metuebat celaret expoſuiſſe. Cumque ita accidiſſet vt à canibus Regij pecoris cuſtodibus dilaceraretur, Apollinem Argiuis diram quandam belluam immiſiſſe. Pœnam ipſi appellarunt, quæ è matrum gremiis infantes rapiebat: Monſtrum vero illud Chorœbum Argiuorum miſeria adductum confeciſſe.* Statius *lib.* 5. *Thebaidos*, hoc monſtrum graphicè deſcribit his verſibus, quos licet pluſculos,

quia

quia vice Commentarij sunt, hic adscribendos putaui.

Sero memor thalami mœstæ solatia matri
Phœbe paras, monstrum infandis Acheronte sub imo
Conceptum Eumenidum thalamis, cui Virginis ora
Pectoráque, æternum stridens à vertice surgit,
Et ferrugineam frontem discriminat anguis.
Hæc tam dira lues nocturno squalida passu
Illabi thalamis, animásque à stirpe recentes
Arripere altricum gremiis, morsúque cruento
Deuesci, & multum patrio pinguescere luctu.
Haud tulit armorum præstans animiq; Chorœbus,
Séque vltro lectis iuuenum, qui robore primi
Famam posthabita facilè extendere vita
Obtulit. Illa nouos ibat populata nepotes
Portarum in biuio; lateri duo corpora paruùm
Dependent, & iam vnca manus vitalibus hæret,
Ferratique vngues tenero sub corde repescunt.
Obuius huic latus omne virum stipante corona
It iuuenis, ferrúmque ingens sub pectore diro
Condidit, atque imas animæ mucrone coruſco
Scrutatus latebras, tandem sua monstra profundo
Reddit habere Ioui——

Ouidius *pestem* appellat, vt Statius *luem*, quod est exitium præsens, pernicies & calamitas certissima, quo nomine inferna monstra propriè dicuntur. Sic enim Ennius apud Ciceronem *lib.4. Academicarum quæstionum*, Virgilius *lib.7.* & Claudianus *lib.1. in Rufinum Furias* vocant, quemadmodum Græcis λοιμὸς Metaphoricè dicitur,

dicitur, pro eo quod est φθοροποιὸς, vt Hesychius exponit, siue φθορεὺς vt Suidas. Adeo vt Obertus Gifanius vir eruditus *in Indice Lucretiano*, existimet eos barbarizare, qui hac voce pro morbo quem veteres constanter pestilentiam vocant vtuntur, cui Casperius Geuartius *electorum, lib. 2. cap. 5.* & Fridericus Gronouius *Obseruationum, lib. 3. cap. 15.* assentiuntur. Sed non ego credulus illis. Ennius enim qui teste Cicerone *lib. de Oratore*, non discedit à communi more verborum, hanc vocem pro pestilentia siue pestilitate, vt Lucilius & Lucretius loquuntur, vsurpauit hoc versu apud Priscianum *lib. 9.*

Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis,

Et Horatius, idoneus latinitatis Author, *Ode 21. lib. 1.* vbi de tribus illis horribilibus malis nempe bello, fame, & pestilentia.

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestémque à populo & Principe Cæsare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Iustinus etiam lib. 20. *Ob hæc cum peste & seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt.* Atque alij propè innumerabiles Latinæ linguæ authores. Hæc autem libenter à me vindicata sunt, quod studiosis consultum vellem, ne qua deinceps dubitatio, scribentes oratione astricta remoretur; soluta enim libentius *pestilentia* vterer.

Vtque

Vtque nepos Æthræ Veneris moribundus ob iram,
Exul ab attonitis excutiaris equis.
Propter opes magnas vt perdidit hospes alumnum,
Perdat ob exiguas te tuus hospes opes.

COMMENTARIVS.

Hippolytus ab Equis distractus, parique supplicio S. Hippolytus Martyr affectus. Ouidius nunc primum declaratus. Venerem in vniuersam Solis stirpem sæuisse. Polydorus ob magnas opes occisus.

VERS. 579. *VTQVE nepos Æthræ.* Hippolytus ex Theseo patre nepos Æthræ, qui dum Cœlibem vitam ducens sese venatu exerceret, & constanti animo mulieres sperneret, à Phædra nouerca patre absente turpiter amatus est, cuius desiderio cum obtemperare noluisset, reuerso patre nouerca sese ab eo interpellatam finxit: Theseus in furorem versus filium vrbe cum detestatione expulit. Ille conscenso curru fugam arripuit, sed cum

iuxta

iuxta littus proficiſceretur, equi horrendo phocæ è mari emergentis aſpectu conterriti, ipſum per ſcopulos & ſaxa raptarunt tanto impetu, vt compagibus diſſolutis infelicem iuuenem loris implicitum diſcerpſerint, adeo vt effuſis viſceribus nec artus artubus cohæſerint. Fabula ſiue hiſtoria nota ex Naſone *lib.* 15. *Metamorph.* item *lib.* 2. & 6. *Faſt.* Euripide & Seneca *in Hippolyto*, Virgilio *lib.* 7. *Æneid.* Higyno *fab.* 47. Diodoro Siculo *lib.* 5. Plutarcho *in Paralielis, hiſtor.* 34. Lactantio, qui fabulam ridet *lib.* 1. *diuinarum inſtitutionum*, *cap.* 17. Sed enim Trœzenij apud Pauſaniam *in Corinthiacis* negabant Hippolytum ab equis diſtractum eſſe, nec vllo in loco ſepulcrum illius extari affirmabant. Verum illi à Diis cum honorem habitum, vt in ſiderum numerum relatus, idem ipſe ſit, qui Auriga cœleſtis dicitur. Hippolyti verò nomen ductum eſt ab euentu; eſt enim ἵππος *equus* λύειν *ſoluor*, quod ridiculum putat Auſonius *Epigram.* 19. quaſi futura præſcierint, qui nomen indiderant, cum ſcribit in Meroën, anum ebrioſam.

Qui primus Meroe nomen tibi condidit, ille
Theſidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam diuinare eſt nomen componere, quod ſit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.

Nec omiſerim B. Hippolytum pro confeſſione fidei ſub Valeriano Imperatore, præter alia tormenta, pedibus ligatis ad Colla indomitorum equorum per ſentes & rubos miſerè diſtractum, Romæ Idibus Auguſti Martyrium

consummasse, quemadmodum Martyrologia testantur.

Quod sequitur *Veneris moribundus ob iram*, id vero negotium facessit. An Ouidius alludit ad vetus illud odium, quo Venus Solem & eius posteros prosequebatur, de quo sic Higynus fab. 148. *Soli autem Venus ob indicium ad progeniem eius semper fuit inimica.* Seruius *in Eclogam 6.* Virgilij *de Pasiphae* loquens, *Ob iram scilicet Veneris, quæ irata Soli, quod se, vt quidam volunt, Anchisæ, aut vt alij, Marti coniunctam prodidisset, sobolem eius inhonestis amoribus subiecit, vt Circen, Medeam, Pasiphaen.* Idem eadem scaibit ad *lib. 6. Æneid.* vt & Euripidis Scholiastes *in Hippolytum*, Valerius Flaccus *lib 6. Argonaut. de Venere.*

Sensit Diua dolos, iampridem sponte requirens
Colchida, & inuisi genus omne excindere Phœbi,
Tum vero optatis potitur——

Phædra ipsa apud Senecam *in Hippolyto*,

Stirpem perosa Solis inuisi Venus
Per nos catenas vindicat Martis sui,

Et de ipsa etiam nominatim Fulgentius lib. 2. Mytholog. *Venus enim cum Marte concubuit, quam Sol inueniens Vulcano prodidit. Ille adamante catenas affecit, ambósque religans, Diis turpiter iacentes ostendit. Illa dolens quinque filias Solis amore succendit, id est, Pasiphaën, Medeam, Phædram, Circen, Dircen.* Idémque produnt Nonnus *Dionysiac. lib. 33.* Eustathius *in 8. Iliad.* Quo pertinet illud Phædræ scribentis ad Hippolytum, apud Ouidium nostrum.

Forsitan

Forsitan hunc fato generis reddamus amorem,
Et Venus ex tota gente tributa petit.

Quamobrem Hippolytus ob indignationem Veneris periisse videtur, cum illa Phædram quercam in eius amorem stimularit, quæ ab eo repulsam passa præoccupatis Thesei auribus, crimen quod erat ipsius proprium, in illum transtulit. An Hippolytus ob iram Veneris interemptus dicitur, quod ab ipso Dea contemneretur, velut innuere videtur Ouidius *lib. 5. Fastorum.*

Hippolyte infelix velles coluisse Dionem,
Cum consternatis diripereris equis.

Idque fusius declarat Euripides *in Hippolyto coronato*, apud quem Diana indignè ferens honestissimi adolescentis interitum, cuius culpa omnis hærebat in Venere, minatur non impunè laturam: nam se quoque interfecturam aliquem, qui Veneri eximiè carus sit, vt ipsam pari dolore afficiat.

VERS. 581. *Propter opes magnas.* Per hospitem Polymnestor, per alumnum Polydorus intelligendi. Priamus enim Regni sui euersionem prospiciens, Polydorum ex Hecuba filium natu minimum ad Polymnestorem generum Thraciæ Regem clam educandum misit, cum magno auri pondere, vnde Trojanorum opes aliquando instaurarentur. Ille potiundi auri cupidus alumnum obtruncauit, vt videre est apud Euripidē *in Hecuba*, Virgiliū *lib. 3. Æneid.* Ouidiū nostrum *lib. 13. Metam.* qui iam ante mentionem fecerat *versu* 269. vbi de Polymnestoris occæcatione.

Vtque ferunt fratres sex cum Damasichtone cæsos,
Intereat tecum sic genus omne tuum.
Addidit vt Fidicen miseris sua funera natis
Sic tibi sint vitæ tædia iusta tuæ.
Vtque soror Pelopis saxo dureris oborto,
Et læsus lingua Battus ab ipse sua.
Aëra si misso vacuum iaculabere disco,
Quo puer Oebalides ictus ab orbe cadas.

COMMENTARIVS.

Amphionis domus calamitas. Battus in Silicem versus. Hyacinthi mors. Distichus.

VERS. 583. *VTQVE ferunt fratres.* Sequentibus quinque versibus vna eadémque fabula continetur. Niobe Amphionis Thebarum Regis vxor numerosa sobole, puta septem maribus, quorum vnus fuit Damasichton,& puellis totidem, eo vsque gloriabatur, vt non solum ausa esset Latonam in contentionem felicitatis prouocare, sed etiam contumeliis adeo lacessere, vt Apollo filios, Diana filias sagittis confecerint. Quam fabulam copiosè pertractat Ouidius *lib. 6. Metamorph.* Eámque commemorant Homerus *Iliad. ω.* Diodorus Siculus

Siculus *lib.4. Bibliothecæ*, Apollodorus *lib.3.* Ælianus *lib.12. cap.36. de varia historia*, Pausanias *in Bœoticis*,& *Corinthiacis*,Plutarchus *lib.de superstitione*, Libanius *duabus Ethopœiis*, Higynus *fab.9.*Aliique passim,quos inter de numero liberorum non conuenit.

VERS.585. *Addidit vt Fidicen.* Amphion simul ac didicit,quo pacto liberi miserandum in modum interiissent, vitæ pertæsus gladium sibi in viscera adegit, teste Ouidio ipso *lib.6. Metamorph.*

Nam pater Amphion ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolores.

Fidicen dicitur notâ fabulà,de quâ præter alios Horatius *in Arte Poëtica.*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

VERS.587. *Vtque soror Pelopis.* Niobe viso tot liberorum interitu, præ dolore in saxum obriguit, quod in Sipylum Phrygiæ montem per turbinem translatum, lacrymas hodiéque profundit, vt author est Ouidius *eodem libro Metamorph.* in his

——intra quoque viscera saxum est,
Flet tamen, & validi circundata turbine venti,
In patriam rapta est, vbi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

Quin etiam Pausanias *in Atticis*, scribit præruptam esse crepidinem in Sipylo, quæ, si propius existas, neque lugentis neque mulieris

ſpeciem præferat, ſin procul & mulier & lugens videatur. Fabulæ meminerunt Callimachus, *Hymno in Apollinem*, Q. Smyrnæus *lib. 1. Paralipomenon*, Cicero *lib. 3. Tuſculanarum quæſtionum.* Aliíque innumeri. Pelopis verò ſororem dixit Ouidius, quoniam vt ipſa de ſe loquitur *lib. 6. Metamorph.*

——— mihi Tantalus auctor,
Cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas.

Tantalus autem Pelopis pater. Mirum illud apud Vocontios noſtros Nioben diuinos honores conſecutam eſſe, cuius ſtatuam plorantis inſtar in Sacello cuiuſdam vici non longè à Vaſione oppido in comitatu Venaſcino Pontificiæ ditionis poſitam, Vicani ſub nomine Sanctæ Nieblæ memoria etiam noſtra colere, & ſuperſtitiosè ad eliciendam pluuiam circunferre ſolebant, donec re cognita Ioſephus Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, vir antiquitatis peritiſſimus ante aliquot annos ſtatuam confringendam, & ſuperſtitionem abolendam curauit.

VERS. 588. *Et læſus lingua.* Fabulantur Mercurium, Apollinis armentum paſcentis, boues abegiſſe, nemine teſte præter Battum, cui Mercurius vaccam dederat, ne furtum proderet. Cum autem Mercurius hominis fidem experiri vellet, mutatâ formâ duplicíque præmio propoſito, pro indicando furto inconſtantiam & perfidiam Batti cognouit, cúmque in Silicem conuertit, *qui nunc quoque dicitur Index*, vt narrat Ouidius *lib. 2. Metamorphoſeon*, & Antoninus

ninus Liberalis *fab.* 23. qui scribit Mercurium abegisse buculas duodecim, boues iniuges centum, cum tauro armenti marito, & singulorum caudis aliquid materiæ Sylvestris appendisse, ad delenda vestigia. Cæterùm Raphaël Regius Metamorphoseon Ouidianarum enarrator, Silicem indicem pro lapide auri exploratorio capit, qui Lydius lapis, & Plinio coticula dicitur, sed à Iacobo Micyllo refellitur, de quo Raphaële pretium operæ est adscribere, quæ apud Erasmum leguntur lib. 22. Epistolarum. *Patauij neminem vidi celebrem præter Raphaëlem Regium, hominem admodum natu grandem, sed cruda viro viridisque senectus. Erat tum vt opinor non minor annis* 70. *& tamen nulla fuit hyems tam aspera, quin ille mane hora septima adiret Marcum Musurum Græcè profitentem, qui toto anno vix quatuor intermitteret dies, quin publicè profiteretur. Iuuenes hyemis rigorem ferre non poterant. Illum senem nec pudor nec hyems abigebat ab auditorio.*

VERS. 589. *Aëra si misso.* Hyacinthum ab Apolline disco percussum interiisse, cum Spartæ ad Europæ ripam huiusmodi ludo certarent, notum ex Ouidio *lib.* 10. *Metamorph.* Nicandro *in Theriacis*, Palæphato, Philostrato, Ioanne Tzetze, & aliis. Discus vel æreus, vel ferreus, vel lapideus vel ligneus erat, ita dictus à δίκω, id est, βάλλω *iacio*, vt tradit Eustathius *in Homerum*, *pag.* 344. *&* 1591. editionis Romanæ, isque foramen habebat in medio ac amento circumnexus, tum lacertorum viribus,

tum arte quadam emittebatur; eoque bifariam certabatur, quis longius proiecisset, vel quis propius termino. Erat autem δισκοβολία tertium genus certaminis Gymnici, de quo videndi Hieronymus Mercurialis *de Arte Gymnastica, lib. 1. cap. 12.* & Petrus Faber San-Iorianus *Agonisticon, lib. 2 cap. 1.* neque vero tantum Græcis, sed etiam Romanis huiusmodi ludus in vsu fuit. Hinc Horatius *Ode 8. lib. 1. de*

——————*Sæpè disco, sæpè trans finem iaculo nobilis expedito.*

Cæterum Hyacinthus Oebalides ab Ouidio dictus, siue ab Oebalo patre, vt Lucianus ac Philostratus volunt, siue ab Oebalia Laconiæ vrbe. Ouidius enim Pausanias, Nicander ac Tzetzes, non Oebali, sed Amyclæ Regis Lacedæmoniorum filium faciunt.

Si qua per alternos pulsabitur vnda lacertos,
Omnis Abydena sit tibi peior aqua.
Comicus vt liquidis periit dum nabat in vndis,
Et tua sic Stygius stragulet ora liquor.
Aut vbi ventosum superaris naufragus æquor,
Contacta pereas vt Palinurus humo.

COMMENTARIVS.

Leander, Terentius, Menander, Eupolis ſubmerſi. Ouidius variè interpretatus. Stygius liquor, Plutarchi locus emendatus. Polinurus occiſus, & in mare deiectus.

VERS. 591. *Qui qua per alternos.* Notantur his ſex verſibus, qui vel natando vel nauigando ſubmerſi ſunt, aut qui naufragio in mare ſunt eiecti. Hoc diſticho, hiſtoria Leandri tangitur, quem produnt Herus amore captum, ad illam noctu ex Abydo Aſiæ oppido, in Helleſponti littore poſito ad Seſton Thraciæ vrbem ex aduerſo ſitam nare ſolitum, tandem fluctuum ac ventorum vi obrutum. Qua de re lepidiſſimum extat Muſæi Poëmation. Hiſtoria protrita.

VERS. 593. *Comicus vt periit.* An Menander intelligendus, an Eupolis, an denique Terentius, omnes Comici. Menander enim Comicus Athenienſis, inquit vetus Interpres, dum in Piræeo portu nataret, ſubmerſus eſt, de quo nobiliſſimæ à Græcis editæ traduntur Elegiæ, & à Callimacho Epigramma. Quamobrem Domitius etiam de Menandro interpretatur. Iſque nouæ Comœdiæ Poëtarum facilè Prin-

ceps habitus est, vnde κατ' ἐξοχὴν Comicus appellari videatur. Sed & Eupolin, priscæ Comœdiæ Scriptorem, cum Baptas fabulam docuisset eiectum fuisse in mare ab iis in quos Fabulam composuerat Platonius in Prolegomenis ad Aristophanem scriptum reliquit. Quin etiam Tullius *Epist.*1. *lib.*6. *ad Atticum*, mortem ipsius his verbis perstringit. *Quis enim non dixit*, Εὔπολιν ἢ τὸ Ἀρχαίας, *ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum in mare. Redarguit Eratosthenes, affert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit.* Suidas autem eo bello submersum prodidit, quod in Hellesponto contra Lacedæmonios gestum est, in quo mox edicto cautum sit, ne quis Poëta deinceps stipendia militaria faceret. Verum, Ælianus *lib. de Animalibus*, Eupolin in Ægina decessisse ibique sepultum, & canem Augeam ad ipsius tumulum diu luxisse, ac demum tabe & mœrore extinctum scribit. Quanquam Pausanias *in Corinthiacis*, quâ ex Corinthiaco agro in Sicyonium iter est, Eupolidis sepulcrum fuisse tradidit. Priorem tamen sententiam secuti Baptista Egnatius, Franciscus Sanctius, Adrianus Turnebus *Aduersar.lib.*9.*cap.*2. Andreas Schottus *Obseruationum lib.*2. *cap.*32. hunc Ouidij locum ad Eupolin referunt, quibus ego vix assentior: Ouidius enim Comicum suum, quicunque ille est, natando submersum dicit, quod apertè significare videtur illud *dum nabat*, nisi fortè eodem sensu accipiendum, quo Virgilianum illud ex *lib.*4. *Georgicon*, de Eurydice.

Illa

Illa quidam Stygia nabat iam frigida cymbâ.

Pro eo quod est *vehebatur*, contra quam Eupolidi accidisse proditum est. Duriuscula namque videtur interpretatio Turnebi, sentientis Eupolin postquam in vndas cecidisset, depressa vel fracta naui natando interiisse. Ad Terentium quod attinet, Q. Consetius apud Ælium Donatum in eius vita, redeuntem ipsum è Græcia periisse in mari dicit, cum centum & octo fabulis conuersis à Menandro. Volcatius autem, nunquam visum cum iter in Asiam facturus nauim semel conscendisset. Quamobrem Zarottus & Philippus Beroaldus in eo libro, quem Annotationes inscripsit, Terentium à Nasone significari putant, adeo vt Beroaldus hæc adiecerit. *Vnde vehementer illorum doctrinam desidero, qui in huius loci enarratione interpretamenta nugatoria commenti sunt.* Ego certè Menandrum cum veteri Interprete malim intelligere, cuius quidem sepulcrum in Attica ostendi venientibus ex Piræeo Pausanias initio Atticorum author est, ex quo patet haud absimile veri esse, quod idem Interpres de Menandri interitu prodidit. Cæterum Ouidij votum Menandri exitio plenius; Menander enim liquidis, hoc est puris aquis, interiit; Ibis autem Stygiis, hoc est, venenatis periturus. Enimvero Styx illa decantata ex prærupta Arcadiæ rupe in Pheneatarum finibus iuxta non acris oppiduli ruinas in saxum guttatim cadit inde permeato saxo in Crathin fluuium delabitur: Mortifera illa quidem cum homini, tum cuiuis alij animantium

mantium generi, cuius veneni tanta vis est, vt non ære, non ferro, non testa contineatur, equi vngulæ duntaxat patiens, vt Pausanias *in Arcadicis*, & Iustinus *lib.*12. scribunt, aut muli vt Arrianus & Plinius *in fine lib.*30. item Vitruuius *lib.*8. aut asini, vt Plutarchus *in Alexandro*, quod Ælianus *lib.*10. *cap.*40. *Historiæ animalium*, ad asinum Scythicum refert. Curtius autem *in in fine lib.*9. vngulam iumenti dicens, rem in medio reliquit. Cuius aquæ veneno, sunt qui Alexandrum Macedonem magna Aristotelis infamia enectum scribunt. Nasoni vero *Stygius liquor* propriè dictus, quoniam Græcis στυγὸς ὕδωρ appellatur Herodotus *lib.*6. de Nonacri loquens ἐν ᾗ ταύτῃ τῇ πόλει λέγεται εἶναι ὕδωρ Ἀρκάδων τὸ στυγὸς ὕδωρ, &c. *In hac autem vrbe ab Arcadibus fertur esse Stygis aqua*, Strago *lib.*8. περὶ Φενεὸν ὅτι καλούμενον στυγὸς ὕδωρ, λιβάδειον ὀλεθρίῳ ὕδατι, νομιζόμενον ἱερόν. *Propter Pheneum aestetiam ea, quæ Stygis dicitur aqua, stillicidium aquæ pernicioſæ, quam sacram habent*, Plutarchus *libro* περὶ τοῦ ψυχροῦ, de primo frigido, ὡς περὶ τὸ Ταίναρον, ὃ δὴ στυγὸς ὕδωρ καλοῦσιν οἱ πέτρας γλισχρῶς συλλειβόμενον ἔχει τὸ ψυχρὸν ὡς τε μηδὲν ἀγγεῖον ἄλλο μόνῳ καὶ ὁπλῇ ὄνου στέγειν, τὰ δ' ἄλλα διακόπτει καὶ ῥήγνυσιν *Velut ad Tanarum, quam appellant Stygis aquam, de saxo exiliter scatentem, cuius rigor tantus est, vt alio vase nullo, sed asinina duntaxat vngula contineatur, catera frangat atque rumpat.* Quo quidem loco pro περὶ τὸ Ταίναρον legendum existimo περὶ Φενεὸν, aut potius περὶ Νώνακριν. Nam στυγὸς ὕδωρ in Arcadia; Tænarus autem promontorium

torium est in Laconia. Error sine dubio natus, ex eo quod Poëtæ Stygem inferorum finxerunt, præterea & in Tænaro antrum esse ad inferos deducens, de quo Virgilius *lib.4.Georgicon. Tænarias etiam fauces alta ostia ditis*, Plutarchus vero de stillicidio Arcadiæ manifesto loquitur, de quo etiam Vitruuius libro laudato. *Est in Arcadia Nonacris nominata terræ regio, quæ habet in montibus è saxo stillantes frigidissimos humores. Hæc autem aqua συγὸς ὕδωρ nominatur, quam neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas potest sustinere, sed dissilit & dissipatur,&c.*

Vers.595. *Aut vbi ventosum.* Palinurus fuit nauis Æneæ gubernator, quem naui excussum, & triduo fluctibus agitatum, cum terræ paulatim adnasset, & iam montis cacumen prensanti certa spes salutis affulsisset, latronum vis inuasit,& occisum in mare deturbauit. Ex Virgilio *lib.6.Æneidos*, apud quem Palinurus Æneæ casum exponit.

Vtque Cothurnatum Vatem tutela Diana,
Dilaniet vigilum te quoque turba canum.
Aut vt Trinacrius salias super ora Gigantis,
Plurima quâ flammas Sicanis Ætna vomit. 500
Diripiántque tuos insanis vnguibus artus,
Strymoniæ matres Orphea te esse ratæ.

COMMENTARIVS.

Euripides à canibus discerptus. Empedocles interitus. Naso restitutus & explicatus. Mons Ætna creditus expiationis animarum locus. Origo exequiarum, quæ mense Nouembri in Ecclesia Romana celebrantur. Orphei mors. De illo scitu digna.

VERS. 597. MVTQVE *Cothurnatum.* Euripides quem Poëtarum τραγικώτατον Aristoteles in Poëtica vocat, ab Archelai Regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obiit, vt scribit Valerius Maximus *lib.* 9. *c.* 12. A. Gellius *lib.* 15. *cap.* 20. Stephanus *de vrbibus*, verbo Βόρμιτα. Suidas, Moscopulus. Ex recentioribus copiosè *L. Giraldus cap.* 7. *de Historia Poëtarum.* Canes autem dicti *tutela Dianæ*, quod illa sit κυνηγέτις, id est, venatrix. Quamobrem canes illi sacri, authore Phurnuto.

VERS. 599. *Aut vt Trinacrius.* Ita rectè Scedæ San-Victorianæ, non vt libri omnes excusi *Trinacrij*, qua quidem appellatione Empedoclem significari quiuis mediocriter literis tinctus intelliget. Ipse enim Agrigentinus fuit,

vt

vt ipſemet author & iis verſibus, quos Diogenes Laërtius in eius vita profert, vt & Lucretius *lib.* 1.

Quorum Agragantinus cum primis Empedocles eſt,
Inſula quem Triquetris terrarum geſſit in oris.

Tullius etiam in Lælio *Agrigentinum* & Horatius in Arte Poëtica *Siculum Poëtam* illum nominant. De cuius interitu, cum varij varia prodiderint, Hippobotus quem Ouidius ſequitur, eum clam relictis ſociis Ætnam Siciliæ montem aſcendiſſe, & in ardentem Cratera ſe præcipitem dediſſe retulit, vt ex eo narrat Diogenes Laërtius his verbis: Ἱππόβοτος δέ φησιν ἐξανασταίτα αὐτὸν ὡδευκέναι ὡς ἐπὶ τὴν αἴτνην, εἶτα παραγένομενον ἐπὶ τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἐναλέσθαι, καὶ ἀφανησθῆναι, βουλόμενον τὴν περὶ αὐτοῦ φήμην βεβαιῶσαι ὅτι ἐγεγόνει θεὸς, ὕστερον δὲ γνωσθῆναι, ἀναῤῥιπισθείσης αὐτοῦ μιᾶς τῶν κρηπίδων; χαλκὰς γὰρ εἴθεισο ὑποδεῖσθαι. Quorum hæc eſt ſententia. *Hippobotus autem ait illum quondam ſe domo in montem Ætnam contuliſſe, deinde cum eò peruenisſet in crateras illos deſiliiſſe, atque ex oculis hominum ſublatum eſſe, volentem hanc de ſe famam eſſe, cum vna ex eius crepidis à flamma in altum ſubleuata & eiecta eſſet, æreis enim crepidis vti ſolebat.* In quam ſententiam Laërtius Epigramma ſe ſcripſiſſe teſtatur, quod etiam extat *lib.* 3. *Epigramm.* ſic Horatius *libro laudato.*

——————— *Dicam, Siculíque Poëtæ*
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi
Dũ cupit Empedocles, ardentẽ feruidus Ætnam
Inſiluit.

Insiluit. Sit ius liceátque perire Poëtis.

Idémque tradit Lucianus *in Icaromenippo*, & rursus *in Peregrino*, vt & Tertullianus *ad Martyres*. Ipsúmque proculdubio Vlpianus intelligit *in l. si quis filio*, §. *eius qui*, *ff. de iniusto rapto & irrito facto testam.* in his, *Quod si quis tædio vitæ vel valetudinis aduersæ impatientia vel iactatione, vt quidam Philosophi, mortem sibi consciuerunt, in ea causa sunt, vt eorum testamenta valeant.* Quod Accursius animaduertit. Strabo tamen *lib.* 6. id negat οὔτε γὰρ προσιτὸν ἔτι τὸν τόπον οὐδ' ὁρατόν. *Locum enim ipsum neque aditu neque aspectu facilem esse.*

Super ora Gigantis, plurima qua flammas. Eodem modo videtur vsurpasse τὸ *plurima* quo Virgilius *lib.* 1. *Æneid.*

Iámque ascendebant collem, qui plurimus vrbi
Imminet, aduersásque aspectat desuper arces.

Et Statius *lib.* 1. *Thebaidos.*

——Abrupta quâ plurimus arce Cytheron
Occurrit cœlo.

Nisi fortè sic interpungendum. *Super ora Gigantis plurima, quâ flammas*, vt dictio *plurima* non ad Ætnam, sed ad ora Gigantis referatur. Typhœus ènim siue Typhon centiceps à Poëtis fingitur, Pindarus *in Olympiis Ode* 8.

——— ὃς Αἴτναν ἔχεις
Ἶπον ἀνεμόεσσαν ἑκατογκέφαλα Τυφῶνος
——— *qui Ætnam habitas*
Onus ventosum centuplicis
Typhonis.

Et *in Pythiis, Ode* 1. Τυφὼς ἑκατον τακάρανος. Nec absimili

absimiliter Aristophanes *in nebulis* ipsum vocat ἑκατόντα κεφάλα. Neque vero temerè dixit Ouidius *super ora*, [illegible]niam vt idem ait *lib.5. Metamorph.*

Dextra, sed Ausonio manus est subiecta Peloro,
Læua Pachyne tibi, Lilybæo aura premuntur,
Pragrauat Ætna caput ——

Neque vero tantum veteres à vera religione alieni, Gygantes quosdam Ætna monte prægrauatos assiduis flammis torqueri crediderunt, sed etiam constans aliquorum Christianorum opinio fuit, ad montem illu n vbi perpetuum incendium tot iam annis fuit, ignea voragine fontium animas expiari: vnde anniuersariæ de mortuorum exequiæ, quæ mense Nouembri celebrantur, initium habuerunt. Quum enim Odilo Monachorum Cluniacensium Præfectus, flammas circa Ætnam videret, & clamores audiret, qui partim ex fremitu maris feruentis, partim ex eructatione Ætnæi ignis, vbi acrior per spiracula cauernarum ventus incumbit, iugiter fiunt existimauit Dæmones lamentari, quod per preces & sacrificia Christianorum animæ ab illis suppliciis liberarentur. Itaque protinus cum Monachis egit, vt postquam Kalendis Nouembribus in Sanctorum omnium honorem sacrificia peregissent, sequenti die omnibus vita priuatis iusta facerent, quod institutum Patres demum receperunt, vt Petrus Damiani Cardinalis memoriæ prodidit *in ipsius Odilonis vita*, vt ex eo Guilielmus Durandus *lib.7. cap.35. Rationalis*, & alij

qui de Ritibus Ecclesiasticis libros ediderunt. Quod etiam confitetur ipsa Romana Ecclesia *in Martyrologio*, prima die Ianuarij, dum ipsius natalem recolens eum tradit primum extitisse qui commemorationem omnium fidelium defunctorum, vt eius verbis vtar, prima die post Festum omnium Sanctorum in suis Monasteriis fieri præcepit, eúmque ritum postea vniuersam Ecclesiam recipientem comprobasse. Cuius institutionis ab Odilone factæ meminerunt præterea Sigebertus *ad annum Christi* 998. Glaber *lib.*5. *cap.*1. Antoninus *tit.*15. *cap.*16. §.5. Vincentius *lib.*25. *cap.*105. Eccius *parte* 3. *Homilia* 4. *de die animarum*, Alphonsus Auarez *cap.*50. Baronius *ad annum* 1048. quorum tamen aliqui de fragoribus & incendiis Ætnæ mentionem nullam faciunt. Quod autem de Ætna creditum est à Christianis, idem etiam de Vesuuio Campani, de Hecla Islandi crediderunt. Cæterum Empedocles à Nasone *Trinacrius* appellatur; Sicilia enim Trinacria dicta & Triquetra, à triangula specie, propterea quod tribus promontoriis, nimirum Pachyno, Lilybæo, & Peloro, in diuersa procurrens Græcæ literæ imaginem, quæ Delta dicitur efficit, siue quod similis sit thrinaci, id est, tridenti, quod à veterum sententia dissonat, neque enim figura est eiusmodi, quemadmodum obseruauit Eustathius in Dionysium, siue denique à Trinaco in Sicilia Principatum obtinente, vt idem Eustathius & Seruius *in lib.*3. *Æneidos* prodiderunt.

VERS.

VERS. 601. *Diripiantque tuos.* Id est, Thressæ mulieres à Strymone fluuio Thraciæ, quæ Orpheum immaniter discerpserunt, quod amissa Eurydice vxore ipsarum acerrimus osor fuisset. Ex Virgilio *lib.* 4. *Georgicon.* Ouidio *lib.* 11. *Metamorph.* Silio Italico *lib.* 2. *de bello Punico*, Platone *lib.* 10. *Politic.* Conone *narratione* 45. Diodoro Siculo, & aliis passim. In cuius cædis vltionem moris fuit Thracum, vt notis quibusdam feminas perpungerent, vt author est Phanocles apud Stobæum *sermone* 62. & Plutarchus *libro de sera numinis vindicta.* Et verò παιδεραστίαν excogitasse idem Phanocles prodidit. Sed & aliæ necis Orphei causæ memorantur, de quibus fusè Lilius Gyraldus *Dialogo* 2. *de Poëtarum historia.* Quin etiam Pausanias *in Bœoticis*, & Diogenes *lib.* 3. *Epigrammatum*, fulmine ictum fuisse referunt. Nec omiserim quod à Iustino Philosopho & Martyre proditum est; ait enim Orpheum, cum in Ægyptum diuertisset, religionis & Sapientiæ adipiscendæ causa, vnius veri Dei cultum ab Hebræis vt creditur didicisse, & perinde recantasse, de iis quæ ad plurium Deorum superstitionem, hoc est, vt ille Græcè vno verbo ait πολυθεότητα prius ceciniisset, eiúsque de ea re pleroſque versus in medium adducit ad Musæum scriptos, quos quidem & Aristobulus Iudæus Philosophus in eo quem ad Ptolemæum Regem scripsit, & Cyrillus Alexandrinus in primo contra Iulianum Cæsarem pietatem Christianam calumniantem commemorat. Hinc

opinor Alexander Seuerus animas Sanctiores, tum Christum, Abraham, & Orpheum in Lario suo habuisse traditur, vt author est Lampridius *in Alexandro.*

Orphea te esse ratæ. De hoc sic loco Henricus Stephanus *cap.* 2. de abusu linguæ Græcæ. *Quemadmodum Latini quum Orphea dicunt, terminatione Latina Græcum verbum vestiunt, ita vicissim illam terminationem in eum Latinam mutare Nasonem voluisse arbitror in Græcam* eon, *idque tamen non tanquam nulla licentia vtentem, vtpote non habita ratione declinationis, quæ diuersa esset ab ea, in qua id fieri soleret. Sic autem Pentheon, Peleon, Theseon pro Penthea, Pelea, Thesea dici posset.* Sed cum enunciationem illam in *eon* nullo modo Grammaticæ leges admittant, magis est vt Egnatio subscribam ex vetusto Codice corrigenti *Orphea te esse ratæ*, quomodo edendum curaui. Nulla autem barbariei venia digni sunt Andreas Alciatus vir alioqui literatissimus, & Vrsinus Velius cum scribit hic

Balteon arripui Thracisque armenta cecidi.

Alter *in Emblematis.*

Baltea Priamides, rigidum Telamonius ensem
Instrumenta suæ cepit vterque necis.

Quasi vero *balteus* Græcum esset vocabulum.

Natus vt Althæa flammis absentibus arsit,
Sic tuus ardescat stipitis igne rogo.

Vt

Vt noua Phaſiaca compreſſa eſt nupta corona, 605
Vtque pater nuptæ, cumque parente domus.
Vt cruor Herculeos abiit diffuſus in artus,
Corpora peſtiferum ſic tua virus edat.

COMMENTARIVS.

Ouidius emaculatus. Meleager, Creüſa, Creon, Herculeſ, flammis abſumpti. Tunica moleſta.

VERS. 603. NATVS *vt Althææ.* Quum tot acerrimi iudicij homines ad hunc libellum purgandum & locupletiſſimis Commentariis adornandum certatim incurrerint, mirum eſt tandiu mendum manifeſtum in hoc diſticho inſediſſe. Quam enim ſententiam idoneam efficere poteſt dictio *rogus*, quam omnes editiones præferunt. Pro qua reponendum eſſe verbum *rogo* nemo inficias ierit, eorum ſaltem qui norint quid diſtent æra lupinis, vt Ouidius dicat, quemadmodum Meleager Althææ filius, vnà cum fatali torre cõſumptus eſt, ſic & filius tuus extinguatur imprecor. Vide quantus ex hac puſilla mutatione huic loco ſplendor accedat, qui duarum literarum nubecula obumbratus, hactenus magnorum virorum aciem fugit. Nota fabula de Meleagro Oenes Ætoliæ Regis, & Althææ filio, cui recẽs

nato Parcæ assistentes ipsum tum extinctum iri cecinerant, cum stipes ab iis coniectus in focum perustus esset. Quod vbi mater audiuit, stipitem ex igne sublatum & tutissimè conditum asseruauit. Porrò cum Oeneus frugum primitias Diis omnibus vna Diana prætermissa libasset, irata Dea ferocem aprum omnia deuastantem & obuium quemque de medio tollentem in Calydoniæ agros immisit. Ad eum conficiendum non solum strenuissimi Græciæ viri conuenerunt, sed etiam Atalanta Virgo, Schœnei filia, cui Meleager victor apri cæsi pellem & caput dono dedit, inuidentibus viris, Toxeus & Plexippus Meleagri auunculi præmium virgini adimunt, ipsosque Meleager indignatus confodit: Althæa fratrum cædem vltura, quos haberet cariores filio, titionem illi fatalem in ignem coniecit, quo demum consumpto, Meleager ipse contabuit. Ex Ouidio *lib.* 8. *Metamorph.* vbi φιλαδελφίας eum φιλοτεκνία pugnam enarrans, ingenij sui copiam fecit, Apollodoro *lib.* 1. Diodoro Siculo *lib.* 5. Higyno *fab.* 171. & 174. Antonino Liberali *narratione* 2. Homeri Scholiaste *ad Iliados* 1. Isacio Tzetze *in Lycophronem*, Zenodoto *Centuria prima*, *Adagio* 33. Quam fabulam Phrynicum omnium primum versibus mandasse Pausanias *in Phocicis* author est. Aliter enim Homerus de Meleagro. Eleganter autem Naso dixit *flammis absentibus*. Nam vt idem canit *in Metamorphosi*.

Inscius atque absens flammæ Meleagrus ab illa
Vritur,

Vritur, & cæcis torreri viscera sentit
Ignibus, & magnos superat virtute dolores.

Et ante ipsum Propertius *lib.3. Eleg.21.*

Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parante suo.

VERS.605. *Vt noua Phasiaca.* Per nouam nuptam, Creusam, siue Glaucam intelligit Creontis Corinthiorum Regis filiam, quam cum Iason dimissa Medea vxorem duxisset, Medea ingratum Iasonis erga se animum detestata, munus veneno illitum ad pellicem misit, quo accepto, ipsa cum patre Creonte, & tota Regia conflagrauit. Cuiusmodi vero munus fuerit inter authores non conuenit. Ouidius coronam esse dicit, cui astipulatur Higynus *fab.25.* & Plinius *lib.2. cap.5.* vbi de Naphta scribit in hunc modum. *Huic magna cognatio ignium, transiliúntque protinus in eam vndecunque visam; ita ferunt à Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, coronâ igne raptâ.* Hinc Apuleius ait, Medeæ pellicem flammis coronalibus crematam. Euripides *in Medea* λεπτὸν πέπλον καὶ πλόκον χρυσόπαστον, *tenuem vestem, & comam auro intertextam*, Apollodorus *lib.1.* πέπλον Horatius *Epod. Ode 5. pallam*, his versibus

Cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent;
Quibus superbam fugit vlta pellicem,
Magni Creontis filiam;
Cum palla tabo munus imbutum, nouam
Incendio nuptam abstulit.

Aliter item Diodorus *lib.*4. De hoc munere sic Propertius *Eleg.* 16.*lib.*2.

Aspice quid donis Eryphila inuenit auaris,
Arserit & quantis nupta Creüsa malis.

Porrò *Phasiacam coronam* dixit Ouidius à Phaside fluuio Colchidis, quæ Medeæ patria fuit. Verum suspicor mendum esse in hoc verbo *compressa est*, pro quo reponendum esse *combusta*, aut aliquid eiusmodi mihi videtur.

Vt cruor Herculeo. Priusquam Nessus Centaurus sagittis ab Hercule confixus expiraret, sanguinem suum exceptum Deianiræ ad se euocatæ dedit, philtrum esse dicens, quo perpetuum erga se amorem Herculis retineret. Illa de pellicatu suspectum habens maritum, ei sacrificaturo, tunicam Nessi cruore imbutam per Licham famulam transmisit. Quam quum ille induisset, venenumque corporis contactu calefactum, vsque ad viscera permanasset, voces illas miserabiles edidit, quæ leguntur apud Sophoclem in Trachiniis, & apud Ciceronem *lib.*2. *Tusculanarum quæstionum.* Hinc Horatius *in Epod. Ode* 17.

Quid amplius vis? ô mare, & terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore.

Fusè Ouidius *lib.*9. *Metamorph.* Seneca *Hercule Oetæo*, Apollodorus *lib.*2. Isacius Tzetzes *in Lycophronem*, Zenobius Prouerbio Αἴθης πέπλος. Apostolius *in* Αἴθεις, ἐν πέπλῳ. Huic tunicæ affinis tunica molesta, de qua Seneca *Epist.* 14. Iuuenalis

nalis *Sat.*8. Martialis *lib.*10. *Epigr.*25. Tertullianus *ad Martyres.*

Qua sua Pentheidem proles est vlta Lycurgum,
Hæc maneat teli te quoque plaga noui.
Vtque Milo robur diducere fissile tentes,
Nec possis captas inde referre manus.
Muneribúsque tuis lædaris vt Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.
Quodque dolore necis patriæ pia filia fecit,
Vincula per laquei fac tibi guttur eat.

COMMENTARIVS.

Locus Ouidij nondum intellectus. Milonis vires admirandæ. Eius interitus. Mors Icari & Erigones filiæ. Ambo in Astrorum numerum ascripti.

VERS.609. *QVA sua Pentheidem.* Historia mihi prorsus ignota. Vetus Interpres Buten Lycurgi filium intelligit, qui Bacchi Sacerdotes in vltionem patris ab eo sublati variis & acerbissimis suppliciis affecerit.

VERS.611. *Vtque Milo robur.* Milo Crotoniates Diotimi filius multa egisse fertur, suprà

quam homo valet. Punicum malum ità manu compressa tenebat, vt neque qui conatus esset extorquere, neque ipse tamen illud elideret. Peruncto disco cum institisset, omnes ludibrio habebat, qui se detrudere quantouis impetu conarentur. Caput neruo non aliter quam redimiculo, aut corona incingebat; intercluso deinde, quanta maxima vi poterat, compressis labiis spiritu, cum venæ capitis plurimo sanguine intumuissent, venarum robore neruum rumpebat. Idem vbi porrecta dextera cubitum lateri admouisset, sublatóque pollice reliquos digitos iunctim intendisset, nemo erat qui minimum à cæteris vllo nisu abiungere posset. Suam ipsius statuam intra Altin suis humeris deportauit. Author eorum Pausanias *in Eliacis posterioribus*, & ex eo ad verbum nomine suppresso, Suidas *in* Μίλων, qui locus nonnihil deprauatus ex Pausania emendandus. Eundem etiam ferunt aliquando columna in contubernio Philosophorum ruinam minitante, Pythagoræ enim discipulus fuit, in eius locum subiisse, itaque & reliquos omnes seruasse & ipsum se subduxisse teste Strabone *lib.6.* Ictu nudæ manus taurum fecit victimam, eúmque solidum qua mactauerat die absumpsit solus non grauatim, sicuti Solinus *cap.3.* retulit, quod etiam Athenæus *lib.10. cap.1.* ex Theodoro Hierapolite Alexandro Ætolo & Phylarco scriptum reliquit, vbi Milonem viginti carnium Minas, totidémque panum esse, vini tres Choas bibere consuesse tradit. Ille Alectore

proditur

proditur vſus, qui ſpecie cryſtallina fabæ modo in gallinaceorum ventriculis reperitur, aptus, vt dicunt, præliantibus authore Plinio *lib.* 37. *cap.* 10. & Solino *capite laudato.* Tandem vero fatalis illi virium ſuarum fiducia fuit: nam quum aliquando per ſyluam denſiſſimam iter faceret, quercum aridam cuneis immiſſis hiantem in Crotoniatarum finibus conſpicatus, illam robore ſuo priſtino fretus, manibus inſertis diuellere conatus eſt, quas arbor excuſſis cuneis in ſuam naturam reuocata compreſſit, & Milonem cum tot Gymnicis palmis lacerandum lupis, quæ fera frequens eſt in Crotoniatarum agro, præbuit, vt narrat Strabo *loco citato,* Galenus *Protrept. ad artium liberalium ſtudia,* Valerius Maximus *lib.* 9. *cap.* 12. A. Gellius *lib.* 15. *cap.* 19. Pauſanias *libro laudato*, Euſtathius *in Dionyſium pag.* 52. editionis Stephaneæ. Hinc Iuuenalis *Sat.* 10.

——— *viribus ille*
Confiſus periit, admirandiſque lacertis.

VERS. 613. *Muneribúſque tuis.* Sequentibus quatuor verſibus hiſtoria vna tangitur. Icarus, quem Icarium alij vocant, Athenienſis genere fuit, qui cum aliquando Bacchum hoſpitio accepiſſet, pro ſua in eum liberalitate vino eſt ab eo donatus, ea conditione vt beneficium acceptum cum aliis hominibus communicaret. Itaque paſtoribus quibuſdam Atticæ terræ, qui primi in agro ei occurrerant, vinum diſtribuit, quo illi immoderatè hauſto altiſſimo ſomno ſopiti ſunt. Exporrecti cum arbitrarentur ab

Icaro

Icaro sibi venenum esse datum, eum interfecerunt. Canis vero quem secum habebat ad Erigonem Icari filiam reuersus nomine Mera, paternæ cædis indicium fecit. Illa re comperta, suspendio vitam finiit. Morbo autem pestilenti Athenis orto, Athenienses ab oraculo moniti Icarum & Erigonem diuinis honoribus affecerunt. Atque ita Icarus, Erigone & canis in astrorum numerum ascripti sunt, Icarúsque Bootes appellatus, Erigone virgo, Canis nomen retinuit. Ex Higyno *fab.*130. & *lib.*2. Astronomici Poëtici: Germanico in Arati Phænomena. Interprete Homeri ad *Iliados* χ'. Hinc Tibullus ad Messalam *lib.*4.

——*Etiam Phœbo gratissima dona*
Cres tulit, & cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, vt puro testantur sidera cœlo
Erigonéque Canísque.

Et Propertius *lib.*2. *Eleg.*33.

Icare Cecropiis meritò iugulate colonis,
Pampineus nosti quam sit amarus odor.

Obstructóque famem patiaris limine templi,
Vt legem pœna cui dedit ipsa parens.
Illius exemplo violes simulacra Minerua,
Aulidis à portu qui leue vertit iter.
Naupliadæque modo ficto pro crimine pœnas
Morte luas, nec te non meruisse iuuet.

COMMENTARIVS.

Pausanias à matre inedia perire coactus. Ouidiani loci varia interpretatio. Fictio Poëtarum ex sacra historia desumpta. Palamedes Vlyssis dolo lapidibus obrutus.

VERS. 617. OBSTRVCTO QVE famem. Rectè Ianus Parrhasius *libro de rebus per epistolam quæsitis, Epist.* 45. Andreas Alciatus *lib.* 7. *cap.* 6. *Parergon iuris*, & Didacus Couarruuias *lib.* 2. *variarum resolutionum cap.* 20. *num.* 17. Missis Domitij & veteris Interpretis ineptiis, hunc locum de Pausania Lacedæmoniorum Duce interpretantur. Hic enim, cum proditionis accusaretur, in ædem Mineruæ Chalciœcæ confugit; hinc ne exire posset, statim Ephori valuas eius ædis obstruxerunt, tectúmque sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Dicunt eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eámque iam magno natu, postquam de scelere filij comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum ædis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. Hic cum Semianimis de templo elatus esset confestim animam efflauit, vt iisdem verbis narrat Æmilius Probus, siue Cornelius

Cornelius nepos in eius vita. Pariáque referunt Diodorus *lib.* 11. Polyænus *in Stratagem.* Ioannes Tzetzes *chiliade* 12. *Histor.* 413. & Thucydidis Scholiastes *in lib.* 1. *pag.* 89. editionis Stephaneæ his verbis: φασὶ δὲ γὰρ ὅτι ἡνίκα ἔφραξαν κατ' αὐτοῦ τὸ οἴκημα, ἡ μήτηρ αὐτοῦ Ἀλκιθέα πρώτη λίθον ἐπίθηκε, τοιαῦτα γὰρ αἱ λακωνικαὶ γυναῖκες. Τεκμήριον δὲ τοῦτο τοῦ μισοτυράννους εἶναι τοὺς λάκων, vbi Pausaniæ matrem Alcitheam nominat, quam Polyænus Theano vocat. In editione quadam Veneta manifestè scriptum reperi *ipse parens*, quod si Ouidius scripsit, eorum opinioni accessit, qui Agesilaum Pausaniæ patrem ædis fores occlusisse prodiderunt, in his Chrysermus apud Plutarchum *Parallelis*, *cap.* 10. & Stobæum *sermone* 37. Meminit & Pausaniæ interitus Lycurgus *oratione in Leocratem*, & Ælianus *lib.* 9. *variæ Historiæ.* Mirum autem Thucydidem qui *libro de bello Peloponnesiaco*, Pausaniæ casum refert, parentum eius nullam mentionem habere.

Vers. 619. *Illius exemplo.* An intelligendus Aiax Oilei filius Locrorum Dux, qui ob stupratam in templo Mineruæ Cassandram Vatem, Deæ indignatione in mari Euboico ad Capharcum promontorium fulmine & naufragio periit, vt suprà dictum est ad *versum* 343. An Vlysses quem Virgilius ait, libri Æneidos, *Sanguineis manibus sacra attrectasse Mineruæ.* Quidam Codices habent *simulacra Dianæ*, pro *Mineruæ*, qua quidem lectione non dubium quin Agamemnon significetur, cui Diana,

Diana, propter Ceruum sibi peculiarem sagitta per imprudentiam ictum, vehementer irata diutinam tempestatem excitauit,& Græcorum classem in Aulide nobili Bœotiæ portu detinuit, donec ex responso Calchantis Auguris Iphigenia eiusdem Regis filia placationis ergo mactaretur. Quanquam Dea inter preces ritúsque sacrificos, obiecta nube & Cerua supposita puellam in Regionem Tauricam transtulit, ibique sacris suis præfecit. Qua de re prætor Græcos Scriptores Ouidius ipse *lib.*12. *Metamorph.* item *lib.*4. *Tristium*, *Eleg.*4. & *lib.*3. *de Ponto*, *Eleg.*2. Eoque respexit Virgilius *lib.*2. *Æneidos*, cum ait, *sanguine placastis ventos, & Virgine cæsa.* Aliam causam adducit Tullius *lib.*3. *de Officiis*, cur Iphigenia Dianæ immolanda esset. *Quid Agamemnon*, inquit, *cum deuouisset Dianæ quod in suo Regno pulcherrimum natum esset, illo anno immolauit Iphigeniam qua nihil erat eo quidem anno natum pulcrius.* An non fictio illa ex sacra Historia desumpta est. Agamemno scilicet pro Abrahamo, Iphigenia pro Isaac, ceruo pro hirco?

Vers.621. *Naupliadæque modo.* Palameden Nauplij filium ab Vlysse falso proditionis accusatum interiisse narrant Dictys Cretensis *lib.*2. Dares Phrygius. Homerus, Philostratus, Poliænus, Tzetzes *in Lycophronem.* Ex Latinis Virgilius, Higynus, Luctatius *in lib.*1. *Achilleidos*; inter quos tamen de nece & necis causa non conuenit. Quidam lapidibus obrutum, alij aliter interfectum scribunt. Ajax apud Ouidium

dium *lib.* 13. *Metamorph.* Vlyſſi falſam de Palamede criminationem exprobrat his verſibus.

Vellet & infelix Palamedes eſſe relictus,
Viueret, aut certè lethum ſine crimine haberet.
Quem male conuicti nimium memor iſte furoris
Prodere rem Danaum finxit, fictúmque probauit
Crimen, & oſtendit quod iam præfoderat aurum.

Quomodo verò ſub perſona Palamedis Euripides cædem Socratis Athenienſibus exprobrarit Laërtius docet. Fuit Palamedes Poëta & Philoſophus inſignis, cuius poëmata Homerum inuidia aboleuiſſe opinio fuit, qua de re L. Gyraldus *Dialogo* 2. *de Poëtis.*

Æthalon vt vitâ ſpoliauit Iſidius hoſpes,
Quum memor à ſacris nunc quoque pellit Io.
Vtque Melantheum tenebris à cæde latentem
Prodidit officio luminis ipſa parens.
Sic tua coniectis fodiantur pectora telis,
Sic precor inſidiis impediare tuis.
Qualis equos pacto quos fortis agebat Achilles,
Acta Phrygi timido eſt, nox tibi talis eat.
Nec ta quam Rhœſus ſomno meliore quieſcas,
Quam Comites Rheſi, tum necis ante via.
Quam quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides, Hytacidaque comes.
Cliniadaque modo circumdatus ignibus atris
Membra feras Stygia ſemicremata neci.

COMMENTARIVS.

Locus Ouidij conclamatus. Alius nondum explanatus Æthalia insula. Æthalides quis. Librariorum imperitia. Melantheus, Dolon, Rhœsus, Rutuli, Alcibiades noctu circumuenti & occisi. Naso restitutus. Opinio veterum de simulacris mortuorum.

VERS. 623. ÆTHALON *vt vita.* Vetus Interpres, quem Domitius & Zarottus secuti sunt, ait Æthalon ab Isidis Sacerdote hospite necatum, quare vetitum esse, ne quis ex ea familia Sacerdotium iniret, aut sacris Isidis interesset. Fabula è cerebro illius. Ego locum illum stigmatiam facio. Prior enim versus ita deprauatus est, vt curandis eius vulneribus Pæonia manu sit opus, cum in *Isidè* prima producatur, secunda corripiatur, contra quàm hîc factum est. Vnde nos ita legendum putamus. *Æthalon & vita spoliauit vt Isidis hospes,* vel potius, *Æthalium vita spoliauit vt Isidis hospes.* Vt aliquis ex Æthalia insula intelligatur, cuius meminit Strabo *lib.* 5. Plinius *lib.* 3. *cap.* 6. Stephanus à quo Αἰθάλη vocatur. Aut denique *Æthaliden vita*, &c. Æthalides Mercurij filius fuit, qui à patre impetra-

uit, vt viuens & vita functus omnium quæ contingerent, memoriam haberet, eúmque se aliquando fuisse Pythagoras dictitabat, atque inde sibi rerum omnium, quas gesserat, memoriam mansisse, vt ex Heraclide Pontico Diogenes Laërtius prodidit. Sed de eius interitu nihil mihi compertum. Nulli verò mirum videri debet, quod omnes editiones, atque ipse codex San-Victorianus prauam lectionem præferant, de quibus idem potest dici, quod Galenus *lib. 3. de difficultate respirationis*, ait, vbi cuiusdam Hippocratis loci lectionem perpendit, τὴς τῶν παλαιῶν βιβλιογράφων ἥμαρτεν. ἔπειθ' οὕτως ἔχων ἔφλασεν ἐκδοθῆναι τὸ βιβλίον. ἐφυλάχθη τὲ οἰκότως μέχρι δεῦρο τοῦτο τὸ σφάλμα. *Iam olim librariorum aliquis locum corrupit; deinde edito libro cum illo errore, non mirum seruatum esse mendum hactenus.* Veteres enim Librarios indiligenter scripsisse patet ex Ciceronis, Strabonis, S. Hieronymi, & aliorum querelis. Vnde grauissimi errores emanarunt, quod hoc duntaxat exemplo probasse mihi sufficiat. Cum in prima parte Decreti *distinct. 5. cap. 3.* hæc Gelasij Pontificis verba. *Item venerabilis viri Sedulij Paschale opus, quod heroicis versibus descripsit, insigni laude præferimus.* Deprauata essent, & pro *heroicis* Librariorum incuria legeretur *hæreticis*; mendum hoc Paulum secundum Pontificem maximum ad Poëtarum capitale odium perduxit, & plurimis aliis legum Professoribus imposuit, vt omnia Poëmata, quamuis sacra, hæretica esse duxerint, vt Pierius Valerianus

rianus Oratione pro Sacerdotum barbis scriptum teliquit. O rem ridiculam, Cato, & iocosam.

VERS.625. *Vtque Melantheum.* Sequentibus duodecim versibus recensentur, qui noctu circumuenti occubuerunt. Melantheus homicidio obnoxius, cum lateret à matre rei inscia, quærentibus est manifestatus, vtque melius cognoscerent, lumen attulit, qui captus capite multatus est. Ita vetus Interpres quod mihi nuspiam lectum.

VERS.629. *Qualis equos pacto.* Dolon Eumedis filius in castra Græcorum à Troianis explorator missus, equis Achillis pro mercede sibi promissis, à Diomede & Vlysse interceptus, & contra fidem datam interfectus est, postquam ipsos edocuisset, quid rerum Troiani molirentur. Ex Homero *Iliad.*10. Dicty Cretensi *lib.*2. Cuius facti meminit Ouidius *lib.*3. *Trist. Eleg.*4.& *lib.*2.*de Arte amandi.* Item *lib.*13. *Metamorph.* quo loco Dolonem *imbellem* vocat, vt hîc *timidum*, ex Homeri nimirum verbis.

——— Ὁ δ' ἄρ ἔστη ταρβησέν τε
Βαμβαίνων. ὤραβος δὲ διὰ στόμα γίνετ' ὀδόντων,
Χλωρῶς ὑπαὶ δείους.

——— *Constitit hic timuitque*
Mente tremens, stridor dentes atque ora tenebat
Pallida.

Aliter Virgilius his versibus *lib.*12.*Æneid.*

Parte alia media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,

Nomine auum referens, animo manibûsque parentum,

Qui quondam castra vt Danaum speculator adiret,

Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus,
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio, nec equis aspirat Achillis.

VERS. 631. *Nec tu quam Rhœsus.* Vlysses ac Diomedes à Dolone certiores facti de Rhœsi Thracum Regis aduentu, qui Troianis suppetias laturus in littore tentoria fixerat, illum cum comitibus somno oppressis ea ipsa, qua venerant, nocte iugularunt, & eius equos abduxerunt vt narratur ab Homero *Iliad. κ'*. Euripide in Rhœso, Tryphiodoro, Dicty Cretensi *lib. 2.* Ouidio ipso *lib. 13. Metamorph.* Nam in fatis erat Rhœsum inuictum fore, si ita contigisset, vt eius equi Xanthum bibissent, & pabula Troiæ gustassent, referente Eustathio & Didymo ad Homeri librum modo laudatum. Quò pertinet illud Virgilij *lib. 1. Æneid.*

Nec procul hinc Rhœsi niueis tentoria velis
Agnoscit lachrymans, primò qua prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus,
Ardentésque auertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Troiæ, Xanthúmque bibissent.

De eodem Rhœso lepidam historiam narrat Parthenius in Eroticis *cap. 35.* vbi tangitur eius interitus.

VERS. 633. *Quam quos cum Rutulo.* Hi sunt Nisus Hyrtaci filius & Euryalus coniunctissimum par amicorum, qui Æneam in Italiam secuti,

secuti, quum à Troianis ad ipsum in Tuscia conquirendis auxiliis occupatum missi essent, vt de suorum periculo eum certiorem facerent, Rutulorum excubias vino somnóque obrutas offendentes, Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidarunt, eorúmque se spoliis exornarunt. Infelici tamen exitu, quem luculentissimè prosequitur Virgilius *libro 9. Æneid.*

VERS. 635. *Cliniadaque modo.* Quæ vetus Interpres in hunc locum effutiit, *sunt apina, tricaque & si quid vilius istis.* Non alius intelligendus, quam Alcibiades Cliniæ filius, de cuius interitu hic Æmilius Probus, siue Cornelius Nepos: *Non tulit hoc Satrapes, & violare clementiam, quam Regis opes maluit. Itaque misit Susamithren & Magæum ad Alcibiadem interficiendum, quum ille esset in Phrygia, iterque ad Regem pararet. Missi clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, vt eum interficiant. Illi, quum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa domum stramineam, in qua quiescebat, eámque succenderunt, vt incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. Ille autem sonitu flammæ excitatus, quod gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit, namque erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui nunquam discedere voluerat. Hunc sequi se iubet, & id quod in præsentia vestimentorum fuit, arripuit, & his in ignem iectis flammæ vim transiit. Quem vt barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis missis interfecerunt, capútque eius*

ad Pharnabazum retulerunt. Et mulier quæ cum eo viuere consueuerat, muliebri sua veste contectum, ædificij incendio mortuum cremauit, quod ad viuum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter quadraginta natus diem obiit supremum. De morte Alcibiadis videndi præterea Diodorus *lib.*14. Cicero *lib.*2. *de Diuinatione.* Valerius Maximus *lib.*1. *cap.*8. Iustinus *lib.*5. Plutarchus in Alcibiade, qui aliam mortis eius causam profert. Nec erit à re alienum adscribere ex Cicerone somnium Alcibiadi paulo antequam interiret dormienti obiectum, quod & à Plutarcho & Suida proditum est. Sic igitur Cicero libro laudato. *Qui paulo ante interitum visus est in somnis, amica esse amictus amiculo. Is cum esset proiectus, inhumatus, ab omnibus desertus iaceret, amica eius corpus texit suo pallio.*

Vers.636. *Membra feras.* Quid est, causa, *ferre membra semicremata neci.* Ouidium certè illibatum populi florem, ita locutum esse nunquam mihi persuaserim. Quamobrem *Stygio seni* rescribendum esse per lapidem iurare paratus sum. Nec enim dubito, quin hoc loco macula subsit à Chalcographis profecta, qui properantes ex *seni*, traiectis literis fecerunt *nesi*, dein minus perspicaces operarum Correctores ablegato *S* & in eius locum suffecto *C* effinxerunt dictionem illam *neci*, quæ ipsis occasionem dedit *Stygiæ* pro *Stygio* substituendi. Per Stygium autem senem Charon intelligitur Orci Portitor, quem Græci Poëtæ

γεκυηγὸν

νεκυηγὸν & νεκυοστόλον vocant, vt eleganter Ouidius dixerit *membra Semicremata ferre Stygio seni*, quoniam ipse *ferruginea subuectat corpora cymba*, vt est apud Virgilium *lib.6.* Quanquam nec corpora, quæ sepulturæ mandantur, sed vmbras duntaxat, simulacra, spectra, imagines, & vt Homeri verbis vtar ex Odyss. *lib.11.* βροτῶν εἴδωλα καμόντων *hominum simulacra mortuorum*, de quibus Virgilius eodem libro.

Et ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat, volitare cava sub imagine formæ.

Hinc Vlysses recitans quid apud inferos viderat eodem Homeri libro.

Τὸν μετ' ἔσιδόμην βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλ' αὐτὸς μὲν μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίης.
Post hunc vidi vim Herculanam,
Idolum. Ipse verò apud immortales Deos
Oblectabatur in conuiuiis.

Et Lucretius *lib.1.* ex doctrina Ennij.

Acherusia templa
Ennius æternis expromit versibus idem.
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Vtque Remo muros ansu transire recentes,
Noxia sint capiti rustica tela tuo.
Denique Sarmaticas inter, Geticásque sagittas,
His precor & vinam & moriare locis. 640

Hæc tibi tantisper subito sunt missa libello,
Immemores ne nos esse querare tui.
Pauca quidem, fateor, sed Di dent plura rogatis,
Multiplicéntque suo vota fauore mea.
Post modo plura leges, & nomen habentia verum,
Et pede quo debent æria bella geri.

COMMENTARIVS.

Remus à Romulo fratre occisus. Durocortorum Remorum à militibus Remi conditum credi. Æthicus emendatus. De Ouidio iudicium.

VERS. 637. *VTQVE Remo muros.* Romulus edixerat, ne quis noua mœnia Romæ transiliret, legémque tulerat MOENIA SANCTA EXISTIMANTO. Remus irridens transiliit, & à Celere Centurione rutro interemptus est. Ouidius ipse *lib.* 4. Fastorum rem prosequitur.

Neve quis aut muros, aut factum vomere fossam
Transeat, audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit, & his populus, dicere, tutus eris.
Nec mora transiliit, rutro Celer occupat ausum,
Ille premit duram sanguinolentus humum.

Nota historia ex Liuio, Plutarcho, Dionysio Hali

Halicarnasseo, & aliis. Sed enim fuere, qui Remum à Romulo cæsum fuisse negarint. Imo Durocortorum Remorum Galliæ Belgicæ caput, ab ipso conditum volunt, vt à vetustissimis Annalium Remensium Scriptoribus traditum est, eiúsque rei fidem etiam facit Flodoardus, qui statim initio Historiæ Remensis Ecclesiæ sententiam illam refellit in his. *Probabilius enim videtur, quod à militibus Remi patria profugis vrbs nostra condita, vel Remorum gens instituta putetur; cum & mœnia Romanis auspiciis insignita, & editior porta Martis, Romana stirpis veterum opinione propagatoris, eo nomine vocitata, priscum ad hæc quoque nostra cognomen reseruauerit tempora; cuius etiam fornicem prodeuntibus dexteram lupa Remo Romulóque paruis vbera præbentis fabula cernimus innotatum.* Sed quia de Durocortoro mentio incidit, obiter emendandus Æthicus Cosmographus, apud quem perperam *Dorocordoros* pro *Durocortorum* legitur, vbi nobilia Oceani occidentalis oppida recensentur. Hodie *Reins* appellatur.

VERS. 639. *Denique Sarmaticas.* Postquam Ibidi suo grauissima quæque mala Naso noster imprecatus est, ei porrò deportationem in Sarmatiam, quasi dirarum suarum corollarium imprecatur. Quo certè epilogo nihil argutius in toto hoc Poëmatio mihi visum est. Quum enim Ouidius ne vel minimam Augustum ad commiserationem flectendi occasionem prætereat; quid ingeniosius ab eo dici, aut excogitari

gitari potuit, quàm vt exilium suum quouis supplicij, & mortis genere grauius ac intolerabilius declararet. Et vero ingenium Ouidij tale est, vt pene modum humanæ conditionis excedat; si quò peccat, eò peccat, quod magnorum fluminum instar, interdum redundet; quod si in eo vitium est, tot præclaris dotibus satis illud compensat. Omnia eius Opera, omnibus ingenij, omnibus eloquentiæ luminibus omni ex parte collucent. Inest in ipsis admirabilis copia dicendi, atque vbertas; inest sententiarum grauitas; inest eruditio plurima. Inest denique iucunda rerum varietas, & amœnitas incredibilis, quanta nec in hortis Mæcenatis, aut Hesperidum fuit, vt non immeritò Desiderius Erasmus in Ciceroniano suo Ouidium inter Poëtas Ciceronem videri posse dixerit. Hic finis esto Commentationum, quas admodum iuuenis auspicatus sum Viennæ Allobrogum, promoui Lutetiæ Parisiorum, absolui tandem in Voreano meo annum agens ætatis vicesimum. Has autem studiorum meorum primitias, tibi summè rerum Opifex, do dico, properaturus ad alia, quæ ad Reipublicæ munia obeunda magis conducant.

INDEX

INDEX AVTHORVM,

Qui in Commentariis laudantur, illustrantur, emendantur.

ABRAHAMVS Ortelius. pagina 85
Ado Viennensis. p.286
Adrianus Iunius. p.4
Adrianus Turnebus. p.2.42.75. 98.138.161.227.280.285.296.346
Accursius. p.362
Ælianus. p.14.121.167.184.185.228.244.277. 328.341.346.366
Achilles Tatius. p.33
Æmilius Probus, p.142.364.372
Æschylus. p.42.53.143.184.261.288
Æschyli Scholiastes. p.9
Æschines. p.86
Æthicus. p.375
Ætius. p.112
Æneas Gazæus. p.322
Agathias. p.90
Alanus. p.49

Albertus

Albertus Magnus. p.90.245
Alphonſus Auarez. p.354
Albinus Flaccus. p.34
Alcinus Auitus. p.71
Angelus Politianus. p.3.54.328
Andreas Schottus. p.162.201.285.346
Andreas Diuus. p.131
Andreas Tiraquellus. p.154. Idem notatus 316
Anacreon. p.179
Anthologia. p.177.239.297.303
Alexander ab Alexandro defenſus. p.316
Andreas Naugerius. p.4
Andreas Alciatus. p.14.138.152.197.245.260. 285.289.295.296.298.314.365. Idem notatus 356
Anonymus Author. p.14
Antonius Nebriſſenſis. p.24
Antonius Sabellicus. p.164
Antonius Tyleſius. p.116
Antonius Liberalis. p.81.185.232.277.279. 343.358
Antoninus Florentinus. p.354
Antigonus. p.80.211.327
Ammianus Marcellinus. p.74.168.242
Antonius Vrceus Codrus. p.147.177.303
Apollodorus. p.55.64.121.124.127.129.131. 176.171.178.185.191.193.196.200.210.211. 212.214.215.216.218.219.221.231.236.241. 242.257.264.267.269.274.275.278.279.286. 288.307.316 321.328.341.358.359
Appollonius Rhodius. p.12.110.127.233.237. 267.269.280

Apollonij Scholiastes. p.12.22.132.140.186.
189 211.237.257.269.278.307.320.328
Apostolius. p.193.360
Apuleius. p.40.56.249
Appianus. p.208.300
Aphthonius. p.226.279
Aristophanes. p.15.227.353
Aristophanis Scholiastes. p.15.120.167.177.
260.282.300.327
Aristides. p.272.274
Aristobulus Iudæus. p.355
Aristoteles. p.44.55.79.111.114.118.147.249.
328.350
Arrianus. p.147.168.282.292.293.348
Artemidorus. p.125.286
Arnobius. p.94.247.252.305
Aspasius. p.118
Asconius Pædianus. p.25.26
Auicenna. p.112
Aulus Gellius.p.77.114.133.135.181.201.213.
289.304.350.363
Athenæus. p.48.55.60.138.142.154.157.164.
184.196.209.228.311.362
Auentinus. p.67
S.Augustinus. p.52.56.135.213.252.261.272
Aurelius Victor. p.27.92.270.286
Ausonius.p.10.21.37.39.120.123.131.242.280.
325.337
Author γεοπονικῶν. p.279
Author βομίσεως. p.119
Author de viris Illustribus. p.133.135.153
Author Ethymologici. p.167

Author

Author συλλογῆς τῶν παροιμιῶν. p.157

Barnabas Brissonius. p.36.163.182
Baptista Pius. p.147.328
Baptista Egnatius. p.4.176.291.298.312.328.346.356
Baronius Card. p.354
Barthius. p.278
Beda. p.204
Bartholomæus Merula. p.255
Bianor. p.39
Bion. p.279.
Boëthius Seuerinus. p.205

Callimachus. p.12.46.116.126.192 202.228.269.272.284.310.328.342.345
Callistratus. p.25
Cæcilius Minutianus. p.84
Carolus Saluagnius Boëssius. p.212.305
Carolus Sigonius. p.134
Cato. p.204
Catullus. p.9.11.29.75.193.249.251.258.273.307
Claudianus. p.21.33.99.103.115.116.133.200 210.213.226.234.251.252.263.322.334
Casperius Geuartius. p.335
Christophorus Zarottus. p.4.36.138.154.176.312
Celsus. p.25
Cebes Thebanus. p.196
Claudius Bachetus Mezeriacus. p.328
Claudius Marius Aretius. p.166

Claudius Morisotus. p.140.145
Claudius Salmasius. p.119.218.316
Clemens Alexandrinus. p.47.49.167.231.296.331
Constantinus Fanensis. p.5
Cœlius Calcagninus. p.26
Cœlius Rhodiginus. p.14.16
Cicero. p.15.25.29.32.33.42.44.53.57.58.60.65.84.85.86.89.104.117.122.131.134.135.142.156.163.164.173.175.181.183.195.204.231.233.234.239.242.263.272.279.284.293.296.297.304.323.325.331.334.342.346.351.360.367.373. Idem emendatus 243.
Columella. p.79
Conon. p.164.168.184.353
Cointus Calaber. p.174.258
Cornelius Celsus. p.248
Corippus Africanus emendatus. p.132
Cornelius Nepos. p.79.147.152
Ctesias. p.158.162
Cyrillus. p.40.355

Dares Phrygius. p.120.367
Demosthenes. p.79.248
Desiderius Erasmus. p.305.343.375
Didymus Homeri Scholiastes. p.170.176.180.184.191.257.278.286.327.358.364.371
Dictys Cretensis. p.120.327.367.370.371
Dio. p.36.43.287.248
Dio Chrysostomus. p.136.196.211
Diodorus Siculus. p.106.127.128.142.147.157.164.

164. 167. 177. 189. 190. 193. 196. 200. 210. 214. 216. 219. 220. 222. 224. 227. 234. 235. 251. 261. 262. 266. 275. 281. 289. 316. 337. 340. 355. 358. 360. 366. 373
Dionyſius Halicarnaſſeus. p. 133. 138. 181. 182. 184 270. 296
Dionyſius Alexandrinus. p. 168. 180
Dionyſius Thrax. p. 122
Didacus Couarruuias. p. 364
Didacus Mexia. p. 5
Diogenes Laërtius. p. 291. 299. 311. 330. 351. 355. 369
Diogenianus. p. 184
Domitius Calderinus. p. 2. 138. 176. 182. 247. 258. 282. 291. 296. 298. 311. 312. 245. 365
Donatus. p. 115
Dioſcorides. p. 98
Doſiadas. p. 236. 242. 288

ECcius. p. 354
Ennodius. p. 181
Ephæſtionis Scholiaſtes. p. 44
Ennius. p. 88. 133. 173. 335
Eſdras. p. 163
Ezechiel. p. 102
Eumenius Rhetor. p. 25. 43
Eſaias. p. 40
Euſebius. p. 40. 84. 178. 260
Euſebius Gallicanus. p. 210
Euripides. p. 60. 77. 128. 136. 169. 174. 195. 202. 237. 261. 300. 307. 325. 327. 337. 339. 369. 371

Euripidis Scholiastes. p.131.184.185.221.222.
220.324.328.338. Idem notatus. p.220
Eustathius. p.22.32.71.95.119.120.122.127.
129.131.177.184.186.204.209.211.286.300.
320.327.328.338.343.354.363.371. Idem
correctus 181
Eustathius Antiochenus. p.187
Eustratius. p.298
Eutychus. p.278

FAustus Andrelinus. p.305
Festus. p.24.41.61.65.70.77.89.102.135.
181.187.235.261.278.332.
Flodoardus. p.375
Florus. p.135.187
Franciscus Modius. d.159
Franciscus Patritius. p.150
Franciscus Raguellus. p.105
Franciscus Robotellus. p.134
Franciscus Sanctius. p.5. 140. 144. 145. 197.
247.254.264.287.312.324.346
Freculphus. p.133
Fridericus Gronouius. p.335
Fulgentius. p.56.210.236.266.267.270.337

GAlatinus. p.41
Galenus. p.363.369
Galeotus Martius. p.92
Gelasius Papa. p.370
Genesis. p.51
Georgius Fabricius. p.75
Georgius Pisidas. p.244

Georgius Trapezuntius. p.84
Gerardus Voſſius. p.99
Germanicus Cæſar. p.264.364
Glaber. p.354
Gloſſæ Stephani. p.77.89
Gratius. p.278
Gregorius Berſmannus. p.5
Gregorius Nazianzenus. p.3.331
S. Gregorius. p.40
Gulielmus Budæus. p.24.300
Guilielmus Canterus. p.212.305
Gulielmus Durandi. p.353
Gulielmus Portellus. p.40

HArpocration. p.138.252
Henricus Glareanus. p.24
Helias. p.163
Henricus Stephanus. p.2.356
Heraclides Ponticus. p.171.277.257.310
Hercules Cioſanus. p.5
Hermeſianax. p.55.282
Hermolaus Barbarus. p.98
Herodotus. p.142.158.161.163.164.202.250. 275.286.288.300.302.310.312.316.349
Herodotus Bryſonis Pater. p.80
Herodianus. p.52
Heſiodus. p.55.71.143.227.228
Heſychius. p.21.71.75.129.167.210.248.327. 335
Higenus. p.25
Higynus. p.39.120.126.127.131.145.153.171. 177. 184. 185. 189. 196. 215. 216. 218.219. 220.

220. 224. 231. 233. 235. 239. 242. 257. 261. 262. 264. 265. 266. 267. 272. 274. 278. 280. 307. 313. 321. 328. 337. 338. 341. 358. 359. 364

S. Hieronymus. p. 40. 111. 114. 204

Hieronymus Angerianus. p. 77

Hieronymus Columna. p. 174

Hieronymus Mercurialis. p. 98. 113. 236. 344

Homerus. p. 77. 92. 99. 118. 119. 121. 114. 128. 129. 131. 174. 177. 183. 184. 194. 199. 203. 205. 207. 209. 225. 226. 242. 262. 265. 286. 301. 229. 340. 358. 367. 370. 371. 374

Horatius. p. 9. 11. 29. 44. 57. 74. 76 91. 97. 98. 101. 121. 122. 134. 137. 142. 143. 171. 172. 174. 182. 183. 190. 191. 207. 239. 258. 272. 273. 277. 285. 295. 296. 299. 314. 316. 323. 327. 335. 341. 344. 351. 359. 360.

Iacobus Andreuius. p. 5

Iacobus Cujacius. p. 24. 104. 243

Iacobus Micyllus. p. 4. 254. 312

Iacobus Nicolaus Loensis. p. 329

Iacobus Sirmundus notatus. p. 192

Iamblichus. p. 89

Ianus Parrhasius. p. 47. 154. 162. 186. 275. 290. 365

Ianus Passeratius. p. 98

Ioannes Baptista à Porta. p. 40

Ioannes Bodinus. ibid.

Ioannes Britannicus. p. 93

Ioannes Bocatius. p. 129. 207

Ioannes Cameri notatus. p. 245

Ioannes Brodæus. p.24.105
Ioannes Chryſoſtomus. p.52
Ioannes Grejonius. p.5
Ioannes Gerundencis. p.270
Ioannes Hartungus. p.144
Ioannes Kepplerus. p.17
Ioannes Khuuenius. p.40
Ioannes Meurſius. p.19
Ioannes Sareſberienſis. p.72.295
Ioannes Sauaro. p.24
Ioannes Tortellius. p.45
Ioannes Zetzes. p.142.157.177.184.185.191.
220. 228. 234. 263. 267. 270. 275. 303.343.
366
Iobus. p.102
Ioël Prophera. p.103
Iodocus Badius Aſcenſius. p.4.30.244
Ioachimus Camerarius. p.197
Iouianus Pontanus. p.85.197
Ioſephus Caſtalio. p.24
Ioſephus Hiſtoricus. p.163.187
Ioſephus Iachides. p.148
Ioſcphus Scaliger. p.24.98.114.147.285
Iſacius Zetzes. p.81.119.120.122.124.127.131.
169. 176. 178. 180. 186. 189. 193. 196.207.
215. 231. 233. 257. 262. 264. 272. 302. 305.
320.321.325.358.360
Iulius Cæſar Scaliger. p.11.40.54.114
Iulius Firmicus. p.279.304
Iulius Phylargirius. p.319
Iulianus Imperator. p.32
Iſidorus. p.26.90.244

Iustus Lipsius. p.41.43.65.152
Isacus Casaubonus. p.152.201
Iulius Obsequens. p.103
Iustinus. p.71.146.147.152.153.154.157.158. 255.258.270.291.309.312.335.373.
Iuuenalis. p.43.84.89.93.227.248.363

LActantius Firmianus. p.41.57.64.102.250. 272.331.337
Lactantius siue Lutatius Statij Interpres.p.177. 186.193.211.216.328.367
Lælius Biscíola. p.14
Lambertus Hortensius. p.137
Lampridius. p.89.248.251.356
Lalamantius. p.24
Latinus Pacatus. p.25.72.86
Laurentius Abstemius. p.154.312
Laurentius Pignorius. p.197
Laurentius Valla. p.304.312
Leo Allatius. p.197.273
Libanius. p.120.325.341
Lilius Giraldus. p.16.24.149.192.248.269.295. 298.316.350.355.368
Liuius Andronicus. p.111
Lucanus. p.39.98.112.195.210.226.247
Lucilius. p.205.335
Lucianus. p 52.94.204.110.189.193.234 248. 250.252.279.289.295.327.343.352
Ludouicus de la Cerda notatus. p.58
Ludouicus Viues. p.4
Lucretius. p.86.98.252.335.351.374. Idem explicatus. p.218

Lycophron. p.8.110.120.124.127.131.136.
174. 180. 184. 185. 191. 199. 212. 228. 229.
242.257.268.278.279.288.327
Lycurgus Orator. p.175
Lysias Orator. p.167

Macrobius. p.61.99.102.114
Marcus Antonius Muretus. p.74.96
Marius Victorinus. p.295
Manilius. p.38.263
Martialis. p.22.38.44.48.51.71.84.91.98.126.
210.226.230.259.280.316
Martyrologium Romanum. p.34.338.354
Martianus Capella. p.56.210
Maximus Taurinensis. p.52
Maximus Tyrius. p.131.168
Meleager. p.110
Michaël Mercatus. p.197
Michaël Ruizius. p.132
Michaël Psellus. p.196
Minutius Felix. p.94.149.202.237
Minutianus Grammaticus. p.14
Moscopulus. p.350
Musæus. p.103.191.345

Natalis Comes. p.289. Idem notatus.
p.220
Nemesianus. p.185
Nicander. p.112.113.120.327.343.344
Nicandri Scholiastes. p.282.327
Nicodemus Frischlinus. p.12
Nicolaus Heinsius. p.130.189

Nicolaus Papa. p.34
Nonius Marcellus. p.133.174.181.247
Nonnus Panopolitanus. p.110.126.266.279. 316.337

OBertus Gifanius. p.218.316.335
Oppianus. p.105.327
Origenes. p.34.41.331
Orpheus. p.127
Ouidius passim.

PAlæphatus. p.193.196.200.266.316.320. 322.343
Paulus Ægineta. p.112
Paulus Leopardus. p.151.215.289.308.328. 331
Paulus Marsus. p.98
Paulus Iurisconsultus. p.36
Paulus Iouius. p.2.3.148
Paulus Festi Epitomastes. p.63
Paulus Orosius. p.133.152.237
Paulinus. p.125
Pausanias. p.39.44.60.61.111.121.129.136.142. 147.152.153.154.160.161.162.164.166.168. 178.183.184.189.190.191.193.196.215.218. 219.220.221.222.223.224.231.232.235.239. 241.252.255.256.257.261.266.167.275. 278.282.302.307.308.311.319.320.325. 329.332.333.337.341.344.346.348.354. 358.362.363
Parthenius. p.194.327.371
Penthalius. p.170

Petrus Crinicus notatus. p.33
Petrus Chrysologus. p.52
Petrus Bellonius. p.114
Petrus Ammiani. p.245.353
Petrus Faber Sanjorianus. p.344
Petrus Nannius. p.4.225
Petrus Victorius. p.336
Persius. p.99.307
Phlegon Trallianus. p.126
Phalaris. p.234
Phile sapiens. p.244.327
Philo Iudæus. p.116.243.331
Philo Carpathius. p.98
Philippus Cluuerius. p.128.166.208
Philippus Beroaldus. p.93.98.347
Philippus Gualterus emendatus. p.126
Philandrus. p.134
Philostratus senior. p.119.168.176.184.367
Philostratus iunior. p.64. 119. 167. 174. 189. 200.278.291.307.320.343
Phædrus. p.104.125.226
Petronius Arbiter. p.101.258.268.329
Photius. p.142
Pierius Valerianus. p.134.197.370
Phurnutus. p.350
Pindarus. 164.171.176.189.190.231.249.294. 310.352
Pindari Scholiastes. p.166.211.219.322. Idem notatus. p.220
Plato. p.40.60.67.76.84.93.236.355
Platonius. p.346
Plancus. p.37

Plinius

Plinius. p.16.52.54.61.65.74.80.90.98.109.
113. 115. 120. 121. 125. 147. 166. 169.172.
185. 193. 200. 204. 207. 215. 234. 238. 242.
244. 249. 261. 279. 297. 302. 316. 331. 332.
348. 359. 363
Plinius iunior. p.33
Plautus. p.7.56.65.71.96.111.115.181.236.241.
308
Pollux. p.242
Polybius. p.41.151.178
Poliænus. p.152.154.289.366.367
Pomponius Mela, p.168.201.242
Probus. p.101
Proclus. p.44.249.327
Prisicianus. p.158.240.279
Plutarchus. p.42. 60. 61. 76. 80.104.133.139.
142. 147. 151. 152. 153. 158. 160. 163.164.
177. 184. 185. 193. 195. 210. 218. 219.220.
221. 223. 126. 239. 256. 273. 279. 286.291.
295. 299. 324. 330. 337. 355.366.373. Idem
emendatus. p 349
Procopius. p.210
Procopius Interpres Isaiæ. p.40
Propertius. p.48. 59. 84.98.101.102.103.113.
114. 126. 127. 178. 179. 210. 228. 229. 234.
270.308.328.329.359.360.364
Ptolemæus. p.101
Ptolemæus Ephæstion. p.328
Prudentius. p.125.248.251

QVintilianus. p.9.72.76.295.298
Quintus Curtius.p.74.137.147.292.316.348

Quintus Smyrnæus. p.120.342

RAphaël Regius. p.343
Raphaël Volaterranus. p.3
Reinerus Reinexius. p.153
Rodolphus Gualterus. p.131
Rufinus. p.297
Rutilius Numatianus. p.122

SAbinus Sophista. p.297
Saluſtius. p.91.304
Samuel Bochartus. p.113
Sapientiæ liber.
Sebaſtianus Corradus. p.152
Sedulius. p.99
Sempronius. p.61
Seneca Philoſophus. p.37.63.79.135.157.204.256.292.316.360
Alter Seneca. p.76
Seneca Tragicus. p.11.71.97.103.124.125.136.174.178.184.185.191.195.200.204.215.220.233.237.272.274.278.280.308.325.337.360
Seruius. p.24.26.57.61.94.115.136.159.177.181.185.190.193.248.301.303.319.331.338.354
Sextus Empyricus. p.272.288.327
Sigebertus. p.3.54
Sibylla Erythrea. p.40
Sidonius Apollinaris. p.21.30.191
Siluius Italicus. p.22.99.142.355
Solinus. p.61.98.269.172.242.270.281.302.

302. 362. 363
Sophocles. p.53. 72. 79. 88. 118.125.175.177. 253.324.360
Sophoclis Scholiastes. p.114.176.177
Statius. p.10.11.33.36.38.39.46.58.98.104.105. 106.129.190.210.211.220.261.266.267.288. 333.352
Strabo. p.14.36.42.98.118.140.152.157.166. 168. 172. 178. 186. 214. 215. 220. 234.242. 257.165.298.300.320.352.362.363
Suetonius. p.9.17.65.73.89.92.105.188
Suidas. p.12.14.46.48.129.176.184.224.231. 238.242. 256. 264. 285. 291. 297. 311. 335. 346.350.362
Stephanus. p.97.119.167.184.305.332.350
Stobæus. p.185.236.355.366
Sulpitia Poëtria. p.297
Synesius. p.3
Synodus Antisiodorensis. p.52
Synodus Taurinensis. ibid.

TAcitus. p.25.65.137.258
Terentius. p.231
Terentianus Maurus. p.66
Tertullianus. p.56.105.263.289.331.352
Theo. p.44
Theocritus. p.118.129.164.191.279.307
Theocriti Scholiastes. p.164.184.185.284
Theodoretus emendatus. p.305
Thomæ Dempsteri emendatio reiecta. p.135
Thomas Fazellus. p.129.166.206
Thucydides. p.73.103.204.242.366

Thucydidis Scholiastes. p.366
Tibullus. p.59.92.103.115.124.328.364
Timæus Locrus. p.92.174.175
Titus Liuius. p.25.41.76.133.134.160.187.236.269.286
Tryphiodorus. p.136.329.371

VAlerius Andreas. p.5.146.254.249.264.312
Valerius Cato. p.53
Valerius Flaccus. p.73.101.113.127.211.247.263.280.307.338
Valerius Maximus. p.135.153.158.159.164.182.208.233.234.237.251.284.294.299.331.350.363.373
Varro. p.24.26.81.105.128.187.252.279
Vegetius. p.43.159.261
VVernherus. p.74
Velleius Paterculus. p.178.295
Vetus Poëta. p.62
Vetus Interpres Horatij. p.73
Vetus Interpres Ouidij. p.2.141.154.156.160.161.165.167.176.182.258.275.281.283.288.291.295.311.314.345.347.361.365
Vido Pancirolus. p.332
Vibius sequester. p.98
Vincentius Bellouacensis. p.354
Vincentius Mirabella. p.166
Virgilius. p.11.22.37.52.53.62.71.74.75.77.80.84 88.91.92.93.99.114.115.116.128.133.136.137.138.146.154.161.169.171.174.178.

178. 182. 193. 195. 203. 205. 215. 222. 225. 226. 231. 243. 252. 258. 263. 264. 267. 268. 270. 278. 280. 281. 282. 286. 313. 319. 329. 334. 337. 339. 346. 349. 352. 355. 366. 367. 370. 372. 374. Idem emendatus. p. 53.
Idem à correctione Ioſephi Scaligeri defenſus & explicatus. p. 222
Vitruuius. p. 348. 349
Vlpianus Iuriſconſultus. p. 25. 32. 36. 79. 248. 331. 352
Vlpianus Rhetor. p. 164
Vlyſſes Aldroandus. p. 112
Vrſinus Velius notatus. p. 356

X Enophon. p. 74. 164. 167. 282. 301

Z Enobius ſiue Zenodotus. p. 129. 142. 196. 235. 257. 274. 358. 360

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM..

A

ABDERITANORVM sacrificia humana. pagina 259
Absyrtus à Medea sorore discerptus. p. 233
Achæus Andromachi filius crudeliter cæsus. p. 151
Achæus Poëta spiculis apum acie oculorum priuatus. p. 311
Accipere preces formula vetus. p. 52
Achæmenides in lustris ferarũ delitescẽs. p. 225
Actæon à canibus laceratus. p. 266
Adonis ab apro interemptus. p. 279
Adonin parentum probra luisse. p. 326
Adriani Imperatoris libri non Catacrini, sed κατ' ἀκκιαν. p. 47
Adoptionis ritus. p. 105
Adimantus fulmine ictus. p. 167
Æthalides à patre Mercurio, sibi & viuo, & mortuo omnium rerum memoriam impetrat. p. 369

Ætia

Ætia Poëmation Callimachi tenebricosum, p.48
Ætna mons creditus expiationis animarum locus. p.353
Αἴθων λιμὸς. p.228
Ægeus in mare se deiecit. p.233
Aglauros ex Arce Mineruæ se præcipitem misit, & quam ob causam. p.275
Ægialea Diomedis vxor adultera. p.180
Agamemnonis interitus. p.184
Aguntur, non referuntur gratiæ Principibus. p.37
Agesilaus Pausaniam filium proditionis reum multat. p.366
Agnus herba specie agni apud Tartaros lupis mirificè adamata. p.40
Agnorum & luporum futuram beneuolentiam Iudæi perperam interpretantur. p.40
Aglaonice Astrologiæ perita. p.139
Aiacis Oilei interitus. p.174
Aiax Telamonius furore actus. p.176
Alcæi Poëtæ aspera conuicia. p.298
Alcibiadis mors, & fortitudo. p.372
Æther Summus. p.53
Alexandri Magni interitus. p.147
Alexander diuinam sibi originem ab Hammone Ioue affingebat. p.147
Alexandri Pheræi mors. p.163
Aleuas Thessaliæ Rex, à quo dicti Aleuades posteri Thessaliæ Reges. p.164
Alemæon furiis agitatus. p.178
Allienſis dies. p.104

Alpheus fluuius. p.166
Amphiarai mors. p.183
Amphionis domus calamitas. p.340
Ἄμπυξ quid. p.131
Anaxarchus in pila contusus. p.330
Ancæus ab apro Calydonio interemptus. p.278
Annibalis crudelitas in Acerranos. p.208
Antæi fabula & proceritas. p.210
Antæus cur terræ filius dictus. ibid.
Apollonius Alexandrinus fuit, tametsi Rhodius diceretur. p.14
Apollonius Rhodius cur Poëmate laceratus à Callimacho & Ibis appellatus. ibid.
Ἀποφράδες. p.104
Apollodori tyrannis. p.256
Aquæ torpentes à sacrificiis summotæ. p.111
Arborum adductis ramis distracti viatores ab latronibus. p.223
Archilocho maledicentia exitio cessit. p.294
Arma acuta, obtusa in telis quæ. p.43
Asterion idem qui Minotaurus. p.193
Astyanax è turre præceps datus. p.295
Atalantæ plures. p.192
Athamantis furor. p.118
Atarneus vicus. p.162
Athos mons, & de ipso nonnulla. p.99
Attica prius Acte dicta. p.172
Atrax fulmine percussus. p.262
Attis Euiratus. p.250
Attis ab apro discerptus. p.282
Attonitus quid propriè. p.247

Audax qua notione apud Virgilium. p.280
Augusto viuo diuini honores habiti. p.36
Αὐτόχειρες sedecim. p.144

B

Altea & *Balteon*, pro *Balteum* perperam vsurpatum à nonnullis. p.356
Βαμβαλίζειν quid. p.71
Battus pastor in silicem versus. p.342
Batti Cyrenes conditoris historia. p.309
Bellerophontis casus. p.121
Bellerophontis morbus Monachis affictus. p.122
Biblis Cauni fratris amore infamis. p.184
Biothea Heroina strenuissima. p.289
Brothei & Brothi interitus. ibid.
Bubo noctis monstrum. p.109
Busiridis crudelitas & interitus. p.213

C

CAbirorum sacris initiati omni aduerso casu eximuntur. p.132
Caci historia. p.269
Cadere, labi, in terra statui nascentem fœtum. p.103
Κατάρμα. p.260
Calendæ Ianuariæ ad auspicia religiosæ. p.52
Cadmi fabula. p.237
Calfacere verbi tralatio. p.42

Callimachi obſcuriſſima Poëmata. p.48
Canace Macarei fratris amore infamis. p.184
Cantharidum venenum. p.155
Cambyſis exercitus arena obrutus. p.157
Calliſthenis interitus variè proditus. p.291
Capaneus fulmine percuſſus. p.261
Idem Scalarum oppugnationis inuentor. p.260
Canis olim nullus in Delo, & quam ob cauſam. p.265
Caroli Saluagnij Boëſſij elogium. p.212
Cataëriani libri. p.47
Cercyon latro à Theſeo interemptus. p.224
Cenchris ſpecies ſerpentis. p.119
Charybdis quid. p.204
Chryſa vrbs penes Lemnon. p.118
Cilicia croci ferax. p.98
Cinyphij epitheto Afer quiſquis deſignatus. p.21
Cinna Smyrnæ Poëmatis obſcuri Author. p.9
Cleombroti Ambraciotæ interitus. p.272
Clymenus filium proprium comedit. p.313
Clyſteris adhibendi inuentrix Ibis. p.144
Clytemneſtra Agamemnonis vxor adultera. p.184
Comætho Pterelam patrem prodidit. p.185
Color albus in ſacrificiis antiquiſſimus. p.67
Coræbi virtute immane monſtrum profligatum. p.333
Conuicium, contumelia, maledictum quid differant. p.32
Corinna Poëtria tenebricoſa. p.48

Crassitius Commentario Smyrnæ edito inclaruit. p.9
Cretenses Corcyreis infesti. p.283
Creusa Iasoni nupta flammis absumpta. p.359
Κρήδεμνον quid. p.131
Crotonienses lue multati. p.198
Crotopi & Psamathes interitus. p.332
Κτερίζειν quid. p.88
Curtij historia, à quo lacus Curtius. p.337
Cyprus æris abundantia nobilis. p.234

D

DArei crudelitas. p.158
Demodocus cæcus. p.129
Dentire quid. p.71
Deripere. p.318
Dextra fidei Symbolon. p.300
Δεξίωμα, δεξίωσις, δεξιὰ pro fide. ibid.
Dij Consentes, Selecti qui. p.57
Dij noui qui. ibid.
Dij faciant formula vetus. p.182
Diomedis Thracum Regis immanitas. p.200
Eiusdem interitus. p.214
Dirce tauro alligata. 307
Discus quid. p.343
Dithyrambi. p.249
Dolon à Diomede & Vlysse interemptus. p.370
Durocortorum Remorum in Gallia. p.373

E

EEnomus mons in Sicilia vnde dictus. p.233
Elpenor Scalarum lapsu extinctus. p.269
Empedoclis interitus. p.350
Ἐμβρόντητος quid. p.248
Epopei Sicyoniorum Regis sumptibus excitatum templum oleo fluxit. p.161
Equus Durateus. p.329
Eryphiles monile. p.183
Erysichthonis ingluuies. p.228
Etracides quis sit apud Ouidium non constat. p.144
Euenient formula vetus. p.73
Eteoclis & Polynicis dissidium. p.39
Euenus in Lycormam fluuium submersus. p.286
Eupolis Poëta submersus. p.346
Eupolis alter prima nuptiarum nocte obrutus. p.303
Euripides à canibus discerptus. p.360
Euryalus à serpentibus deuoratus. p.141
Eurydamas à Simone Larisseo raptatus. p.176
Eurydice serpentum morsu interempta. p267
Eurytion Centaurus ab Hercule occisus. p.216
Exsecti tertium genus hominum. p.250
Exulum tria genera. p.30
Ἐξερρίμμενος quid. p.89

F

Famosi libelli legibus vetiti. p.29
Falx quare Saturno tributa. p.102
Fel serpentium, illarum & venenum. p.113
Ferrugineus color quis. p.115
Fictio Poëtarum ex sacra Historia desumpta. p.367
Flauus idem qui pulcher. p.75
Fores vnde dictæ. p.190
Fortunæ facies. p.72
Fornacaliæ feriæ pistrinariorum. p.331
Frugæ solidæ quæ. ibid.
Funerationis varij ritus. p.82
Fulmen cur Ioui tributum. p.261
Fulmen Prouorsum quid. ibid.
Furiæ nullæ præter conscientiam. p.35

G

Galli euirati. p.247
Galli idem fanatici. ibid.
Galliambi. p.249
Glauci tres, eorúmque interitus. p.319
Gnosus Minois Regia, nunc Pagus obscurus. p.322
Gramen quid propriè. p.215

H

Hamotrahones qui. p.89
Hæmonis amores infelices. p.329

Harpagus filium proprium absumpsit. p.312
Hecuba cur in canem vera fingitur. p.231
Hercei Iouis ara in impluuio. p.138
Hercules Magnus appellatus proprio epitheto. p.146
Herculis furor. p.178
Herculis voracitas. p.269
Hercules flammis absumptus. p.360
Hercules Alexandri Magni filius à Cassandro trucidatus. p.254
Hectoris corpus ab Achille raptatum. p.171
Hermiæ supplicium. p.162
Hemones Dei, Semihemones, Minuti Dei. p.56
Higynus Grammaticus Ibidis nomine ab Ouidio diris deuotus. p.17
Hippodamiæ fabula. p.189
Hippolytus ab equis distractus. p.337
S. Hippolytus Martyr ab equis distractus. ibid.
Hipponax deformi vultu pictoribus ætatis suæ ludus fuit. p.297
Hipponactis acerba maledicentia. p.296
Homicidæ sui ipsorum quinam excusentur ab Iurisconsultis. p.79
Hyacinthi mors. p.343
Hymenæus prima nuptiarum nocte oppressus.
Hypermnestra adultera. p.182
Hyblæ tres. p.97

I

Iambus vnde dictus. p.44
Iazyges populi qui. p.74
Ibin Ouidianam qui notis illustrarint. p.2
Ibidis nomine quis deuoueatur ab Ouidio. p.15
Ibidis epitheto cur Apollonio Rhodio affictum. p.13
Ibis auis Ægyptia vsum clysteris docuit. p.144
Ibis auis natationis impotens. p.245
Icadius non Icarius Penelopes pater. p.328
Icarij & Erigones interitus. p.363
Idæ montis descriptio. p.95
Ida pro quouis monte. ibid.
Idmon Vates ab apro interemptus. p.279
Ilias malorum. p.117
Imprecatio Thyestea in Atreum. p.175
Imago Solis quid. p.53
Imperiurare verbum insolens. p.55
Inane corpus quid. p.84
Incendiorum cura apud Romanos. p.35
Incesti cadauer à terra eiectum. p.90
Infelix rogus quid. p.83
Inferorum pœnas Cato credidit. p.91
Inferiæ sine cultro. p.246
Ino in mare se præcipitem misit. p.274
Insignium Mediolanensium origo. p.148
Irus idem qui Arnæus. p.226
Iri fortuna pro Iro ipso. ibid.
Itys Terei patris dapibus appositis. p.232
Iudæorum error. p.40
Iuramentum per Stygem. p.55

Iuuenes quinquaginta in templo Mineruæ occisi. p.198

L

LAbyrinthi quatuor insignes. p.193
Lacrymæ in funeribus expetitæ. p.88
Lac nutricem in moribus inolescendis mirè proficuum. p.114
Laocoon à serpente interemptus. p.267
Laruæ mortuorum obuersantium spectra. p.77
Laodamia Pyrrhi filia concursu populi interfecta. p.153
Lauatio Matris Deûm. p.247
Leander submersus. p.345
Lemniacarum mulierum sæuitia. p.211
Λήμνιον κακὸν. ibid.
Lethare pro letho dare. p.278
Læstrygones qui,& vbi sedes habuerint. p.207
Lenis pro benigno. p.102
Leuce insula, & de ea scitu digna. p.168
Leucon Spartacum fratrem interfecit. p.155
Lex ξενηλασίας. p.197
Librariorum incuria. p.172
Limones amator currui alligatus. p.171
Linus à canibus laceratus. p.266
Linus idem qui spurius apud Argiuos. ibid.
Locrenses ob noxam Aiacis naufragio hausti. p.174
Lustrum quid sit. p.24
Lycaonis liberi, aut fulmine confecti, aut in lupos versi. p.264

Lycaonis fabula. p.231
Lychas in mare Euboicum præcipitatus. p.272
Lycophron Poëta sagitta transfixus. p.305
Lycurgus Legislator cur Ibis appellatus. p.15
Lycurgi Thracum Regis furor. p.177

M

Macedo fulmine percussa. p.264
Macarei incesti amores. p.324
Matrona quid propriè. p.181
Maturare fata. p.142
Marsyas ab Apolline pelle nudatus. p.316
Marsyæ statua in foro Romano ad coërcendos temerè litigantes. p.317
Mamertes frustatim discerptus. p.314
Mauritania leonum nutrix. p.277
Medea non venefica, sed sapiens. p.236
Meduſæ Priami filiæ an mater Hecuba. p.242
Meleager torre fatali consumptus. p.357
Melanthius Vlyssis Caprarius. p.209
Melanthei mors. p.370
Menalippi caput à Tydeo corrosum. p.287
Mendicorum frequentia in pontibus. p.266
Menander submersus. p.345
Mestra mutabilior. p.228
Metius Fufetius equis in contraria adactis laniatus. p.133
Milo à Pisæis in Alpheum demersus. p.166
Milonis Crotoniatæ facinora, multus cibus & mors. p.362
Millenariorum error. p.40

Minois interitus. p.144
Minotaurus à Theseo interfectus. p.223
Miser nec miserabilis. p.71
Modi siue concentus quatuor. p.248
Molæ frumentariæ quando cœperint. p.332
Mortis duo genera. p.79
Mos Thessalorum. p.170
Mos venatorum. p.282
Μοιχὸς pro adultero. p.172
Milas molarum inuentor. p.332
Μυλιᾶν quid. p.71
Myrrha incestu patris infamis. p.185
Myrtilus à Pelope in mare deiectus. p.190
Myrtoum pelagus vnde dictum. p.189

N

NAphta quid. p.359
Natalis dies quadam religione cultus. p.51
Natalis dies candidus expectabatur. p.103
Natalis dies exilio exemptorum. p.33
Natalis dies Beatorum cœlo nascentium. p.34
Nefasti dies ex graui accepta calamitate. p.104
Neptuni filij qui appellati. p.214
Nessus Centaurus ab Hercule occisus. p.215
Nicodemi Frischlini mors acerba. p.13
Nomen bonum, hoc est, fausti ominis, ex ipso sono, & sensu antiquis Romanis religiosum. p.64
Nomen malum formidabile antiquis. ibid.
Nomẽ verũ in deuotionibus requirebatur. p.61
Nicoclis calamitas. ibid.
Nouerca & vitricus parentum nomine censentur. p.243

O

OCulos ab indignis facinoribus auertere finguntur Deorum simulacra. p.199
Oedipus sibi ipsi oculos eruit, & quam ob causam. p.125
Oleo fluxit templum Mineruæ Sicyoniæ. p.161
Olympias & lustrum quatuor an quinque annorum. p.24
Oenomaus à Pelope occisus. p.190
Opheltes à serpente interemptus. p.268
Orestes ictu serpentis periit. p.302
Ore fauere quid propriè. p.63
Origo exequiarum quæ mense Nouembri in Ecclesia celebrantur. p.353
Opinio veterum de simulacris mortuorũ. p.372
Orestis furor. p.178
Orphei mors, & de illo scitu digna. p.355
Orpheon contra rectam analogiam, non scripsit Ouidius, sed *Orphea*. p.356
Ossea forma quid. p.77
Ouidiani exilij causæ. p.27
Ouidius Tomis collata è publico pecunia sepultus. p.85
Ouidij argenteus calamus in Pannonia repertus. p.26
Ouidij tres vxores. p.32
Ouidij ingenium, & de ipso iudicium. p.374
Ouidiani Interpretes qui. p.2

P

PActolus Lydiæ amnis auratius ad Sardes vrbem. p.151
Pactyæ Lydi supplicium. p.162

Palamedes lapidibus obrutus. p.367
Idem Poëta & Philosophus insignis. p.368
Palinurus naui excussus & occisus. p.349
Pastinacæ marinæ aculeus venenosus. p.328
Pausanias occluso in templo fame periit. p.365
Partũ editũ in terra statuere mos veterũ. p.105
Peliæ fabula. p.235
Pelops à Tantalo patre Deorum epulis appositus. p.231
Pelopeia nefario patris cõcubitu infamis. p.185
Penelopes proci. p.209
Periphetes à Theseo interfectus. p.217
Perilli taurus æneus. p.233
Pentheus à suis discerptus. p.307
Perdix Serræ inuentor à Dædalo præcipitatus. p.275
Perseus arca inclusus in mare abiectus. p.257
Pestis pro pestilentia rectè dicitur. p.335
Pectus amicitiæ pro amico. p.37
Phayllus, seu Phalæcus ab leæna discerptus. p.277
Phæa latro insignis à Theseo interfecta. p.221
Phaëton fulmine ictus. p.263
Persarum Reges domini appellati. p.163
Phido Pisæorum Tyrannus in Alpheum coniectus. p.166
Phidoniæ mensuræ. p.166
Phalaridis crudelitas. p.233
Eiusdem interitus. p.234
Phyla Oeneidis Tribus. p.167
Philoctetes à serpente morsus. p.118
Philippi Macedonum Regis interitus. p.146

Philomelæ fabula. p.308
Philosophi peculiari appellatione doctissimi dicti. p.325
Phineus cur excæcatus à Diis. p.127
Phœnix ab Amyntore patre oculis priuatus. p.124
Plebeius rogus, vilis & plerumq; vulgatior. p.83
Plebs Deorum, minuti, vappæ, Patellarij Dij. p.56
Plaudere ter. p.113
Plutus diuitiarum Deus cæcus. p.227
Poëtæ antiqui obscuritatem affectabant. p.9
Poëtæ omnes, quo errore, & quorum aliquando habiti hæretici. p.373
Pœnicius pro Pœno in vetustissima lege. p.135
Polydorus ob magnas opes occisus. p.339
Polymnestor ab Hecuba socru oculis priuatus. p.128
Polyphemus ab Vlysse oculis priuatus. ibid.
Polyphemi proceritas nequaquam fabulosa. p.205
Polyphemi cadauer effossum anno 1342. p.128
Polypemon à Theseo occisus. p.220
Pityocamptes à Theseo interfectus. p.223
Pontes à mendicantibus obsessi Romæ, ad cogendam stipem à prætereuntibus. p.266
Præsens numen variè acceptum. p.136
Pratentare iter. p.124
Priamus ad aram Hercei Iouis occisus. p.136
Proiicere. p.89
Προπέμπειν. p.124
Pyrrhus, non Epirotes, sed Neoptolemus discerptus,

cerptus,& per Ambraciæ vias sparsus.p.155
Pyrrhus Epirotarum Rex tegulæ ictu occisus. p.152
Pseudolabyrinthus Cretæ. p.194

R

Reddere vitam quid. p.218
Remus à Romulo fratre occisus. p.373
Remus, aut eius milites Durocortori Remorum conditores crediti. p.373
Rhœsus Thracum Rex à Diomede & Vlysse iugulatus. p.371
Renasci dicuntur qui ab exilio reuocantur.p.33
Rogus plebeius vilis & vulgatus. p.83
Rumpere & frangere pro interimere. p.280

S

Sacra quædam maledictis peragebantur.p.64
Salmoneus fulmine ictus. p.263
Sardanapalus Conoscoloris appellatus. p.157
Sardanapali mors. p.156
Secespita quid. p.70
Scianus equus de genere equorum Diomedis creditus. p.200
Scylla & Charybdis quid. p.203
Sciron latro insignis à Theseo interfectus.p.219
Scylla in patrem Nisum impia. p.186
Sceleratus vicus,scelerata porta,&c. p.187
Semele fulmine conflagrauit. p.262
Serpentes feminæ maribus sæuiores. p.112
Sertullus prima nuptiarũ nocte obrutus.p.303
Sicyon olei ferax. p.161
Simonidis historia. p.284

Sinis latro insignis à Theseo interfectus. p.219
Socratis mors. p.323
Sphynx, & de ea quædam scitu digna. p.196
Statina Dea. p.105
Stella commoda. p.101
Stygius liquor quid. p.348
Subsidere, subsessæ, subsessores quid. p.159
Sybaritæ lue multati ob cæsos quinquaginta iuuenes ad aram Mineruæ. p.198

T

TArsos vnde dicta. p.122
Τέλεται, Cabirorum sacra, quibus initiati quouis aduerso casu eximebantur. p.132
Tenes arcula incluſus in mare abiectus. p.257
Telephi vulnus. p.120
Tiberis in Albulam submersus. p.286
Tiberis fluuius cur flauus dictus. p.75
Tiresias cur excæcatus. p.126
Tiresias septem ætates vixit. p.127
Tigris puella Leucadia veneno sublata. p.155
Titaresus amnis. p.112
Thasus à canibus discerptus. p.265
Theocriti interitus. p.314
Therodamantis crudelitas. p.201
Theseus suis victoriis humano orbi fructuosior, quàm Hercules. p.217
Thesei diræ in Hippolytum. p.59
Theudosius, Theudotus, pro Theodosio, &c. p.258
Thamyris cura Musis excæcatus. p.129
Thoas Andragathius ruina aprugni capitis Diana affixi obrutus. p.281

Thoantea ara hoſpitum immolatione infamis. p.202
Theſſalus ex Oſſa monte deturbatus. p.138
Thyeſtæ fabula. p.230
Thyeſtea imprecatio. p.175
Thraſius, ſiue Thraſyllus Ioui Pluuio immolatus. p.213
Thyodamas ab Hercule occiſus. p.269
Tony Fidicen Delphinas cæcus magnum Leſdiguerium Franciæ Coneſtabilem, tum voce, tum ſambuca delectare ſolitus. p.130
Tulliæ impietas erga patrem. p.187
Tydeus Menalippi caput corroſit. p.229

V

VEnerem in vniuerſam Solis ſtirpem ſæuiſſe. p.338
Victimæ humanæ ad cæſorum buſta. p.195
Vigilum Cohortes incendiorum curam gerebant. p.35
Vlyſſis interitus variè proditus. p.327
Vipera puerum ore parturiens, cur teſſera ſcutaria Mediolanenſium Principum. p.148
Virgines in Liburnia quæ dictæ. p.182
Virgines antiquitus aduenientium hoſpitum pedes lauare ſolitæ. p.142
Vota in caput directa. p.243
Vultures cur peregrinæ aues dicantur. p.80
Vultures quare tardi vocentur. p.90

VETVS INTERPRES OVIDIANI LIBELLI in Ibin, tandiu desideratus.

ET IN EVM NOTÆ Dionysij Saluagnij Boëssij, Equitis Delphinatis.

VETERIS quidem Interpretis Ouidiani fragmenta quædam lacera & mendosa prodierunt Lutetiæ Parisiorum typis Dionysij Pratensis anno 1581. Nunc ipsum locupletiorem & emendatiorem ope duorum codicum manu scriptorum in lucem damus, tametsi falsis & suppositiitiis Authorum testimoniis aliquatenus fœdatum; quamobrem Notas in eundem scribere operæpretium duximus. De illo verò

Adriani Turnebi iudicium est huiusmodi, lib. 9. Aduersar. cap. 25. *Carmen in Ibin, vt vltro Ouidius ipse fatetur, plurimum habet noctis, inuolutúmque est historiis cæcis. In his hanc numerauerim.*

Aut vt Acharnides insutus pelle iuuenci,
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.

Sed prior mihi versus næuosus videtur, legendúmque crediderim. Aut vt Atarnites. Nam de Hermia Atarnæ tyranno intelligitur Aristotelis, necessario & percaro, quod & annotatum à vetere Interprete fuerat, cuius scrinia alij Interpretes compilarunt, & scripta etsi mendosa, vnde tamen multa odorari poteramus, suppresserunt.

VETVS INTERPRES OVIDIANI LIBELLI in Ibin, tandiu desideratus.

Et in eum Notæ Dionysij Salvagnij Boëssij, Equitis Delphinatis.

AD VERS. 177. *ISYPHVS est illic.* Iste quia Dianam de stupro interpellauit, hanc in inferno pœnam patitur, vt molarem assiduè iactet lapidem.

AD VERS. 178. *Quique agitur.* Ixion Iunonis appetens concubitum, ei nubem Iuno opposuit. Ille autem cum Ixione putans concumbere, cum nube concubuit, ex eáque Centauros genuit, vnde nubigenæ vocantur. Quare hanc in inferno pœnam patitur, vt in rota ligatus assiduè voluatur.

AD VERS. 179. *Quæque gerunt.* Danaus & Ægyptus fratres fuere Ægyptus quinquaginta filios habuit, Danaus totidem filias. In fatis autem erat Danaum nepotem habiturum, eúmque sibi regna sua ablaturum. Danaus incertus, cum quinquaginta fuissent, quis ille nepotum esset, omnes filias suas cum omnibus filiis ex fratre matrimonio iunxit, iussitque filias suas, vt cum mariti earum obdormirent,

vnaquæque virum ſuum interficeret, factúmque eſt ita. Sola Hypermneſtra marito ſuo Lino pepercit, qui poſtea regnum Danao abſtulit. Filiæ autem Danai huiuſmodi pœnam in inferno patiuntur, vt vrnam in imis perforatam replere aſſiduè ſtudeant, & replere nequeant. Belides appellantur à Belo patre Danai & Ægypti.

Ad Vers. 181. *Poma pater Pelopis.* Tantalus filius Iouis, Deos comprobare cupiens, eos hoſpitio excepit, ipſiſque ad cœnam ſedentibus filium dilacerauit Pelopem, quem igni & aqua coctum, quaſi fercula, appoſuit. Dij verò comperto hoc ſcelere noluerunt comedere, præter Cererem, quæ inſcia & fame coacta humerum abſumpſit; quare Dij Pelopem reſuſcitauerunt, eique humerum eburneum impoſuerunt. Tantalus ob id pœnam hanc in inferno patitur, quod in aqua vſque ad mentum extat, pomáque ſuper os eius pendent, quæ famelicus nequit comedere, nec ſitibundum potare.

Ad Vers. 183. *Ingeribúſque nouem.* Tityus qui Latonam matrem Phœbi & Dianæ de ſtupro interpellauit, ideo hanc in inferno pœnam patitur, quòd vultures iecur eius aſſiduè comedunt.

Ad Vers. 185. *Hîc tibi de Furiis.* Nomina Furiarum. Tiſiphone, Megæra, Alecto.

Ad Vers. 190. *Æacus in pœnas.* Æacus, Minois, Rhadamanthus iudices in inferis.

Ad Vers. 216. *Quem peperit magno.* Iupiter

piter cum Maia Atlantis filia concubuit, & genuit Mercurium, qui præcallidus effectus est.

Ad Vers. 218. *Falciferique senis.* Saturnus Cœlum patrem spadauit falce, quæ adhuc videtur in cœlo.

Ac Vers. 221. *Qui dat grauis Allia nomen.* Allia fluuius, ad quem Senones Gallicum Romanis pugnauerunt, & Romanis deuictis Romam ceperunt, & Capitolium obsederunt; sed superueniente Camillo Duc Romano, qui tunc temporis in exilio erat, Galli victi sunt.

Ad Vers. 255. *Quantáque clauigeri.* Philoctetes filius Pæantis, armiger Herculis; cui Hercules moriens in Octa monte mandauit vt sagittas suas in Lemno absconderet. Contigit autem Philoctetes ad Troiam Seniſſe; vbi cum de sagittis Herculis quæreretur, (fatum enim fuerat, nisi interessent sagittæ, Troiam inexpugnabilem fore) Philoctetes, quia eius cognouerant Armigerum, sagittas quærere coegerunt. Ille autem dum sagittas quæreret, vnâ earum toxico imbutâ, crure percussus grauissimos cruciatus pertulit in Lemno insula, vbi curandi vulneris causa nouem annos commoratus est, donec anno decimo Vlyssis admonitu Troiam reuersus rediit, quo reuerso cum sagittis Herculis Troia expugnata est.

Ad Vers. 257. *Nec leuius doleas.* Dareus, primus Thalectis Milesij filius, tormentorum inquirens genera, quibus ciues suos posset

affligere, lac ceruinum, quod nimiæ est amaritudinis, cogebat eos potare, id denique à ciuibus suis deprehensus pati coactus est Eupolide attestante. Versus hi dicuntur.

Lac ceruæ potando suos Dareus perimebat,
Exemplóque suo potu consumptus eodem est.

NOTÆ.

Historia fictitia. Falsum Eupolidis testimonium. Versus supposititi. Telephus enim intelligendus. Adi Commentarium nostrum.

AD VERS. 259. *Quique ab equo præceps.* Bellerophon fuit filius Procti, fratris Acrisij Regis, patris Danaes, quam nouerca sua propter speciem adamauit, & de stupro interpellauit; qui pietate patris motus noluit consentire precibus nouercæ; vnde illa irata accusauit eum apud patrem, qui nimium credulus misit filium ad Oriobaten Regem socerum suum, vt ipse socer vindicaret se, & filiam de Bellerophonte, qua ipse pater non poterat filium digna pœna punire. Socer autem noluit ipsum interficere, sed misit eum ad Chimæram vt ab ea discerperetur. Chimæra verò monstrum erat prima parte leo, media serpens, ima caper. Pallas autem miserata, & quia Dea virginitatis, & quia ipsum non meruisse cognouerat, dedit ei Pegasum equum, quo insceuso Chimæram superauit, cadens

tamen

tamen in campis Lyciæ cruta sua dicitur læsisse, vt ait Propertius.

Bellerophon monstrum potuit superare Chimeram,
Crus lasisse tamen dicitur ille suum.
Omnia ni fallor pereunt bona, sed mala crescunt,
Huic sua non facies, sed nocuit pietas.
Hic potuit monstrum, nequeo superare puellam;
Vincam si potero tutius ipse quidem.

NOTÆ.

Versus affecti Propertio, ipsóque indigni.

Ad Vers. 261. *Id quod Amyntorides.* Phœnix Amyntoris filius, liberos suos Othryllum & Dorilan falsò crimine adulterij à Licostrata nouerca apud ipsum accusatos excæcauit; vt autem falsum crimen esse cognouit, præ nimio dolore sibi ipsi oculos eruit. Vnde Battus.

Femina nata malum, peccati femina origo,
Femina tota malum, res atque miserrima vitæ,
Noluerant fratres malè consentire nouercæ,
Noluerántque thorum nati incestare parentis.
Illa repulsa dolens conuersó crimine in illos,
Accusauit eos patri; pater accitus ira,
Nec rectum inspiciens (neque enim rectum inspicit ira)
Ipse pater, sed iam re non pater, eruit illis
Quod dederat lumen, pœnámque secutus eandem est.

NOTÆ.

Phœnix quidem intelligendus ab Amyntore patre excæcatus, ſed enim vetus interpres rem aliter narrat, quam ſe habeat, & Batti neſcio cuius inſulſa carmina in teſtimonium adducit.

Ad Vers. 263. *Nec plus aſpicias.* Oedipus filius Laij & Iocaſtæ, inſcius patrem interfecit, & cum matre concubuit; quare ſe excæcauit, quem orbum filia ſua Antigone duxit, quod ait Statius.

Ad Vers. 265. *Qualis erat.* Fabula de Tireſia nota eſt. *In Apollinea arte* dicit, quia vaticinandi peritus erat.

Ad Vers. 267. *Qualis & ipſe fuit* Phineus filios ſuos Polydectorem & Polydorum adulterij crimine à Cleopatra nouerca accuſatos excæcauit; quare à Ioue ipſe excæcatus eſt, ciuſque menſas Harpyiæ defœdabant. Iaſoni autem pro aureo vellere ad Colchos ituro, columba præuia fuit admonitu Phinei. *Palladia rati* dicit, quia conſilio Palladis, quæ Dea ſapientiæ, facta.

Ad Vers. 271. *Paſtor vt Ætnæus.* Paſtor, is eſt Polyphemus. Telomus Eurymi filius Polyphemo giganti hoc prædixerat.

Tempus erit Polypheme, tuum quo lumen Vlyſſes,
Quod modo fronte geris torua, tibi ſurripi telam.

Ad

Ad Vers. 273. *Vt duo Phineidæ.* Polydector & Polydorus à patre excæcati, vt supra dictum est.

NOTÆ.

Imò dicti Orythus & Crambes.

Ad Vers. 24. *Et Thamyræ.* Thamyras à Musis excæcatus; Demodocus item cæcus memoratur ab Homero.

Ad Vers. 275. *Sic aliquis tua membra.* Saturnus Cœlo patri abscidit virilia, vnde Callisthenes

Saturnus credens vnum læsisse parentem,
Tres simul iratus læserat ille patres.
Non impune tamen; nam parte est læsus eadem,
Pœnámque à nato, quam dedit, ipse tulit.
Peccat vterque; male hic, male peccat vterque,
Hic peccat peius, qui prius ista facit.
Credere vix ausim esse Deos, me iudice nempe
Tam male qui peccat, nec Deus est nec homo.

NOTÆ.

Putidi versus Callistheni cuidam adscripti.

Ad Vers. 277. *Nec tibi sit tumidis.* Ceix, naufragio periit, cuius frater Dædalion in accipitrem mutatus est, Alcyone vxor in auem sui nominis.

Ad Vers. 279. *Solertique viro.* Vlysses, quem Leucothea Dea soror Semeles à naufragio liberatus ex Homero authore.

Ad Vers. 281. *Vel tua ne pœnæ.* Hippolytus, filius Thesei & Pentheſileæ Reginæ Amazonum, à Phædra nouerca ſua Minois & Paſiphaes filia, quia eius amori conſentire noluerat, apud patrem accuſatus eſt; Timuit namque Phædra ne Hippolytus patri ſuo detegeret, quod multoties ab ipſa rogatus eſſet, vt patrium lectum commacularet. Quo audito Theſeus patrem ſuum Neptunum rogauit, vt à filio Hippolyto pœnas ſumeret. Neptunus votum exaudiens phocas de mari emiſit, quæ ſic terruerunt equos Hippolyti currum trahentes, vt ipſum fruſtatim diſcerpſerint, quem tamen Dianæ & Æſculapius vitæ reddiderunt.

NOTÆ.

Imò Metius Fufetius Albanorum Rex intelligendus; Hippolyti enim mentio alio loco.

Ad Vers. 283. *Vel qua qui redimi.* M. Attilius Regulus Romanus captus ab Afris noluit redimi; putauit enim turpe eſſe, ſi Romanus ab hoſte redimeretur. Palpebris abſciſſis, mortuus eſt, quod tangit Horatius.

Ad Vers. 285. *Nec tibi ſubſidio.* Priamum tangit, qui à Pyrrho Achillis filio, dum caperetur

rentr Troia, quamuis amplecteretur aram Iouis Hercæi, quæ erat in impluuio ædium suarum, interfectus est teste Virgilio.

Ad Vers. 287. *Vtque dedit saltu.* Ionus Rex Thessaliæ, filius Perpeti vltra modum potus de Ossa monte præceps datus est, vt ait Gallus.

Vina probo, si pota modo, debéntque probari,
Si non pota modo, vina venena puto.
Nempe nimis potus se præcipitauit Ionus,
Vináque pota nimis causa fuere necis.

NOTÆ.

Historia commentitia, versúsque rithmici Gallo affícti.

Ad Vers. 289. *Aut velut Euryali.* Eurya-lus Ioni filius, quia filiam suam stuprare voluit, à serpentibus absumptus est, quod idem Gallus canit.

Ionides vti cupiens pro coniuge nata,
Vinum causa fuit, anguibus esca datur.

NOTÆ.

Gallo itidem indignum distichon.

Ad Vers. 295. *Aut velut Etracides.* Etracides, quintus decimus ab Hercule, à Spadone, cui virilia abscíderat, in mare proiectus, quod tangit Democritus.

Herculi

Herculides cuidam genitalia membra recidit,
Sciſſáque membra necis cauſa fuere ſibi.

NOTÆ.

Quid falſius authoritate Democriti ; quid inſulſius illo diſticho.

Ad Vers. 296. *Aut vt Amyntiaden.* Celimus Afranij Babylonij filius ſtatillum Amyntæ filium enſe vulnerauit, eius enim amori aſſenſum præbere noluit, vt ait Ennius.

Oebaliden puerum quantum dilexit Apollo,
Tantum, ſed fruſtra, Celimum Stratillius amauit,
Non ſic agna lupos, lupus vrſas, vrſa leones,
Vt puer ignarus ſtudij fugiebat amantem.

NOTÆ.

Hiſtoria ſuppoſititia ; Philippus enim Macedonum Rex, Amyntæ filius planè tangitur. Cæterum quis teneat riſum, dum quatuor illi verſus Ennio adſcribuntur.

Ad Vers. 299. *Nec tibi fida magis.* Themiſto, vxor Athamantis, Echionis filia, Brotean Iouis filium, maritum ſuum inſequentem veneno interfecit, vnde ait Propertius.

Infelix Brothea, quam vili morte peremptus,
Femina te potuit, te ſuperare virum.

NOTÆ.

NOTÆ.

Frustra quæras hoc distichon apud Propertium. Et vero non alius, quàm Alexander Magnus hoc loco intelligendus.

AD VERS. 301. *Morte vel intereas.* Achæus captus ab Antiocho Rege, & iuxta Pactolum fluuium, cuius arenæ aureæ sunt, suspensus est, vnde Battus.

Antiochus captum victum suspendit Achæum,
Vndâque Pactoli est aurea testis adhuc.

NOTÆ.

Primus quidem vidit Interpres vetus hunc locum de Achæo ad Antiochum Regem adducto capiendum, sed enim Batti versus à glossemate sunt.

AD VERS. 303. *Aut vt Achilleiden.* Pyrrhus, nepos Achillis, Rex Epirotarum, dum Argos oppugnaret, tegula perçussus interiit, vt tangit Menephron.

Argos hostilem circundans vndique Pyrrhus,
Oppressit miserum tegula missa manu.

NOTÆ.

Egregiè quidem præter hypobolimæi Menephronis distichon.

AD VERS. 305. *Nec tua quam Pyrrhi.* Pyrrhus Achillis

Achillis filius, Oresti vxorem suam Hermionen abstulit, cui Orestes insidiatus quadam die ipsum interfecit, & frustatim corpus eius sparsit per Ambraciæ vias.

Ad Vers. 307. *Natáque vt Æacidæ.* Propilica Pyrrhi filia, in templo Cereris Ambraciæ iaculis inimicorum oppressa periit, teste Menephron.

Ah misera pecudes! quis honor, quæ gloria, si vos
Turbáque nec minima, exsuperastis virginem,
& vnam.

NOTÆ.

De Laodamia, siue Deiadamia interpretati sumus in Commentariis nostris. Menephronis autem versus apud me nihili sunt.

Ad Vers. 309. *Vtque nepos dicti.* Magnetes Pyrrhi nepos, dato sibi à matre Nereide, cui consentire noluit, cantharidum veneno interiit, vt ait Tibullus.

Fas, leges, contra, pudor superantur amore,
Et solus cunctis imperat vnus amor.
Magneta mater, sed non vt mater amauit,
Vt castè natum debet amare parens.
Noluit esse tamen Magnetes matris adulter,
Et vita, quoniam noluerat, caruit.
Hinc natum mater, & amans & mater amauit,
Atque eadem vita causa necisque fuit.

NOTÆ.

*Fabula siue historia commentitia, tametsi Christophorus Zarottus, & Andreas Tiraquellus in nonam legem Connubialem num.*101. *veteri interpreti fidem adiecerint. Carmina autem Tibullo prorsus indigna. Videndus in huius loci explanatione Commentarius noster.*

Ad Vers.311. *Aut piate caso.* Leucon vnus ex Ponticis Regibus Spartacum fratrem suum interfecit prouocatus ab vxore sua, quam cum vellet adulterari Leucon, ab ea interfectus est, vnde Arion.

Leucon occidit fratrem pro coniuge, eúmque
Coniux; sic causa cadis vtrisque fuit.

NOTÆ.

Author fictitius.

Ad Vers.314. *Inque pyram tecum.* Sardanapalus, de cuius interitu Lucretius ait.

Vt cum defuncto maior moriatur amicus,
Æternum morem Sardanapalus habet.

NOTÆ.

Quis non puditissimos versus à Lucretio abdicat.

Ad Vers.315. *Vtque Iouis Libyci.* Cambysis exercitus

exercitus ad spoliandum Ammonis templum missus arenâ austro mota obrutus est.

NOTÆ.

Præclarè omnino.

AD VERS. 316. *Vique necatorum.* Dareus secundus, primi Darei filius, incubuit primò in regnum, sed succedere non potuit, donec iurauerit, quod ciues suos veneno, sicut primus non interficeret; postquam verò fuit in regno, non veneno, sed ponens eos in area plena calido cinere interficiebat, vt Callimachus dicit contra suum Ibin.

Et tu dispereas, sicut periere, secundus
Dareus multo quos cinere obruerat.

NOTÆ.

Verisimile quidem est Callimachum eandem imprecationem vsurpasse; verum carmina eius insulsè reddita sunt.

AD VERS. 319. *Aut vt Oliuifera.* Neocles Tyrannus Sicyone expulsus frigore & fame periit, vnde Varro.

A patria fugiens Neocles, quæ prima malorum
Sunt duo, morte perit frigoris atque fauci.

NOTÆ.

NOTÆ.

Rectè vetus Interpres hunc locum enarrat, nisi quod legendum apud ipsum Nicocles pro Neocles, vt in Commentariis nostris obseruauimus. Ad Varronis carmina quod attinet, spuria esse nemo inficias ierit.

Ad Vers. 321. *Aut vt Atarnites.* Atarnites, id est, Hermias ab Atarna oppido, à Mentore obsessus & captus, pelle iuuenci insutus ad Regem Persarum adductus est.

NOTÆ.

Placuit hæc interpretatio Adriano Turnebo lib. 9. cap. 25. Aduersar.

Ad Vers. 323. *Inque tuo thalamo.* Alexander Pheræus à Thebe vxore sua propter pellicatum interfectus est.

Ad Vers. 327. *Vtque Milo.* Milo Pisam Elidos tenuit. Hic cum Pisæos variis cruciatibus afficeret, ab ipsis in Alpheum fluuium Pisam præterfluentem demersus est. Est autem Tyrannus communis generis: nam Theodosij Grammatici est regula, quod nomina professionem, aut dignitatem significantia sunt communis generis, vt hic & hæc dux, hic & hæc Philosophus.

NOTÆ.

Isaacus Casaubonus Notis ad triginta Tyrannos Trebellij Pollionis sub finem, vbi de nomine Tyranni, *hunc locum veteris Interpretis adducit. Verùm quis ille sit Theodosius Grammaticus haud compertum habeo, nisi Macrobius intelligendus, qui Theodosius itidem dictus.*

Ad Vers. 329. *Quaque in Adimantum.* Adimantus Rex Phileſiæ indignans ſuperis obedire, & ipſi Ioui fulminatus eſt, vt ait Gallus.

Ad Vers. 331. *Aut vt Amaſtriacis.* Lenæus Rex Amaſtricum captus à Mithridate Paphlagoniæ Rege ſocero Achillis in Ponto inſula ſolus relictus eſt, vbi fame periit, vt Fauorinus ait

Veſte cibóque carens Lenæus, cum tamen eſſet
Rex, quaſi Nicocles, hac quoque morte perit.

NOTÆ.

Adulterina Fauorini citatio.

Ad Vers. 332. *Vique vel Eurydamas.* Callimachus dicit Eurydamantem & Thraſillum inimicos fuiſſe; Eurydamantem verò à Simone Lariſſæo circa tumulum Thraſylli raptatum eſſe.

NOTÆ

NOTÆ.

Certè multa sunt frugi apud hunc Interpretem, qui cæteris facem prætulit. Dydymus enim ad Iliad. χ. eadem narrat de Eurydamante ex ipso Callimacho.

Ad Vers. 335. *Vel qui, quæ fuerat.* Hector ab Achille interfectus tractus est circa mœnia Troiæ ligatus ad currum, vt dicit Virgilius.

Ad Vers. 337. *Vtque nouum passa.* Limone Hippomenis filia, cum quodam adultero deprehensa; & hic quidem Hippomenis currui alligatus fœdè distractus est; illa vero cum equo ferociſſimo incluſa, ab eo dilacerata est, vnde Darius.

Linione moritur, sed causa est mortis adulter,
Altera causa fuit mœchus, & altera equus.

NOTÆ.

Historia vera, vt in Commentariis nostris ostendimus, sed commentitia Darij nescio cuius authoritas.

Ad Vers. 341. *Viscera sic aliquis.* Tangit quod Nauplius pater Palamedis, fraude Vlyssis interfecti, Græcos Troia reuertentes, posito igne in Caphareo monte naufragio perdidit.

Ad Vers. 343. *Vtque ferox.* Aiax Oilei cum Vlysse Palladium rapuit, quare à Ioue

fulminatus est, & in mari demersus prece Palladis.

Ad Vers. 345. *Mens quoque.* Pentheum tangit qui à matre dilaceratus est.

Ad Vers. 347. *Vtque Dryantidæ.* Lycurgus Dryantis filius, qui sibi crura incidit, vel quia vites Bacchi extirpauerat, vel quia cum matre concubuit, vecors effectus, vno semper pede nudo ambulauit, quod tangit Horatius.

Ad Vers. 349. *Vt fuit Oetæo.* Hercules, & Athamas gener Cadmi & Hermiones, & Orestes pater Tisameni, & Penthides vir Calligones insani facti sunt.

Ad Vers. 351. *Nec tibi contingat.* Ægialea, vxor Diomedis filij Thidei, fuit adultera, vt ait Horatius.

Ad Vers. 353. *Quæque sui venerem.* Callimachus dicit Hypermnestram quondam in adulterio deprehensam, cum fratre mariti sui profugisse auxilio tenebrarum; deinde seruum suum Pauonem & Locrin ancillam necauit, vt illa Locris diceretur deprehensa.

Ad Vers. 355. *Tam quoque Di faciant.* Amphiaraum tangit, quem Eryphile vxor sua, filia Talai propter monile prodidit, & Agamemnona quem vxor sua Clytemnestra Ægysthi adulteri ope interfecit.

Ad Vers. 357. *Quæque parare.* Fabula nota est.

Ad Vers. 359. *Biblidos & Canaces.* Hæc similiter nota est.

Ad Vers. 361. *Filia neve magis.* Pelopeia cum

cum Thyeste patre suo concubuit. De Myrrha & Nyctimene notæ sunt fabulæ.

Ad Vers. 363. *Filia neve magis.* Altera Pterelam patrem suum capite truncauit, & filia Nisi similiter.

Ad Vers. 365. *Infamémque locum.* Tullia Seruij Tullij filia, supra corpus patris currum egit; vnde vicus sceleratus Romæ dictus.

Ad Vers. 367. *Vt iuuenes pereas.* De illis dicit, quos interfecit Oenomaus Tyrannus Rex Pisarum.

Ad Vers. 369. *Vt qui perfusam.* Tangit Oenomaum, qui interfectus est à Pelope.

Ad Vers. 371. *Proditor vt sani.* Id est Myrtilus à Pelope in mare præcipitatus.

Ad Vers. 373. *Vt qui velocem.* Ista eadem fabula supra dicta est.

Ad Vers. 375. *Vt qui tecta noui.* De illis dicit, qui ad Minotaurum deuorandi missi sunt.

Ad Vers. 377. *Vt quorum Æacides.* Achilles in rogo Patrocli cremauit duodecim corpora Troianorum ad inferias ipsius.

Ad Vers. 379. *Vt quos obscuri.* De Sphynge historia nota.

Ad Vers. 381. *Vt qui Bistonia.* Thracia à Bistone palude dicta est, & ibi authore Callimacho in oppido Seris nomine multi vir à Lacedæmoniis interfecti sunt in templo Mineruæ; ideo Minerua fertur sua lumina operuisse.

Ad Vers. 383. *Vt qui Threicij.* Diomedes Rex Thraciæ equos suos humana carne alebat.

bat. Ab Hercule tandem victus, equis suis in pabulum obiectus est.

Ad Vers. 385. *Therodamanteos.* Therodamas Scythiæ Rex fuit, qui timens ne per insidias occideretur, leones hominum sanguine alebat, quo magis sæuirent, vt si casus postularet, ad crudelitatem paratos haberet. Alij dicunt Theordamantem Lybium fuisse, qui Menaleam nobili genere matronam leonibus suis obiecerit, quod filiam eius adulterari vellet à qua occisus est.

Ad Vers. 386. *Quique Thoantea.* Thoas filius Bacchi, quanquam Lemniades viros suos interfecerant, à filia Hypsipyle liberatus in Tauricam regionem fugit, in qua regnauit, & ibi in templo Dianæ erat Iphigenia soror Orestis. Quicunque hospites illuc veniebant, vnus Dianæ mactabatur, alter reuertebatur.

Ad Vers. 387. *Vt quos Scylla.* Scylla & Charybdis pericula sunt in mari. Scylla vorat, Charybdis euomit. Hîc dum Vlysses per mare erraret, socij eius absorpti sunt.

Ad Vers. 389. *Vt quos demisit.* De sociis Vlyssis. Nam Polyphemus Cyclops Vlyssem vi tempestatis in Siciliam delatum antro suo inclusit, quatuórque ex comitibus eius deuorauerit, reliquos eodem mortis genere perempturus, nisi Vlysses eum excæcasset.

Ad Vers. 390. *Vt Læstrygonias.* Læstrygones populi Campaniæ immanissimi, humana carne victitantes. Horum Rex fuit Antiphates, qui Vlyssem in littus suum tempestatis

impetu

impetu iectum, totis viribus oppugnauit, vnúmque ex sociis eius ore apprehensum dilaniauit.

Ad Vers.391. *Vt quos Dux Pœnus.* Annibal Legatos Romanorum in puteum proiecit, & puluerem desuper iniecit.

Ad Vers.393. *Et velut Icaridos.* Penelopes filiæ Icari. Vlysses Troia rediens ancillas suas, & procos,& Melanthium caprarium occidit.

Ad Vers.395. *Vt iacet.* Aonio ab hospite, id est,Hercule.Antæus intelligitur,ab ipso interfectus.

Ad Vers. 397. *Vt quos Antæi.* Nota est fabula.

Ad Vers. 399. *Vt qui post longum.* Ægyptus pluuia septem annos caruit, cum Busiris Rex esset, ad quem venit Thasius, dicens ei, quod si vnoquoque anno hospitem immolaret Ioui,pluuiæ copiam haberet. Cui dixit Busiris, tu primus fies hostia Ioui, quo immolato Iupiter pluuiam misit.

Ad Vers.401. *Frater vt Antæi.* Pygmalion frater Antæi, hospites suos prius lotis pedibus in Parthenio nemore occidebat ante aras,quod est passus ab Hercule.

Ad Vers.403. *Vt qui terribiles.* Diomedes Thracum Rex.

Ad Vers. 405. *Vt duo diuersis.* Hercules Nessum & Eurytiona Centauros interfecit.

Ad Vers.407. *Vt pronepos.* Corynetes latro filius Vulcani, quem Theseus occidit, quem vidit Coronides, scilicet Æsculapius Coro-

nis & Phœbi filius, ab vrbe sua, id est, ab Epidauro.

Ad Vers. 409. *Vt Sinis & Sciron.* Sinis & Sciron, & Procrustes Polypemonis filij, à Theseo ad Cephisum fluuium cum patre occisi sunt.

Ad Vers. 411. *Quique trabes.* Latronem tangit interfectum à Theseo, qui arborum summitates in Isthmo ad terram plicabat, & homines ibi in summitate ligans iterum arbores dimittebat.

Ad Vers. 403. *Quaque Ceres vidit.* Tangit Cercyonem interfectum à Theseo.

Ad Vers. 417. *Qualis Achamenides.* Notum ex Virgilio.

Ad Vers. 419. *Qualis erat necnon.* Irus binominis fuit, nam & Arnæus dicitur apud Homerum.

Ad Vers. 421. *Filius & Cereris.* Asterion filius Cereris frustra amatus est ab Almenico, vt Lucretius ait.

Cres puer Asterion crudelis ne fuge amantem,
Ne fuge; non equidem est effugiendus amans.
Crudeli puero nihil est crudelius vnquam,
Crudeli puero nil mihi peius obest.
Sed iam nec puer es; puero nil mitius vsquam,
Crudeli puero nil mihi peius obest.
Vis verum dicam? sis mitis, ne fuge amantem,
Ni fugeres, nil te mitius esse potest.

NOTÆ.

Quasi verò Lucretius author sit eorum carminum. Per filium Cereris non alius intelligendus quam Plutus Cereris filius diuitiarum Deus. Adeundus Commentarius noster.

AD VERS.427. *Vtque pater solita.* Fabula nota est.

AD VERS.429. *Nec dapis humanæ.* Tydeum tangit, qui Menalippi caput comedit.

AD VERS.431. *Atque aliquid facias.* Sicut fecit Thyestes.

AD VERS.432. *Fœda Lycaonia.* Fabula nota est de Lycaone.

AD VERS.436. *Tantalides tu sis.* Tantali filius Pelops; Terei filius Itys.

AD VERS.437. *Et tua sic latos.* Absyrtum tangit, quem soror Medea dilacerauit, vt patrem retardaret.

AD VERS.439. *Ære Perillæo.* Perillus ærarius taurum Phalaridi Tyranno Agrigentino de ære fabricauit, vt homines tormentis afficeret. Perillus ipse in eo extinctus est.

AD VERS. 441. *Vtque ferox Phalaris.* Phalaris ipsemet resecta lingua in taurum æneum coniectus est.

AD VERS.443. *Dúmque redire voles.* Pelias, quem Medea renouare debuit, à filiabus suis interfectus est.

AD VERS. 445. *Atque eques.* Sicut Bellerophon.

NOTÆ.

Imò sicut M. Curtius Romanus.

AD VERS. 447. *Atque vtinam pereas.* Fabula nota est.

AD VERS. 448. *Et quæ Penthides.* Penthides Poëta, filius Abali Hipponactem fratrem Meduſæ vel Meliſſæ ſuum inimicum deouit.

AD VERS. 451. *Et quibus exiguo.* Callimachi vota in Ibin auem Ægyptiam, quæ roſtro proiecta aqua aluum purgare ſolet.

AD VERS. 453. *Vulnera tórque feras.* Callimachus dicit in Creta Menedemo ſacra fieri ſine ferro, quia in Troiano bello pluribus vulneribus cultrorum interiit.

AD VERS. 455. *Attonitúſque ſeces.* Cybele mater Deorum.

AD VERS. 457. *Deque viro fias.* Vt Atys, id eſt, Sacerdos eiuſdem, qui ſibi virilia abſcidit.

AD VERS. 459. *Inque pecus Magnæ.* Id eſt, leones qui dicuntur trahere currum Cybeles. Hippomenes autem & Atalanta, quoniam ſacrificium Veneri non fecerant, in leones mutati ſunt.

AD VERS. 461. *Soláque Limone.* Hæc fabula ſupra expoſita eſt, ibi cauſa adulteri dilacerati, hîc cauſa ipſius Limones, quæ ab equo conſumpta eſt.

AD

AD VERS. 463. *Aut vt Cassandræ.* Cassandra Potidæa Thessaliæ pars est, vbi Cassandrus dominatum dicitur habuisse, qui in suos nimis sæuiens, ab eis saxis obrutus est. Vel dic. Cassandrus homines suos viuos terra infodiebat,& idem passus est,vnde Propertius.

Suffocabat humo viuos Cassandrus, idémque,
Et non immeritò passus ab ipse suis.

NOTÆ.

Versus falsò adscripti Propertio.

AD VERS. 465. *Aut vt Abantiades.* Prœtus, filius Abantis filij Iouis & Europæ, frater Acrisij, quem Perseus, quia Acrisio auo suo regnum dolo subtraxerat, interemptum in mare præcipitauit. Lyrnesius heros, est Naupotus, filius Ligdæ Nymphæ, quem Ascintes nepos, quia matrem Clemestrem stuprare voluit, in mare proiecit, vnde Propertius.

Naupotus Ascintæ patruus peritense nepotis,
Et voluit natis esse parente prior.

NOTÆ.

Fabula planè conturbata. Ad versus quod attinet caue Propertianos credas.

AD VERS. 467. *Victima vel Phœbo.* Theodotus Poëta fuit, qui cum liberius in Mnesarchum Regem scripsisset, ab eo crudeliter in Apollinis

Apollinis æde cæsus est. Alij dicunt, Tyrrhenos, cum cepissent Liparium castrum, fortissimum illorum de castro Phœbo mactasse, vnde Gallus.

Theudotus in bello Phœbo datur hostia, quamuis
Nequaquam sit homo victima grata Deo.

NOTÆ.

Insulsum planè distichon falsò itidem adscriptum Gallo.

Ad Vers. 469. *Aut te deuoueat.* Abdera, vrbs est, in qua certis diebus victima humana pro salute populi immolatur.

Ad Vers. 470. *Aut Iouis infesti.* Capaneus, à Ioue fulminatus. Item Atrax Thessalus, qui cum filiam Dosithoen à Ioue compressam dimisisset fulmine ictus est.

Ad Vers. 473. *Vt soror Autonoes.* Id est, Semele. *Vt cui matertera Maia est*, id est, Teucer, qui fuit filius Electræ sororis Maiæ, à Ioue fulminatus. *Et temere optatos*, id est, Phaëton.

Ad Vers. 475. *Vt ferus Æolides.* Salmoneus filius Æoli. *Vt sanguine natus eodem.* Id est, Lycaon, qui genuit Calistonem à Ioue compressam.

Ad Vers. 477. *Vt Macelo rapidis.* Nicander dicit Macelon filiam Damonis cum sororibus fuisse. Harum hospitio Iupiter susceptus, cum Thelonios, quorum hic Damo Princeps erat,

corrum

corrumpentes venenis succeſſus omnium fructuum fulmine interficeret, ſeruauit eos. Sed Macelo cum viro propter viri nequitiam, periit. Ad alias verò ſeruatas cum veniſſet Minos, cum Deſithone concubuit, ex qua creauit Euſantium, vnde Euſantiæ fuerunt.

Ad Vers. 479. *Prædaque ſis illis.* Sacerdos Apollinis Delij Anius fuit, ad quem cum veniſſet per noctem Thaſus, à canibus laniatus eſt, vnde nullus canis Delon accedit authore Callimacho.

NOTÆ.

Mirificè vetus Interpres de Thaſo. Idem enim refert Higynus, vt notauimus in Commentariis noſtris.

Ad Vers. 481. *Quique verecundæ.* Ætæon.

Ad Vers. 482. *Quique Crotopiaden.* Linum nepotem Crotopi, filium Pſamathes & Phœbi, à canibus dilaceratum tangit, quod dicit Statius.

Ad Vers. 483. *Neve venenato.* Eurydicen vxorem Orphei ab angue percuſſam tangit.

Ad Vers. 485. *Quam puer Hypſipyles.* Archemorum tangit filium Lycurgi, quem nutriuit Hypſipyle, à ſerpente interfectum, quod dicit Statius.

Ad Vers. 486. *Cuſpide ſuſpecti.* Laocoon Troianus Sacerdos primus percuſſit equum Palladis, quem Græci conſtruxerant, & à ſerpentibus

pentibus dilaniatus est, dum sacrificaret Diis in Tenedo insula iuxta Troiam.

Ad Vers. 487. *Neve gradus.* Elpenor nimium potus de tecto cecidit.

Ad Vers. 489. *Támque cadas.* Dryops populus, cum Thyodamante Rege ab Hercule profligatus.

Ad Vers. 491. *Quam ferus.* Cacum tangit ab Hercule interfectum, propter vaccas, quas ei furatus erat.

Ad Vers. 493. *Quam qui dona tulit.* Lichas interfectus ab Hercule, atque in mare præcipitatus, quia dedit ei vestem Nessëo tinctam sanguine.

Ad Vers. 495. *Vel de præcipiti.* Inuidi Socratis post mortem eius libros ipsius in ignem coniecerunt, quos quoniam quidam eius amicus reseruare voluit, ab iisdem inuidis de saxo præcipitatus est.

NOTÆ.

O rem ridiculam, Cato, & iocosam. Non alius intelligendus, quam Cleomrotus, de quo videndus Commentarius noster.

Ad Vers. 497. *Vt qui Thesea.* Tangit Ægeum patrem Thesei, qui se in mare præcipitauit.

Ad Vers. 498. *Et Iliaca.* Id est Astyanax filius Hectoris, qui in destructione Troiæ ab Vlysse præcipitatus de turre est.

Ad Vers. 499. *Vt teneri nutrix.* Fabula de

Ino

Ino vxore Athamantis nota est.

Ad Vers.500. *Vt cui causa.* Perdicem tangit Dædali ex sorore nepotem, qui cum serram & circinum adinuenisset,ab auunculo Dædalo inuidia ducto ex Arce Mineruæ præcipitatus est.

Ad Vers.501. *Lydia se scopulis.* Ilice intelligitur, Ibici Lydi filia,quæ cum Dianæ auxilio vim Martis effugisset, cont umeliosè in ipsum inuecta est, ex quo Mars commotus Ibicum morte affecit, illa præ dolore è scopulo se demisit.

Ad Vers.503. *Fœta tibi occurrat.* Paphagus Epirotes cum circunsideret vrbem Ambraciam, venatum exiuit, & leænæ catulum nactus,ab ea insecuta dilaniatus est authore Callimacho.

Ad Vers.505. *Quique Lycurgiden.* Tangit Buten Lycurgi filium,quem ex arbore tractum aper lacerauit.

Ad Vers.506. *Idmonáque audacem.* Idmon Vates, vnus Argonautarum, ab apro discerptus est, cum tamen se in ea expeditione periturum sciuisset, quamobrem audax appellatur.

Ad Vers.507. *Isque vel exanimis,* In Andragathia regione venator quidam nomine Thoas, insolenter locutus in Dianam, capite immanis apri, quod in pinu suspenderat, cadente est interemptus.

Ad Vers.509. *Atque idem simili.* Atis in Berecyntho monte, vbi Cybeles sacra fiebant, cum venaretur,lassitudine oppressus, suo pinu somnum capiens, pinei pomi casu obrutus est.

Ad

Ad Vers. 511. *Si tua contigerit.* Cretenſes Minois oſſa ex Sicilia referentes Corcyram venerunt, quos Corcyrei vexauerunt, & oſſa quæ ferebant ſparſerunt. Quare quicunque Corcyrei Cretam veniebant, occidebantur.

Ad Vers. 513. *Lapſurámque domum.* Alcidice Alenæ Lariſſei filia domus ruina cum Lycoride viro obruta eſt.

Ad Vers. 515. *Vtque vel Euenus.* Euenus in Lycormam, Tiberinus in Albulã demerſi ſunt, ex quo fluuij dicti ſunt, Euenus & Tiberinus.

Ad Vers. 517. *Hyrtacidæque modo.* Euryalum tangit, ſocium Niſi, filium Hyrtaci, quem Rutuli interfecerunt noctu, quemadmodum canit Virgilius.

NOTÆ.

Nugæ, velut illa, quæ ſuperiore diſticho de Alcidice Alcuæ filia dicta ſunt. Adeundus Commentarius.

Ad Vers. 519. *Quodque ferunt Brotheum.* Brotheus Iouis filius à ſua turpitudine nonne nomen habuit, quare immortalitatem aſſequi non potuit; vnde præ dolore, & quia ſe contemni videbat, in ardente pyra mori voluit.

Ad Vers. 521. *Incluſúſque necem.* Calliſthenes hiſtoriæ Alexandri Magni ſcriptor, eius iuſſu cauea incluſus inedia periit.

Ad Vers. 523. *Vtque repertori.* Archilochus Iambici

Iambici carminis inuentor, cui maledicentia exitio fuit.

Ad Vers. 525. *Vtque parum stabili.* Mæuius Poëta Athenienses carmine lacerauerat, à quibus in carcerem coniectus inedia mori coactus est.

Ad Vers. 527. *Vtque lyra Vates.* Aristochius Poëta carmen Tragicum per siluam transiens meditabatur, cui serpens ex arbore, cuius folia percussérat, decidens manum momordit, quare extremum diem obiit.

Ad Vers. 529. *Vtque Agamemnonio.* Orestes ictu serpentis interiit.

Ad Vers. 531. *Sit tibi coniugij.* Eupolis Athenienſis Comicus Poëta, Medillam vxorem duxerat, ambóque prima nuptiarum nocte mortui inuenti sunt.

Ad Vers. 533. *Vtque cothurnatum.* Lycophron Tragicus Poëta fuit, qui ab inimico sagitta veneno illita traiectus interiit.

Ad Vers. 535. *Aut lacer.* Vt Pentheus.

Ad Vers. 537. *Pérque feros montes.* Dirce vxor Lyci, quam Zethus & Amphion tauro discerpendam alligarunt.

Ad Vers. 539. *Quódque fuit passa est.* Fabula de Philomela nota est.

Ad Vers. 541. *Cognitor vt tardè.* Cynaras Myrrhæ pater, cum qua incesto se polluit.

Ad Vers. 543. *Inque tuis opifex.* Aehæus Poëta fuit, cuius per hortum ambulantis capiti examen apum insedit, quod cum expellere vellet, eorum aculeis acie oculorum priuatus est.

Ad Vers. 545. *Fixus & in duris.* Prometheus frater Epimethei Fabula nota.

Ad Vers. 547. *Vt puer Harpyages.* Harpyages Thyestæ filius fuit, quem pater absumpsit.

NOTÆ.

Legendum apud Ouidium; vt puer Harpagides, vel vt puer Harpalices, vide Commentarium nostrum.

Ad Vers. 549. *Trunca geras.* Mamertes, vnde Mamertini Siciliæ populi appellantur, oppidum ædificauit. Inde oborta de regno lite à fratre membratim laceratus est.

Ad Vers. 551. *Vtne Hyracosio.* Id est, Theocrito Syracusio Poëtæ, qui cum in Hieronis Tyranni filium inuectus esset, ab eo ideo est capi iussus, vt cum ad supplicium trahi simularet. Interrogatus si deinceps à maledictis desisteret, ille eo acrius etiam Regi ipsi maledicere cœpit, quare indignatus non iam ad simulatum, sed ad certum supplicium rapi iussit; quidam laqueo strangulatum, quidam capite cæsum prodidere.

Ad Vers. 553. *Nudáne derepta.* Marsyas, de quo fabula nota est.

Ad Vers 555. *Saxifica videas.* Perseus ostenso medusæ capite Cephenum populos in saxa vertit.

Ad Vers. 557. *Potniadum morsus.* Glaucus

ex

ex Potnia ciuitate, cum sacrificium veneris contemneret, equabus suis à Dea furor immissus est, à quibus dilaceratus est.

Ad Vers. 558. *Inque maris salias.* Alter Glaucus piscator fuit Anthedonius, qui herba quadam comesa se in mare proiecit, & marinus Deus effectus est.

Ad Vers. 559. *Vtque duobus.* Alius Glaucus Cretensis, ob lasciuiam in filiam venenato melle extinctus est.

Ad Vers. 561. *Sollicitoque bibas.* Socrates iniustè accusatus hausto intrepidè veneno interiit.

Ad Vers. 563. *Nec tibi si quid amas.* Hæmo cum filiam Rhodopen turpiter amaret, vterque in montem sui nominis obduruit.

NOTÆ.

Imò intelligendus Hæmo Creontis Thebanorum Regis filius, qui Antigonen, Oedipi & Iocastæ filiam impotenti amore deperiit.

Ad Vers. 563. *Vtque sua Macareus.* Fabula nota est.

Ad Vers. 565. *Et videas quod iam.* Astyanan quem Vlysses præcipitauit.

Ad Vers. 567. *Sanguine probra luas.* vt Adonis filius Myrrhæ & Cynaræ.

Ad Vers. 569. *Ossibus inque tuis.* Vlysses qui à Troia reuersus à Telegono filio interemptus est.

Ad Vers. 571. *Vique loquax.* Agenor quidam adeo petulans fuit, vt ne Ioui quidem parceret, qui cum curreret ab equo cecidit, & fauces pollice sibi compressit,

NOTÆ.

Nugamera. Legendum apud Ouidium, Acerno pro Agenor, & de Anticlo intelligendum.

Ad Vers. 573. *Aut vt Anaxarchus.* Anaxarchus Athenienſis fuit, qui ſuos colonos malè tractabat, à quibus occiſus eſt, eiuſque oſſa in pila occluſa pro frugibus iactata ſunt.

NOTÆ.

Ineptias. Adeundus Commentarius noſter.

Ad Vers. 575. *Vique patrem Sameum.* Sameus filium habuit nomine Leucotheam, à Phœbo adamatam, quam ob cauſam pater ipſam defodit. Phœbus in vltionem puellæ Sameum interfecit.

NOTÆ

NOTÆ.

Purum putum figmentum.

AD VERS. 577. *Inque tuos.* Choroëbus monstrum profligauit, quod infantes è matrum sinu raptos deuorabat.

AD VERS. 579. *Vtque nepos Æthræ.* Id est, Hippolytus.

AD VERS. 581. *Propter opes nimias.* Polydorum dicit à Polymnestore occisum.

AD VERS. 583. *Vtque ferunt fratres.* Deniobe,& filiis & filiabus suis nota est fabula.

AD VERS. 585. *Addidit vt Fidicen.* Id est Amphion,pater eorum,qui seipsum præ dolore interfecit.

AD VERS. 587. *Vtque soror Pelopis.* Id est, Niobæ, quæ in saxum mutata est, vt Ouidius scribit.

AD VERS. 588. *Et lasus lingua.* Battus furtum Mercurij prodidit, à quo fuit versus in silicem.

AD VERS. 589. *Aëra si misso.* Hyacinthus Oebali filius à Phœbo dilectus, & per imprudentiam ab eodem occisus.

AD VERS. 591. *Si qua per alternos.* Leandrum tangit.

AD VERS. 593. *Comicus vt liquidis.* Menander Comicus Athenien sis,dum in Piræo portu nataret, submersus est, de quo nobilissimæ à Græcis editæ traduntur Elegiæ, & à Callimacho Epigramma.

Ad Vers. 595. *Aut vbi ventosum.* Palinurus Æneæ nauis gubernator, cum triduo enatasset, à Velienſibus in littore eſt interfectus.

Ad Vers. 597. *Vtque Cothurnatum.* Euripides à canibus dilaniatus.

Ad Vers. 599. *Aut vt Trinacrius.* Empedocles Agrigentinus pro vana gloria ardenti Ætnæ inſiluit, quod dicit Horatius.

Ad Vers. 601. *Diripiantque tuos.* Orpheum tangit à Treſſis mulieribus diſcerptum.

Ad Vers. 603. *Natus vt Althea.* Id eſt, Meleager.

Ad Vers. 605. *Vt noua Phaſiaca.* Creuſa filia Creontis Corinthiorum Regis, nupſit Iaſoni marito Medeæ, quare Medea ipſam, & patrem, & regiam incendit.

Ad Vers. 607. *Vt cruor Herculeos.* Fabula de Hercule nota eſt.

Ad Vers. 609. *Qua ſua Pentheiden.* Butes Lycurgi filius Bacchi Sacerdotes in vltionem patris variis affecit ſuppliciis. Pentheidem dixit, quia Pentheus filium habuit Dryantem Lycurgi patrem.

Ad Vers. 611. *Vtque Milo.* Milo Crotoniates fretus viribus ſuis, quercum hiantem diducere conatus eſt, ſed cuneis exeuntibus in medio conatu ſubſtitit præda lupis.

Ad Vers. 613. *Muneribúſque tuis.* Icarus poſtquam Atticæ colonos vſum vini edocuit, ab ipſis ebriis enecatus eſt.

Ad Vers. 615. *Quódque dolore necis.* Erigone Icarii filia patre occiſo vitam laqueo finiit.

AD VERS. 617. *Obſtructúſque famem.* Euryſthenes matrem Laconicam crudelitate nobilem habuit, quæ filio in bellum prodeunti mandatum dedit, ne domum reuerteretur, niſi cæde hoſtium pollutus; Is nequaquam id perfunctus eſt, quare à matre clauſus inedia extinctus eſt.

NOTÆ.

Apage commentum. Non alius intelligendus. quàm Pauſanias Lacedæmoniorum Dux. Adi Commentarium.

AD VERS. 619. *Illius exemplo.* Tangit Aiacem Oilei filium.

AD VERS. 621. *Naupliadæque modo.* Id eſt, Palamedes Nauplij filius.

AD VERS. 623. *Æthalon vt vita.* Ethalus ab Iſidis Sacerdote hoſpite occiſus eſt, quare vetitum eſt ne quis ex ea familia Sacerdotium iniret, aut Sacris Iſidis poſſet intereſſe.

AD VERS. 625. *Vtque Melantheum.* Melantheus homicidio obnoxius cum lateret, à matre rei inſcia, quærentibus eſt manifeſtatus, vtque melius cognoſcerent, lumen attulit, qui captus capite multatus eſt.

AD VERS. 629. *Qualis equos pacto.* Tangit Dolonem exploratorem, cui Troiani equos Achillis promiſerant, ab Vlyſſe & Diomede noctu interemptum.

AD VERS. 631. *Nec tu quam Rhœſus.* Rhœſus Thracum

Thracum Rex cum sociis ab Vlysse & Diomede similiter interfectus est.

Ad Vers. 633. *Quam quos cum Rutulo.* Tangit illos quos Misus & Euryalus noctu obtruncarunt.

Ad Vers. 635. *Cliniadæque modo.* Perficus Clinij filius à sociis occisus est, ac semicombustus propter auri copiam, quam habebat secum.

NOTÆ.

Nugatorium plane figmentum. Alcibiades Clinia filius hoc disticho tangitur.

Ad Vers. 637. *Vtque Remo.* Remus à Romulo fratre rastro est interemptus, quod præter edictum recentes muros transiliisset.

ΦΙΛΩΝΟC

BIZANTIOY

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΕΠΤΑ

ΘΕΑΜΑΤΩΝ.

PHILONIS

BYZANTII

DE SEPTEM MVNDI MIRACVLIS.

DIONYSIVS

SALVAGNIVS

BOESSIVS

EQVES DELPHINAS.

ET REGIS CHRISTIANISSIMI

ad Summum Pontificem orator.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

EX M.S. VATICANO PVBLICI

iuris fecit, & Latinitate donauit.

DIONYSIVS SALVAGNIVS BOESSIVS. LECTORI.

CVM ego, Lector erudite, anno supra milleſimum ſexcenteſimo trigeſimo tertio Ludouici XIII. Regis Francorum Chriſtianiſſimi ad Vrbanum VIII. Summum Pontificem Oratoris munere fungerer, mihique per interualla negotiorum ad Bibliothecam Vaticanam pateret aditus, in Philonis Bizantij libellum nondum editum de ſeptem miraculis incidi; libellum, inquam, perexiguum, ſed

adeò venustum, adeò tersum & elegantem, vt ipsum accuratè descriptum in Latinam linguam vertere mihi tùm literarum Græcarum studiosissimo perquàm volupe fuerit. Sed enim præ negotiis & occupationibus publicis editionem longius differentem præuertit Leo Allatius vir Græcus, ideóque literaturæ Græcæ peritissimus, cuius versio Romæ prodiit anno M.DC.XL. Ex quo mea in spongiam incubitura erat, ni vetuissent Iacobus Sirmundus, Dionysius Petauius, Nicolaus Rigaltius, Claudius Salmasius, aliíque harum rerum idonei æstimatores, quorum hortatu illam tecum lubens communico. Neque verò inter me & Allatium in assequenda Philonis mente semper conuenit. Argumento sit locus initio libelli, quem sic Leo Allatius exscripsit & transtulit, καὶ τοῖς καλοῖς τῆς Ἑλλάδος ἐνεπιδημῆσαι. Græcorum delibandæ delitiæ. *Ego in hunc modum,* καὶ τοῖς Ηλείοις τῆς Ἑλλάδος ἐνεπιδημῆσαι. Diuertendum

in

in Græciam ad Eleos. *Et profectò genuinam lectionem esse nemo inficias ierit, qui locum attentius legerit Dissentimus & aliis in locis. Ad Philonem quod attinet, ille ipse est , cuius mentio apud Vitruuium Præfatione lib. 7. cum ait:* Non minus (*de machinationibus*) scripsere Diades, Architas , Archimedes, Cresibius, Nymphodorus, Philo Byzantius, *nec alium signat his verbis:* Philo scripserat de ædium sacrarum Symmetriis , & de armamentario quod fecerat Piræei portu. *Extat enim hodiéque liber eius ; quo primùm agit de fabrica turrium, murorum, aliarúmque munitionum; deinde exponit , quomodo se obsessi defendant , & quo pacto capiantur vrbes. Quamobrem* ὁ μηχανογράφος *Ioanni Tzetzæ nominatur Chiliade II. Histor. XXXV. Alicubi verò memini me legere , Philonem Byzantium* Ἀριστοτέλους γνώριμον *fuisse, sed excidit memoria Authoris.*

PHILONIS BYZANTII DE SEPTEM MVNDI MIRACVLIS.

SEPTEM mundi miracula famâ quidem omnes norunt, sed oculis vsurpant pauci: nam ad Persas traiecto Euphrate magnum iter instituendum; adeunda Ægyptus; diuertendum in Græciam ad Eleos; Halicarnassus Cariæ Ciuitas visenda; petenda naui Rhodus, & in Ionia Ephesus lustranda est; vt longis per orbem erroribus circumactus & itinerum labore fatiscens, tùm demum animi libidinem expleas, vbi annis defectum vita destituit. Quocirca admiranda profecto res est eruditio, & magni muneris loco habenda, quod hominibus itinerum difficultate liberatis, domi res præclaras

ΦΙΛΩΝΟΣ ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΕΠΤΑ ΘΕΑΜΑΤΩΝ.

ΤΩΝ ἑπτὰ θεαμάτων ἕκαστον φήμη μὲν γινώσκεται πᾶσιν, ὄψει δὲ οὐ πανὶ οἷς ὁρᾶται. δεῖ γὰρ εἰς Πέρσας ἀποδημῆσαι καὶ διαπλεῦσαι τὸν Εὐφράτην, καὶ πρὸς Αἴγυπτον ἐπελθεῖν, καὶ τοῖς Ηλείοις τὴν Ελλάδα ἐνεπιδημῆσαι, καὶ τὴν Καρίας εἰς Αλικάρνασσον ἐλεῖν, καὶ Ρόδῳ προσπλεῦσαι, καὶ τὴν Ιονίας πρὸς Εφεσον θεάσασθαι πλανηθέντα καὶ τὸν κόσμον, καὶ πρὸ κόπου τὴν ἀποδημίας ἐκλυθέντα, ὅτε πληρῶσαι πρὸς ἐπιθυμίαν, ὅτε καὶ τοῖς ἔτεσι τὴν ζῆν ὁδὸν παρώχηκεν διὰ τὸν θαυμασὸν παιδεία καὶ μεγαλόδωρον, ὅπου τὴν ὁδοιπορίας ἀπολύσασα τὸν ἄνθρωπον οἴκοι τὰ καλὰ δείκνυσιν ὄμματα τῇ ψυχῇ προσδιδοῦσα καὶ τὸ προσήδοξον. Ο μὲν γὰρ ἐπὶ τὰς πύρας ἐλθὼν ἅπαξ εἶδεν, καὶ παρελθὼν

præclaras ſpectandas exhibeat, dum oculos animo addit, & rem admiratione dignam iiſdem ſubiicit. Nam qui loca ipſa obit, ſemel hæc inſpicit, & ſimul atque diſceſſerit, obliuiſcitur, quod exquiſitam operum pulchritudinem penitus perſpectam non habeat, & particulares minutiæ memoriam fugiant. Sed qui rem dignam admiratione, & accuratam ſtructuræ diligentiam legendo cognoſcit, vniuerſum artis opus contemplatus, nunquam delenda ſingulorum ſimulacra menti impreſſa ſeruat, quod res inſuetas animo perſpexerit. Cæterum quod dico nequaquam à vero abhorrere videbitur, vbi mea oratio ordine ſeptem mundi miracula, quam diligentiſſime fieri poteſt, perluſtrans auditoris aſſenſum impetrauerit. Ita vt oculis coram inſpexiſſe ſibi videatur: Sola enim hæc cæteris rebus præclaris nomen laudémque præripuere, quas quidem mortales pariter vident, ſed non pariter mirantur. Nam pulchritudo, Solis inſtar, dum luce ſua præſtinguit, reliqua ſpectare non patitur.

ρελθὼν ἐπιλελῆσθαι τὸ γὰρ ἀκριβὲς τῶν ἔργων λανθάνει, καὶ περὶ τὰ κατὰ μέρος φεύγουσιν αἱ μνῆμαι. ὁ δὲ λόγῳ τὸ θαυμαζόμενον ἱστορήσας καὶ τὰς ἐξεργασίας τῆς εὐεργείας ὅλο ἐγκατοπτρισάμενος τὸ τῆς τέχνης ἔργων, ἀνεξαλείπτους φυλάσσει τοὺς ἐφ' ἑκάστου τῶν εἰδώλων τύπους, τῇ ψυχῇ γὰρ ἑώρακε τὰ παράδοξα. Ο δὲ λέγω φανήσεται πιστὸν ἐὰν τῶν ἑπτὰ Θεαμάτων ἕκαστον ὁ λόγος ἐφοδεύσας πείσῃ τὴν ἀκροατὴν ἐπινεῦσαι τὴν τῆς θεωρίας κομισάμενον δόξαν. καὶ γὰρ δὴ μόνον ταῦτα τῇ κοινῇ τῶν ἐπαίνω προσηγορία καλεῖται, βλεπόμενα μὲν ὁμοίως θαυμαζόμενα δὲ ἀνομοίως τὸ γὰρ καλὸν ἡλίῳ παραπλησίως οὐκ ἐᾶ τὰ λοιπὰ θεωρεῖν ὅτ' ἂν αὐτὸς διαλάμψῃ.

MIRACVLVM I.

PENSILIS HORTVS.

QVi pensilis vocatur hortus, sublatas à terra plantas habens, in aëre culturam capit. Quippe radices arborum in altum suspensæ contignationis vice terram operiunt. Cuius operis hæc descriptio est. Primùm lapideæ columnæ sustinendæ moli vniuersæ substructæ sunt: ita vt areæ totius spatium occupent insculptæ columnarum bases, δοκοὶ vel φοινικαὶ. Trabes deinde disponuntur ex palmis angusto admodum interuallo disiunctæ. Hoc autem ligni genus vnum ex omnibus cariem non sentit; idémque madefactum & ponderibus pressum sursùm versus recuruatur. Idipsum porrò radicum ramos & capillamenta nutrit aduentitiam concretionem intra laxitates suas & sinus admittens. Super his, vastâ & profundâ terreni mole ingestâ, arbores conseruntur latifoliæ, & incultu hortorum frequentes: tùm florum variæ & omnigenæ species, &, vt paucis complectar, quidquid & ad oculorum conspectum amœnissimum est, & ad fruendi voluptatem iucundissimum. Iam totus ille locus solidi agri instar obaratur, nec minus quàm cætera humus insitionum ac propagationum operis cedit. Ita fit, vt aratro subactus campus supra caput sit eorum qui inter subiectas columnas inambulant; ac dum superior terræ planities pedibus calcatur, haud aliter quàm

in

ΘΕΑΜΑ Α.

ΚΗΠΟϹ ΚΡΕΜΑϹΤΟϹ.

Ο Καλοῦμενος κῆπος κρεμαστὸς ὑπέργειον ἔχων τὴν φυτείαν ἐν ἀέρι γεωργεῖται, τοῖς ῥιζώμασι τῶν δένδρων ὑπεράνωθεν ὠροφωκὼς τὴν ἄρουραν. λίθινοι μὲν γὰρ κίονες ὑφεστήκασι, καὶ πᾶς ὁ κατάγειος τόπος ἐστὶ διὰ συλογλύφων. φοίνικες ἰδίᾳ κεῖνται δοκοὶ στενὴν παντάπασιν τὴν ἀνὰ μέσον ἀλλήλων κῶραν ἀπολείπουσαι. τὸ δὲ ξύλον τοῦτο μόνον τῶν ἄλλων οὐ σήπεται. βρεχόμενον δὲ καὶ τοῖς βάρεσι θλιβόμενον ἄνω κυρτοῦται. τρέφει δὲ τὰς διαφύσεις τῶν ῥίζων ἑαυτῷ προσλαμβανόμενον τοῖς ἰδίοις ἀραιώμασιν τὴν ἔξωθεν σύμφυσιν. ἐπὶ τούτων πολλὴ καὶ βαθεῖα, κατακέχυται γῆ καὶ τὸ λοιπὸν τὰ πλατύφυλλα, καὶ μάλιστα κηπευόμενα τῶν δένδρων ἐπιπέφυκε ποικίλαι δὲ καὶ παντοῖαι φύσεις ἀνθεον καὶ πᾶν ἁπλῶς τὸ κατὰ πρόσωπον ἐπιτερπέστατον καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν ἥδιστον. γεωργεῖται δὲ ὁ τόπος ὡς ἐπ' ἀρούραις, καὶ τὰς ἐργασίας τῆς μοσχείας κομίζεται τῇ χέρσῳ παραπλησίως. τὴν δὲ ἀπόσιμον ὑπὲρ κεφαλῆς εἶναι τῶν ἐπὶ τοῖς ὑποστύλοις περιπατούντων.

πατου

in locis profundi ſpiſſique ſoli immota, &, vt ita loquar, virgo maneat humus illa, quæ contignationi proximè inſidet: At aquarum ſcatebræ ex eminentibus manantes fontibus partim recto curſu per prona labuntur, partim vi eliſæ per flexus & ſpiras in altum emicant organorum quorumdam impulſionibus, per machinarum anfractus circumuolutæ. Sic in crebra & ampla conceptacula ſurſum collectæ totum irrigant hortum, & in altam terram depreſſas ſtirpium radices largo humore perfundunt, atque ita ſolum humectum perpetuò conſeruant. Hinc & herbæ pereni viriditate pubeſcunt, & arborum folia mollibus erumpentia ramis, aſſiduo rore & perflata gliſcentia, tenacius inhæreſcunt. Nam radices nunquam exſuccæ permeantem exſugunt aquam quæ per oppreſſas & in humum defoſſas illarum crates diſcurrens ſtabilem & compactam arborum indolem continet. Amœniſſimæ voluptatis & regalis munificentiæ prorſus iſtud eſt opus, in quo vis eſt rerum facta naturæ, dum agricolationis opera ſupra ſpectantium capita ſuſpenſa præbetur.

πατουμένης δὲ τῆς ἄνωθεν ἐπιφανείας, ὡς ἐπὶ τῶν βαθυγυιοτάτων τόπων, ἀκίνητος καὶ παρθένος ἡ πρὸς τοῖς ὀροφώμασιν μένει ἡ γῆ αἱ δὲ τῶν ὑδάτων ἀγωγαὶ τὰς πηγὰς ἐξ ὑπερδεξιων ἔχουσαι, τόπων, τῇ μὲν εὐθυδρομον καὶ καταντη ποιοῦνται τὴν ῥύσιν, τῇ δὲ ἀναθλιβόμεναι κοχλιοειδῶς ἀνατροχάζουσιν, ἀνάγκαις ὀργανικαῖς τὸν ἕλικα τῶν μηχανημάτων περιτροχάζουσαι. εἰς δὲ πυκνὰς καὶ μεγάλας ἐξαιρόμεναι κρήνας ὅλον ἐπάρδουσι τὸν κῆπον μεθύσκουσαι τῶν φυτῶν τὰς κατα βατοὺς ῥίζας, καὶ νοτερᾶν τηροῦσαι τὴν ἄρουραν. ὅθεν εἰκότως ἀειθαλής ἐστιν ἡ πόα καὶ τὰ πέταλα τῶν δενδρων ἁπαλοῖς τοῖς ἀκρεμόσιν ἐπιπεφυκότα δροσοπαγῆ καὶ διήνεμον ἔχει τὴν φύσιν. ἄδιψος γὰρ ἡ ῥίζα τηρουμένη τὴν παρατροχάζουσαν τῶν ὑδάτων νοτίαν ἀναθηλάζει καὶ ῥεμβομένη καταγείοις ταῖς δι' ἀλλήλων ἐμπλοκαῖς ὀχὸν καὶ βεβηκυῖαν ἀσφαλῶς τὴν φυὴν τῶν δενδρων συμφυλάσσει σπάταλων καὶ βασιλικὸν τὸ φιλοτέχνημα καὶ τὸ πλεῖστον βιαιον, τὸν πόνον τῆς γεωργίας ὑπὲρ κεφαλῆς κρεμάσαι τῶν θεωρούντων.

MIRACVLVM II.

PYRAMIDES IVXTA Memphin.

MEmphiticarum Pyramidum ſtructura, quidem ſupra hominum vires, deſcriptio autem præter eorumdem opinionem: ſunt enim montes montibus ſuper impoſiti, nec facilè animus concipit, quomodo ingentes quadratorum lapidum moles, potuerint eleuari, dubitantibus cunctis qua machinarum vi tam vaſta operum pondera commota fuerint. Suppoſita autem baſi quadrangulari, ſaxa quidem illa, quæ operi ſuſtentando humi defoſſa ſunt, ſuperſtructiones exteriores ordine decreſcentes magnitudine æquant, opuſque vniuerſum ſenſim in Pyramidem, & acuminis figuram coit: cuius altitudo eſt cubitorum trecentorum, ſex vero ſtadiorum ambitus. Totum opus iuncturis tam aptè commiſſum eſt, adeoque perpolitum, vt ſtructura vniuerſa ex vno ſaxo concreta videatur: lapidum vero diuerſa genera inuicem ſunt coniuncta; hîc quidem petra candida

ΘΕΑΜΑ Β.

ΑΙΕΝ ΜΕΜΦΕΙ ΠΥΡΑΜΙΔΕϹ.

ΤᾺς ἐν Μέμφει πυραμίδας κατασκευάσαι μὲν ἀδύνατον, ἱστορήσαι δὲ παράδοξον ὄρη γὰρ ὄρεσιν ἐπιδεδώμηται, καὶ τὰ μεγέθη τῶν τετραπέδων κύβων δυσεπινόητον ἔχει τὴν ἀνάγκην. ἑκάστου διαποροῦντος τίς βίαις τὰ τηλικαῦτα βάρη τῶν ἔργων ἐμοχλεύθη. τετραγώνου δὲ τῆς βάσεως ὑφεστώσης οἱ μὲν κατώρυχες λίθοι τὴν θεμελίωσιν ἔχουσιν ἰσομεγέθη τοῖς ὑπεργείοις ὕφεσι τοῦ κατασκευάσματος ἑκάστου, καὶ κατ' ὀλίγον συναγεται τὸ παῦ ἔργον εἰς πυραμίδα, καὶ γνώμονος σχῆμα. καὶ τὸ μὲν ὕψος ἐστὶ πήχεων τριακοσίων, ἡ δὲ περίμετρος σταδίων ἓξ σύναρμον δὲ καὶ κατεξέσμενον τὸ παῦ ἔργον, ὥστε δοκεῖν ὅλου τοῦ κατασκευάσματος μίαν εἶναι πέτρας συμφυΐαν. ποικίλαι δὲ πορφύραι λίτων φύσεις ἀλλήλαις ἐπιδεδώμηνται καὶ τῇ μὲν ἐστιν ἡ πέτρα λευκὴ καὶ μαρμαρίτις, τῇ δὲ Αἰθιοπικὴ καὶ μέλαινα, καὶ μετα ταύτην ὁ καλούμενος αἱματίτης λίθος. εἶτα ποικίλος καὶ διάχλωρος ἀπὸ τῆς Αραβίας

ὡς

& marmorea, illic Athiopica & nigra; hanc hæmatites, vt vocant, lapis excipit; illum deinde varius & ex viridi translucidus ex Arabia, vt ferunt, allatus. Nonnulli vitreum colorem ex cæruleo splendescentem imitantur Et post hosce alij mali, instar, quasi flauescunt; Purpurei alij coloris sunt, haud absimiles iis qui marino conchyliorum murice inficiuntur. Cæterum stupori delectatio, admirationi artis præstantia, opumque profusioni magnificentia coniuncta est, & altitudo quidem ascensus iusti itineris instar defatigat. Si quis autem in summo vertice consistens deorsum prospiciat, oculorum caligat vertigine: Colorum gratissimæ varietati impensarum magnificentiam regiæ opes adiunxerunt. Glorietur fortuna, dum credit se profusis sumptibus ipsa quoque sydera contingere posse: Per huiusmodi enim opera, vel homines ascendunt ad Deos, vel Dij ad homines descendunt.

MIRA

ὡς φασι κεκομίσμενος. ἐνίων δὲ ὑλαλίζουσιν αἱ κρόαι κυαναυγῆ τὴν φύσιν ἔχουσαι. καὶ μετὰ τούτους ὡσεὶ μηλοβαφὲς ἐστιν. ἄλλων δὲ πορφυρίζει τὸ κρῶμα, καὶ τοῖς διὰ τῶν κοχγυλίων θαλασσοβαφουμένοις ἐξομοιοῦται. πρὸς δὲ τῷ μὲν καταπληκτικῷ τὸ τερπνὸν, τῷ δὲ θαυμαστῷ τὸ φιλότεχνον, τῷ δὲ πλουσίῳ τὸ μεγαλεῖον. καὶ τὸ μὲν τῆς ἀναβάσεως. μέγεθος ὁδοιπορίας ἔχει κόσμον. ἡ δὲ ἐπὶ τῆς κορυφῆς στάσις σκοτοῖ τὰς ὄψεις τῶν εἰς τὰ βάθη καταθεωρούντων τῆς προσόψεως. τῇ κάριτι τῶν κρωμάτων τὴν πολυτέλειαν τῆς κορηγίας βασιλικῷ πλούτῳ παρύφαγκον. καυχάσθω τύχη πιστεύουσα ταῖς ἐξυπηρετουμέναις δαπάναις καὶ τῶν ἄστρων ἐφάψασθαι. ἢ γὰρ ἄνθρωποι διὰ τῶν τοιούτων ἔργων ἀναβαίνουσι πρὸς θεοὺς, ἢ θεοὶ κατάβαινουσι πρὸς ἀνθρώπους.

MIRACVLVM III.

IVPITER OLYMPIVS.

IOui in cœlo quidem Saturnus, in Elide Phidias pater est Namillum natura immortalis genuit, hunc Phidiæ manus, quæ solæ Deos parere potuerunt Felix qui solus mundi Regem vidit, & fulminatorem illum aliorum expositi oculis Si tamen Iouem Phidiæ filium vocari pudet, Ars sanè imagini ipsius mater fuit. Eum in finem natura Elephantos produxit, vt Phidias sectos belluarum dentes manu fingeret, & Africa Elephantorum gregibus abundè materiam operi sufficeret. Et cætera quidem ex septem miraculis admiratione, solum hoc autem & veneratione prosequimur. Nam quatenus artis opus, admirabile est, quatenus Iouis simulacrum, sacrosanctum. Quapropter labor quidem laudem habet, immortalitas verò cultum. O tempora Græciæ, quæ & opibus ad Deorum ornamenta longè vltra sequentia sæcula abundarunt, & artificem habuere. Immortalitatis authorem, cui similem nulla imposterum

ΘΕΑΜΑ Γ.

ΖΕΥϹ ΟΛΥΜΠΙΟϹ.

Διὸς Κρόνος μὲν ἐν οὐρανῷ, Φειδίας δὲ ἐν Ηιλιδι πατήρ ἐστιν ὃν μὲν γὰρ ἀθάνατος φύσις ἐγένησεν, ὃν δὲ Φειδίου χεῖρες μόναι δυνάμεναι θεοὺς τίκτειν. μακάριος ὁ καὶ θεασάμενος τὸν βασιλεα τοῦ κόσμου, μόνος καὶ δοξαι δυνήθεις ἄλλοις τὸν κεραυνοῦχον εἰ δὲ αἰσχύνεται Ζεὺς Φειδίου καλεῖσθαι, τῆς μὲν εἰκόνος αὐτοῦ γέγονεν ἡ τέχνη μήτηρ. διὰ τοῦθ' ἡ φύσις ἤνεγκεν ἐλέφαντας ἵνα Φειδίας τεμῶν τοὺς τῶν θηρίων ὀδόντας χορηγήσῃ, καὶ τὴν εἰς τὸ κατασκευάζομενον ὕλην ἀγέλαις ἐλεφαντων ἡ Λυβίη δαψιλεύηται τοιγαροῦν, τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἐπτὰ θεαμάτων θαυμάζομεν μόνον, τοῦτο δὲ καὶ προσκυνοῦμεν. ὡς μὲν γὰρ ἔργον τέχνης παράδοξον, ὡς δὲ μίμημα Διὸς ὅμοιον. ἔχει τοίνυν ὁ μὲν πόνος ἔπαινον, ἡ δ' ἀθανασία τιμὴν. ὦ καιρὲ τῆς Ἑλλάδος, καὶ πλουτήσας εἰς θεῶν κόσμον ὁπόσον οὐδεὶς ὕστερον ἐπλούτησεν, καὶ τεχνίτην ἔχων δημιουργὸν ἀθανασίας ὁπηλίκον ὁ μεταγενέστερος βίος οὐκ ἐνήνοχεν. καὶ δεῖξαι δυνήθεις ἀνθρώποις θεῶν ὄψεις ἃς ὁ μὲν παρὰ σοι θεα-

posterum ætas tulit, Deorum quoque aspectus mortalibus ostendere potuerunt, quos quicunque apud te spectauerit, apud alios non temerè videat. Et Olympum quidem longissimo interuallo Phidias superauit, quantùm scilicet opinioni euidentia, narrationi cognitio, visus auditui præstat.

MIRACVLVM IV.

COLOSSVS RHODIVS.

RHodus Insula alto in mari iacet, quam olim in fundo demersam Sol in lucem protulit, detectam sibi propriam à Diis postulans. Hîc septuaginta cubitorum stat Colossus, ad Solis instar effictus: Dei enim effigies ex signis illi propriis agnoscitur. Artifex tantum æris operi impendit, quo metalla deficere potuissent. Nam in conflando opere vniuersi orbis æraria aderat. Nunquid verò Iupiter Rhodios immensis opibus inundauit, vt eas Solis honori, numinis simulacrum è terra ad cœlum vsque educere aggressi impenderent. Hunc opifex extrinsecus quidem iuncturis ferreis & quadratis lapidibus communi

σάμενος, παρ' ἄλλοις ἰδεῖν οὐκ ἂν δυνηθείη. καὶ γὰρ δὴ τὸν μὲν ὄλυμπον ὅσον ὑπονοίας μὲν ἐνάργεια, ἱστορίας δὲ γνῶσις, ὄψις δ' ἀκοῆς ἔστι βελτίων.

ΘΕΑΜΑ Δ.

Ο ΕΝ ΡΟΔΩ ΚΟΛΟΣΣΟΣ.

Ρόδος ἐστὶ πελαγία νῆσος ἣν τὸ παλαιὸν ἐν βυθῷ κρυπτομένην ἥλιος ἀνέδειξεν αἰτησάμενος παρὰ θεῶν ἰδίαν γενέσθαι τὴν ἀναφανεῖσαν. ἐν ταύτῃ κολοσσὸς ἔστη πήχεων ἑβδομήκοντα διεσκευάσμενος εἰς ἥλιον. ἡ γὰρ εἰκὼν τοῦ θεοῦ μόνοις ἐγινώσκετο τοῖς ἐξ ἐκείνου τοσοῦτον δ' ὁ τεχνίτης ἐδαπάνησεν χαλκὸν ὅσος σπανίζειν ἤμελλεν τὰ μέταλλα. τὸ γὰρ χώνευμα τοῦ κατασκευάσματος ἐγένετο χαλκούργημα τοῦ κόσμου. μήποτε δὲ τοῦτο ὁ Ζεὺς Ροδίοις θεσπέσιον κατάκευε, πλοῦτον, ἵνα τοῦτον εἰς τὴν ἡλίου δαπανήσωσι τιμήν, τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ ταῖς ἐπιβολαῖς ἀπὸ γῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβιβάζοντες; τοῦτον ὁ τεχνίτης ἔσωθεν σχεδίαις σιδηραῖς καὶ τέ-

communiuit, quorum vectes, queis interstitia coagmentantur, Cyclopum malleis videntur elaborati. Et quicquid operis in occulto latet, maius est eo quod cernitur. Dubitat enim admiratione defixus spectator, queis forcipibus, vel cuiusmodi suppositis incudibus, aut quali operarum robore tam vasta ferramentorum pondera cudi ac conflari potuerint. Cæterum basi ex candido marmore supposita, primum illi pedes Colossi ad talos vsque imposuit, quod proportionem iam animo concepisset, quovsque septuaginta cubitorum Deus esset exsurrecturus Sola enim pedis planta alias statuas iam excedebat. Itaque cætera aliunde allata super imponi non poterant. Sed tali erant super affundendi; vt sicut in ædium structuris vniuersum opus in semetipso exurgeret, atque eam ob causam reliquas quidem statuas artifices prius effingunt deinde membratim diuisas conflant, tandémque in vnum compositas erigunt: hic autem parti prius fusæ alterum membrum affictum, & hinc conflato tertium superadditum, & sequens deinde membrum rursus eodem artificio elaboratum fuit.

Neque

τραπέδοις διησφαλίσατο λίθοις ὧν οἱ διά-
πηγες μοχλοὶ Κυκλώπιον ἐμφαίνουσι ῥαιστη-
ροκοπίαν καὶ τὸ κεκρύμμενον τοῦ πόνου τῶν βλε-
πομένων μεῖζων ἐστὶν ἐπαπορεῖ γὰρ ὁ θαυ-
μαστὸς τῶν θεωρούντων ποίαις πυράγραις,
ἢ πηλίκαις ὑποστάσεσιν ἀκμόνων ἢ ποτα-
παῖς ὑπηρίτων ῥώμαις τὰ τηλικαῦτα βά-
ρη τῶν ὀβελίσκων ἐχαλκεύθη ὑποθεὶς δὲ βά-
σιν ἐκ λευκῆς καὶ μαρμαρίτιδος πέτρας ἐπ'
αὐτῆς μέχρι τῶν ἀστραγάλων πρώτους ἤρεισε
τοὺς πόδας τοῦ ἐνλοσσοῦ, νοῶν τὴν συμμε-
τρίαν ἐφ' ὧν ἤμελλε θεὸς ἑβδομηκοντάπηχυς
ἐγείρεσθαι. τὸ γὰρ ἔχνος τῆς βάσεως ἤδη τοὺς
ἄλλους ἀνδριάντας ὑπερέκυπτεν. τοιγαροῦν οὐκ
ἐνῆν ἐπιθεῖναι βαστάσαντα τὸ λοιπὸν, ἐπι-
χωνεύειν δ' ἔδει τὰ σφυρὰ, καὶ καθάπερ
ἐπὶ τῶν ᾠκοδομουμένων, ἀναβῆναι τὸ πᾶν
ἔργον ἐπ' αὐτοῦ καὶ διὰ τοῦτο τοὺς μὲν ἄλλους
ἀνδριάντας οἱ τεχνῖται πλάσσουσι πρῶτον, εἶτα
κατὰ μέλη, διελόντες χωνεύουσιν καὶ τέλος
ὁλουσυνθέντες ἔστησαν οὗτος δὲ τῷ πρώτῳ χω-
νεύματι τὸ δεύτερον ἐπιπέπλασθαι καὶ τούτῳ
χαλκουργηθέντι τὸ τρίτον ἐπιδεδώμηται καὶ
τὸ μετὰ τοῦτο πάλιν τὴν αὐτὴν τῆς ἐργα-
σίας ἔσχηκεν ἐπίνοιαν οὐ γὰρ ἐνῆν τὰ μέλη τῶν
μετάλλων κινῆσαι τῆς χωνείας δὲ γενομένης
ἐπὶ τῶν προτετελεσμένων ἔργων αἵτε διαι-

Neque enim singula membra ærea loco moueri potuissent. Verùm cum super operis parte iam perfecta fusura fieret & vectium interstitia & iuncturarum compages seruabatur, & saxa ad continendum opus apposita, eo reddebantur firmiora: sed vt operis formam immotam semper animo seruaret, absolutis hoc modo Colossi membris, ingentem vim terræ ac pulueris circum affudit, partem operis iam perfectam quasi sub terra occultans, vt sequentia in plano conflaret; ascendens paulatim ad extremum spei fastigium & æris quidem quingentis, ferri autem trecentis talentis consumptis Deum Deo similem fecit. Magnum opus audaci animo librans. Nam in mundo alterum Solem Soli opposuit.

MIRACVLVM V.

MVRI BABYLONIS.

SEmiramis ad maiestatem & splendorem Regium abundauit diuitiis. Idcirco moriens pro thesauro orbis miraculum reliquit. Nam muris Babylonem cinxit, iactis

ρέσεις τῶν μοχλῶν καὶ τὸ πῆγμα τῆς σχεδίας ἐτηρεῖτο, καὶ τῶν ἐντιθεμένων πετρῶν ἠσφαλίζετο τὸ σήκωμα ἵνα διὰ τῆς ἐργασίας τηρήσῃ τὴν ἐπίνοιαν ἀσάλευτον ἀεί. τοῖς ὄπω συντελεσθεῖσι μέλεσι τοῦ κολοσσοῦ χοῦν γῆς ἄπλατον περιχέων. κρύπτων τὸ πεπονήμενον ἤδη κατάγειον τὴν τῶν ἐχομένων ἐπιπόδων ἐποιεῖτο χωνείαν. ἐκ δὲ τοῦ κατ' ὀλίγον ἀναβὰς ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς ἐλπίδος. καὶ πεντακόσια μὲν χαλκοῦ τάλαντα δαπανήσας, τριακόσια δὲ σιδήρου τῷ θεῷ τὸν θεὸν ἴσον ἐποίησεν. μέγα τῇ τόλμῃ βαστάσας ἔργον. ἥλιον γὰρ δεύτερον ἀντέθηκεν τῷ κόσμῳ.

ΘΕΑΜΑ Ε.

ΤΕΙΧΗ ΒΑΒΥΛΩΝΟϹ.

Σεμίραμις ἐς βασιλικὴν ἐπλούτησεν ἐπίνοιαν. τοιγαροῦν ἀπέθανεν θεάματος θησαυρὸν ἀπολείπουσα. Βαβυλῶνα γὰρ ἐτείχισεν τριακοσίων ἐξήκοντα σταδίων βαλλομένη θεμε-

iactis trecentorum sexaginta stadiorum fundamentis. Ita vt ambitus vrbis cursorem diurnum defatigare posset, sed non in magnitudine solùm, verùm etiam in soliditate structuræ & in latitudine interstitiorum admirabilitas consistit Nam ex latere cocto & bitumine extructus est: Et muri quidem altitudo quinquaginta cubitos superat; Curriculorum verò ea est latitudo, vt quatuor currus quadriiuges vno eodémque tempore pertranseant. Turres crebræ ac continuæ, & amplitudine sua numerosi exercitus capaces; quocirca Ciuitas illa Persidis propugnaculum est, & vniuersum quodammodo orbem in se complecti videtur; tot hominum Myriades intra vniuersum eius ambitum habitant; Aliæ verò Ciuitates vix tantum terræ spatium excolunt, quantum Babylon habitationibus occupat. Et illîc solùm incolæ intra mœnia peregrinantur.

λίωσιν. ὥστε τὴν περίμετρον τῆς πόλεως ἡμεροδρόμου κόσμον ἔχειν. ἔστι δ' οὐκ ἐν τὸ μεγέθει μόνον τὸ θαυμαστὸν ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν ἀσφάλειαν τῆς οἰκοδομίας, καὶ περὶ τὰ πλάτη τῶν μέσων τόπων. ὀπτῇ γὰρ πλίνθῳ ἀσφάλτῳ δεδώμηται. καὶ τὸ μὲν ὕψος ἐστι τοῦ τείχους πλέον ἢ πεντήκοντα πήχεων. τὰ δὲ πλάτη τῶν παραδρομίδων ἅρματα τέτρωρα τέσσαρα κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν δυιππεύει. πολύστατοι δὲ καὶ συνεχεῖς οἱ πύργοι δέξασθαι τοῖς χωρήμασι δυνάμενοι στρατοπέδου πλῆθος. τοιγαροῦν ἡ πολις ἐστὶ τῆς Περσίδος προτείχισμα. καὶ λέληθεν ἐν αὐτῇ τὴν οἰκουμένην κατακεκλεικυῖα. τοσαῦται μυριάδες ἀνθρώπων τὸν ὅλον αὐτῆς κύκλον κατοικοῦσιν. ἠλίκην δὲ δυσκόλως ἄλλοι χῶραν γεωργοῦσιν, τηλικαύτην Βαβυλῶν οἰκουμένην ἔχει. καὶ παρὰ μόνοις ἐκείνοις ἐντὸς τοῦ τείχους ἀποδημοῦσιν κατοικοῦντες.

MIRACVLVM VI.

TEMPLVM DIANÆ Ephesiæ.

DIanæ Ephesiæ templum vnicum est Deorum domicilium. Quisquis enim spectauerit, credet permutatis inuicem locis mundum cœlestem immortalium Deorum in terras demigrasse. Nam Gigantes, vel Aloidæ, cœlum ascendere aggressi, aggestis montibus non templum, sed Olympum struxere, ita vt labor inceptum ars laborem audacia superet. Artifex enim dimoto solo quod suberat, actisque in immensam profunditatem fossis fundamenta altioribus cuniculis iecit ita vt montium lapicidinas operibus subterraneis exhauriret, sed strato inconcussæ stabilitatis firmamento, & præsuppositio Atlante ad super incubituri operis pondera sustinenda, principio quidem crepidinem decem graduum extrinsecus potuit erecto pro basi eleuatiore.....

DESVNT MVLTA.

ΘΕΑΜΑ Ζ.

Ο ΕΝ ΕΦΕCΩ ΝΑΟC ΤΗC ἀρτεμιδος.

Ο τῆς Αρτέμιδος ναὸς ἐν Ἐφέσῳ μόνος ἐστὶν θεῶν οἶκος πειστήσεται γὰρ ὁ θεασάμενος τὸν τόπον ἐνηλλάχθαι, καὶ τὸν οὐράνιον τῆς ἀθανασίας κόσμον ἐπὶ γῆς * ἀπηγθεῖσθαι. Γίγαντες γὰρ ἢ τῶν Ἀλωέως παιδῶν οἱ τὴν εἰς οὐρανὸν ἀνήβασιν εἰργάσαντο ὄρεσι χωννύοντες τὸν οὐ ναὸν ἀλλ' Ὀλυμπον, ὥστε τῆς μὲν ἐπιβολῆς τολμήροτερον εἶναι τὸν πόνον, τοῦ πόνου δὲ τὴν τέχνην τὸ γὰρ ἔδαφος τῆς ὑποκειμένης γῆς λύσας ὁ τεχνῖτης, καὶ τὰ βάθη τῶν ὀρυγμάτων καταβιβάσας εἰς ἄπειρον ἔβαλετο τὴν κατώρυχα θεμελίωσιν ὀρῶν λατομίας δαπανήσας εἰς τὰ κατὰ γῆν καλυπτόμενα τῶν ἔργων ἐρείσας. δὲ τὴν ἀσφάλειαν ἀσάλευτον καὶ προυποθεὶς τὸν Ἄτλαντα τοῖς βάρεσι τῶν μελλόντων ἐπαπερείδεσθαι. πρῶτον μὲν ἔξωθεν ἐβάλετο κρηπίδα δεκάβαθμον διεγείρων πρὸς βάσιν μετεωροφανὲς καὶ περί.....

ΛΕΙΠΕΙ ΠΟΛΛΑ.

* Vox nihili Allatius ἐπειρεῖσθαι fortè ἀποιήθεσθαι.

Haec Oratio extat etiam in Miscell. 30 = 105. §. 11.

DIONYSII
SALVAGNII BOESSII
EQVITIS DELPHINATIS

LVDOVICI XIII.

Regis Francorum & Nauarræ
Christianissimi

AD VRBANVM VIII.

P. M. ORATORIS,

Oratio habita Romæ in Aula Regia
Vaticana 25. Iulij 1633.

CAROLO CREQVIO

Lesdigueriarum Duce, Poessij Principe, Franciæ Pari & Mareschallo, eidem Summo Pontifici Regis nomine obedientiam præstante.

ORATIO.

SERIVS fortasse quam par esset, Beatissime Pater, hanc Legationem Ludouicus Rex Francorum, & Nauarræ Christianissimus ad te misisse videretur, nisi

nisi diuino planè consilio dilata fuisset in hanc diem, vt mora illa insigni aliquo erga sacrosanctam Sedem Apostolicam beneficio rependeretur. Quemadmodum enim Magi natum summi rerum omnium conditoris Filium veneraturi, eum absque muneribus adire nefas esse duxerunt, ita quoque tibi eius in terri Vicario, Ludouicus obedientiam more maiorum præstiturus, non satis sibi visus est ex officio facturus, nisi Sanctitati tuæ munus offerret, quo nullum maius, & Regia munificentia dignius dari, vel excogitari possit. Spolia nimirum, ac trophæa perduellium hæreticorum quibus in profligandis, nisi iam ante inaugurationem tuam occupatus fuisset, tibi dubium esse non debet, quin vti principem inter Ecclesiæ filios, nemine dissentiente, locum obtinet sic etiam tibi præ cæteris affectum suum exhibuisset. Iis enim se maioribus ortum esse meminit, qui summo semper Religionis Catholicæ non tantum ornandæ, ac tuendæ, sed etiam longè, latéque propagandæ studio flagrauerunt. Quamobrem nisi Ludouici ipsius pietas copiosam differendi materiam mihi suppeditaret, acerrimos illos Pontificiæ

Sedis

Sedis propugnatores Martellos, Pepinos, & Carolos in medium producerem, qui Gregorios, Stephanos, & Hadrianos ab iniuria Luithprandorum, Astulphorum, & Desideriorum vindicauerunt. Memoria repeterem aliorum insignia in Vrbanos, Paschales, Gelasios, Calixtos, Innocentios promerita. Recenserem ciuitates, & prouincias, quas eorum liberalitate Summi Pontifices consequuti sunt. Referrem quàm sæpè Saracenos infensissimam nomini Christiano gentem Franci profligarint. Extollerem celeberrimas illas expeditiones pro natali IESV CHRISTI solo vindicando susceptas. Dicerem in fatis habere fore, vt aliquando illorum armis subigantur, ac deleantur. Celebrarem Lilia cœlitus missa, quæ vel sacrarum literarum auctoritate nunquam laborant. Vexillum illud flammeum, quod in præliis certissima victoria sequebatur. Chrisma, quo Rhemis iniunguntur. Commemorarem peculiarem illam, ac prope Diuinam scrophulis medendi facultatem, quam hæreditario iure salutaribus eorum manibus inesse tot sæculorum experientia comprobauit. Prædicarem denique tantam Regni diuturnitatem,

tatem, quantam in hanc diem nulli contigisse meminimus. Quæ verò singularem illum Dei fauorem prouocasse causa videtur, quam summus Franciæ Regum erga decessores tuos honor, & obseruantia. Cùm enim Deus ipse longioris æui mercedem liquidò proposuerit iis, qui debitam parentibus obedientiam deferunt: Nónne præmium simile consequi par est eos, qui te communem omnium parentem, & Ecclesiam matrem summoperè colunt, ac venerantur? Neque verò tantum diuturnitate Regni Francia præ cæteris gloriari, sed illud etiam peculiare, & proprium sibi vindicare potest, quod cum reliquæ omnes orbis terrarum nationes domitoribus exteris aliquando paruerint, ipsa nullos vnquam Reges præter conterraneos, & indigenas habuerit; vt non minus eleganter, quam verè Franciam Heroum genitricem, fœcundam bellicis palmis, inclytam Regibus ipse nuncupaueris. Verum multò plura, tum pietatis Regum nostrorum erga Deum, tum beneficiorum in ipsos à Deo collatorum argumenta recensérem, nisi Ludouicus ipse tantis maiori-

Verba sùt ipsius Vrbani hymno suo tam eleganti in B. Ludouicum.

bus, tantisque promeritis dignissimum se præstaret. Res enim à proauis præclarè gestæ, & ea omnia, quæ ipsi non fecimus aliena sunt, plerumque progenitorum virtutes nepotum degenerum notæ sint, nec aliud quicquam horum maculas magis patefaciat, quam illorum splendor, ac gloria. Mittam igitur ornamenta illa, quæ Ludouici propria non sunt, vt ad ea veniam, quæ suo ipse labore, studio, pietate, & iustitia comparauit, quorum fulgor oculis meis tantus oboritur, vt vehementer addubitem, ipse ne maioribus suis, an maiores plus ipsi decoris attulerint. Enimverò simul atque Regni gubernacula susceperit, nihil prius, atque antiquius habuit, quàm vt pulcherrimum illud Christianissimi cognomen maiorum suorum virtute partum pro virili tueretur, & tetram eorum nationem, qui tùm Regiam auctoritatem conuellere, tum florentissimum Regnum ab Ecclesiæ communione diuellere conabantur, extinctum iret. Magnæ quidem molis id erat. Nam quæ spes eos profligatum iri, quos neque tot pugnæ, neque tot Regum conatus extirpare potuerant?

Vrbes

Vrbes eorum quamplurimæ,& munitiſſima caſtella expugnanda erant, prælia cum illis committenda,quibus Chriſtiana res in ſummum diſcrimen adduceretur,hoſtem in exitium patriæ aduocatum iri certum erat, denique quidquid ex vtraque parte periret, vni Regi periret, cuius ideò viſceribus inferri vis quodammodo videbatur. Vicit nihilominus Dei cauſa populi cauſam, periculum pietas, propriumque dolorem Religionis amor. Itaque rem Ludouicus aggreſſus eſt, quam fruſtra Franciſcus ſecundus,Carolus nonus, Henricus tertius tentauerant, Henricus Magnus nondum meditari fas eſſe ducebat. Quid enim difficile Iuſto, quem vti palmam florere Diuinorum oraculorum auctoritas euincit? Vix autem ſuſcepta eſt in Benearnenſes gentem præ cæteris hæreticæ peſtis afflatu contaminatam expeditio, cum celeritate incredibili, parique felicitate confecta eſt, ibíque maiorum Religio poſt quinquageſimum exilij ſui annum iure poſtliminij reſtituta. Tum hæreticos exterritos rebus ſuis præcauere, arces caſtella munire, militem conſcribere, denique

omnia bello parare, verum biennij ſpatio ſupra centum & quinquaginta ciuitates, partim vi, partim deditione Regis imperium acceperunt. Rupella tamen illa toto terrarum orbe celeberrima, Rupella non minus ciuium ſuorum peruicacia, quam naturæ munimentis inexpugnabilis, triplici murorum cinctu, firmiſſimis aggeribus, creberrimis turribus, profundiſſimis foſſis, at multò magis oceano æſtuante conſiſa, viréſque ſuas olim experta iugum detrectabat. Hæc vbi ſe peti animaduertit, Franciæ ruinam, & luctuoſum exitium pacta, Britannos centum & viginti roſtratarum nauium claſſe ſuccinctos in Inſulam Cracinam euocat, vnde tertio poſt obſidionis menſe, magna priùs accepta clade, turpiter exiguntur. Ludouicus interea conſilio Eminentiſſimi Cardinalis Ducis Richelij, ad æternam Franciæ, & Eccleſiæ gloriam nati potiſſimùm fretus, obſidioni Rupellanæ incubuit, de qua dicturus quid primum, quid poſtremum eloquar. Certè nihil eloqui, quam rei geſtæ magnitudinem omni eloquentia maiorem ingenij mei culpa deterere

ſatius

ſatius eſſe duco. Nam quæ Marcellus ad Syracuſas, ad Carthaginem vtramque Scipiones, Alexander ad Tyrum memoriæ conſignata geſſere, collata cum iis quæ Ludouicus ad Rupellam geſſit, longè minora cenſebuntur. Illis videlicet arces dumtaxat oppugnandæ; huic præter arcis oppugnationem, ternæ Britannorum claſſes fundendæ, atque ipſum præterea mare ſubigendum fuit. Deinde quid Rupella ferocius, quid inſolentius? Illa tamen ob ipſos auxiliariæ Britannorum claſſis oculos debellata eſt. Illud nobile maris occidui emporium ſubrutis ab imis fundamentis eius mœnibus, ac foſſis complanatis expugnatum eſt, cæteriſque munitiſſimis Europæ ciuitatibus documento fuit, nullam arcem tam munitam eſſe, quam Ludouici virtus expugnare non poſſit. Illud hæreſeos propugnaculum corruit, & cum eo proſtrata rebellio, proſtrata eſt hæreſis ipſa, quæ per totos ſeptuaginta annos Franciam cladibus atrociſſimis diſtraxerat. vt quot annos populus Iſraëliticus apud Babylonios graui ſeruitute conflictatus, ac tandem liberatus eſt, tot etiam religio Ca-

tholica variis procellis apud Francos agitata, Vrbano VIII. clauum in Ecclesia tenente, tandem emersérit. O victoriam statuis, trophæis, obeliscis, & arcubus dignissimam! Victoriam, quæ sæculis elapsis pudori, nostris ornamento, posteris admirationi futura est. Neque verò tantùm domi, sed etiam foris Ludouici potentissimi virtus enituit. Sepultis enim bellis intestinis, & coalescentibus tandem in vnum ciuilis societatis corpus Franciæ membris, quæ tam diuturna bellorum, temporumque series fœdissimè laxauerat, cùm fœderatis eius in Italia Principibus bellum illatum esset, annon ille strenuus oppressorum vindex, media hieme, nondumque puluere, quem in obsidione Rupellana collegerat excusso, Alpium claustra præcipitiis horrida, niuibus obstructa rupibus inuia peruasit, & solo nominis terrore, quod est pulcherrimum victoriæ genus, pacem Italiæ dedit, tanta celeritate, vt euolasse, non iter fecisse videretur, & aduentus nuntios victoriæ nuntij præcesserint. Bello tamen denuò post aliquot menses ingrauescente, nónne rursus Italia pari

Franco

Francorum, ac præsertim celebratæ illius Delphinatum nobilitatis aduentu liberata est, ea Ludouici Regis inuictissimi gloria, vt publicæ quietis, & pacis assertor meritò proclametur Ecquis verò numinis Diuini dextera manifestò duci non credat, eum quem victoria quasi clientelæ iure sequitur, ad quem non minus lauri, quam lilia pertinere videntur. Qua enim vigilantia, quo labore, quanta alacritate, quot denique periculis bella ex bellis confecit. Certè id ætatis tot ac tanta gessisse prodigij cuiusdam haud absimile est. Neque enim suis dumtaxat auspiciis per legatos, sed sua ipse manu, suoque ductu rem gerere solitus est, vt se talem omninò præstet, qualem à Deo Regem Israëlitas obtinuisse traditum est. Nonne B. Ludouico progenitore dignissimum profitebimur eum, cuius continentia & insignis tum corporis tum mentis puritas tantò maiori admiratione digna est, quantò rarius ea virtute Principes ornari student, Eum, inquam, B.P. qui non sine arcano Dei consilio, vicesimus ab illo regnat. Enimverò nescio qua Numinis prouidentia comparatum est,

Et iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella pro nobis.

Reg. 1. cap. 8. vers. 20.

vt viceſimus quiſque à Principe Regum Franciæ Chriſtianorum Clodoueo ſanctitatis laudem conſecutus ſit: Ab eo ſiquidem Carolus Magnus, ab illo B. Ludouicus, ab hoc Ludouicus noſter continua Regum ſerie viceſimus imperat, quo numero, tum ingentium rerum Sacramenta, tum Diuinorum præceptorum obſeruantiſſimos in ſacris literis declarari grauiſſimi earum interpretes animaduertunt. An non ſanctiſſimæ Sedi Romanæ addictiſſimus ille eſt, qui ſanctioris ſui conſilij principem è ſanctiore hoc Principum Eccleſiaſticorum collegio exciuit? Eminentiſſimum nempe Cardinalem Ducem Richelium virum in tantum laudandum in quantum virtus intelligi poteſt, qui nihil vnquam niſi magnum, aut fecit, aut dixit, aut ſenſit. Porrò nonne meritò Iuſti cognomen adeptum eſſe dicemus eum, qui tam ſanctè Iuſtitiam colit, vt ſibi Ludouicorum decimo tertio, decimum quoque tertium Pythagoræ carmen ad Iuſtitiam pertinens vindicare poſſit. Vocentur alij Poliorcetæ, Parthici, Germanici, aliaſque id genus appellationes ſortiantur;

Nempe Caſſiodorus in expoſ. Pſal. 20, Gloſſa in eũ Geneſeos locũ: Non interficiã propter viginti. *Et ante ipſos B. Auguſt. alicubi. Decimus tertius Pythagoræ, ſiue potius Philolai Pythagorici*

Ludoui

Ludouicus Iustitiam adoptare, & ab ea sibi titulum adsciscere maluit, quem in hanc diem nullum Regem obtinuisse compertum habemus. Quod enim Iustitiæ specimen illustrius exhibere potuit, quàm cum pœnas atrociores in eos statuit, qui mutuis in singulari certamine vulneribus non tantum corpora sua, sed animos etiam conficiunt. Meminit autem Francia, B.P. quondam te cùm apud se versareris Henrico Magno promulgandorum in efferam illam Francorum dicamne perniciem, an rabiem edictorum suasorem potissimum, & auctorem extitisse. Verùm non hocce dumtaxat beneficio eam tibi perpetuò deuinxisti. Expugnatam enim Rupellam, & extinctam apud nos hæresim lacrymarum, & precum tuarum fructum esse fatemur. Te manus in cœlum Moysis instar tendente, Ludouicus vt alter Iosuë nouos Amalechitas profligabat. Atque ita veterem illam Ethruscorum tuorum laudem, qui Deum placandi, eiusque fauorem sibi conciliandi artem præcipuè callere credebantur, in te renouatam agnoscimus. Et verò nihil ardentioribus

versus ex eo poëmatio, cui titulus, Aurea Carmina, *sic habet:* Εἶτα δικαιοσύνην ἄσκει ἔργῳ τε λέγῳ τε.

à Deo votis expoſcis, nec aliud quicquam noctes ac dies animo verſas, quàm vt exciſis diſſidiorum radicibus, Chriſtianos inter Principes firma pax & concordia coaleſcat, hæreſes extirpentur & Sacroſanctum IESV nomen omnium gentium linguis celebretur. In te dotes omnes, & ornamenta hoc tanto faſtigio digna certatim elucent Natalium ſplendor, & fumoſæ maiorum imagines Cur enim nobilitatem tuam non prædicem, cum etiam Chriſtus ipſe, cuius tu perſonam in orbe terrarum ſuſtines è Regio ſanguine genus ducere voluerit. Summa prudentia quæ nihilo magis à Summo Pontifice abeſſe poteſt, quàm Solis ab cœlo fulgor. Ingenium acerrimum, quod nullis incluſum ſpatiis per omnes omnium generum diſciplinas euagatur. Sic enim comparatum eſt, vt cum alij ad alias artes naturæ quodam inſtinctu feramur, vix tamen vllus plures aſſequi poſſit. Verùm tu, S. P. orbem illum doctrinæ, quem Græci encyclopædiam vocant, ſic euoluiſti, ſic admirabili concentu ſcientias omnes temperaſti, difficile vt ſit ſtatuere, quid in te primum, ſummumque

mumque prædicari debeat. Tu principes illas disciplinas, quibus omnis Diuinarum humanarumque rerum cognitio continetur, adeò complexus es, vt omninò partes illas impleueris, quas in Summo Pontifice Deus ipsè requirere visus est, cùm duobus illis vocabulis Vrim & Thumim Rationale Sacerdotis insigniri voluit. Pròinde veluti magnus ille doctrinæ Christianæ constituendæ Hieronymus diuersa librorum sacrorum exemplaria, iussu Damasi Pontificis emendauit, & ex opere veteri, vt ipse ait, nouum fecit, ita quoque tu non solum mentis puræ, sed etiam nitidi sermonis amantissimus Sacerdotale precum ex formula recitandarum Breuiarium partim incultum, partim inconditum, quà solutam orationem perpoliendo, quà numerosam legibus suis astringendo, planè Romanum reddidisti. Rem, per Deum immortalem, tum ingenio, tum eruditione, tum auctoritate tua dignissimam. Tu Græcarum literarum, quarum peritiam non vulgare Dei donum Patres appellant, quasque tanti fecit B. Augustinus, vt sancti Numinis

S. Hier. interpretatur, doctrinam, & veritatem.

In hâc B. Cyrillus lib. 7. contra Iulian.

voluntatem se violasse prodiderit, quod eas puer odisset; harum, inquam, literarum quibus ipse Christus vitam suam, & omnia ferè Christianæ Religionis arcana consignari voluit, ita peritus es, vt nè Athenæ quidem ipsæ magis fuisse credantur Atticæ. Melleam autem illam sermonis vbertatem, quà tum Græcè, tum Latinè omnium admirationem in te conuertis, non minus Apes tuæ gentilitiæ protendisse videntur, quàm quæ Platonis, & B. Ambrosij labellis insederunt, ac veluti fauus in ore leonis à Samsone perempti repertus, doctrinæ Christi dulcedinem significare creditur, sic & apes illæ thiaræ tuæ, velut alueari cuidam sacro suppositæ facundiæ tuæ suauitatem declarare videntur; vt mirum tibi proculdubiò videatur, cum Francia tot eloquentium virorum ex omni antiquitate feraciſſima sit, me nulla præditum dicendi facultate, præ cæteris electum esse, qui te disertorum omnium, quot fuere, quot sunt, quot erunt disertissimo coram orarem, nisi Ludouicum Regem prudentissimum consultò id fecisse iudicares, vt qui supplex & humilis

ad

ad genua tua sese prouoluturus esset, humili pariter & abiecto dicendi genere vteretur. Sin autem Damasum Pontificem Maximum, Nazianzenum, Synesium, Sidonium, aliosque pios & eruditos Antistites imitatus, interdum ad poëticas amœnitates animum deflectis, & Dauidico psallendi genere Diuinas laudes concelebras, quàm alto, & ingenti alueo exundantem aquarum, non ex fabulosa illa Hippocrene, sed ex puriſſimis Saluatoris fontibus hausta rum vim trahis. Tu solus in hanc diem, quod ipsis artis poëticæ magistris arduum nimis visum est, Olorem illum Dircæum sese multiplici gyro in aërios nubium tractus efferentem sic assequeris, vt eum quidem nitore verborum, & grauitate sententiarum adæques, at lenitate carminis longè superes. Neque verò Poësim à Summo Pontifice alienam esse putabit, qui non solùm

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Isaiæ c. 12. 3.*

B. Hieron. in præf. chron. Euseb.

Quid

psalterio canorius, quod in morem nostri Flacci, & Græcè Pindari, tunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. *Idem præf. in Iob, & epist. 155. ait Lamentationes Sapphicis, Adonicis: Heroicis metris constare. Ioseph & Orig. Deuteronomium, Isaiæ Canticum, & Iobi historiam Hexametris versibus decurrere, Epiph. lib. de ponder. addit Prouerb. Salomonis, Ecclesiasten, Cantica Canticor. carmine conscripta esse.*

solùm Dauidicis, sed etiam Salomonis, Hieremiæ, & Moysis oracula multiplici numerorum genere constare meminerit. Quibus omnibus accedit summa rerum agendarum peritia, quam vsu longo tibi comparasti, seu cum in Francia Nuntium Apostolicum, seu cum Bononiæ Legatum ageres, vbi tantam inusitatæ cuiusdam, ac stupendæ virtutis laudem consecutus es, vt iam tum capiti tuo sapientia canos præuertenti triplex illa, primamque terrarum corona non obscuro trium tesseræ tuæ familiaris apicularum præsagio destinaretur. Eas autem populi gubernationem tibi prænuntiare decebat, quæ primigeniam suam apud Hebræos denominationem à populi gubernatione sumpserunt. Verùm sigillatim res à te præclarè gestas, postquam ad illum dignitatis excelsæ gradum communi Christianæ reipublicæ bono prouectus es, commemorare supersedeo, tum quod earum copia & concursu obrui me, opprimique sentio; tum ne si longiùs per laudes tuas excurram panegyricum tibi dicere videar, quod tantum abest ab instituto meo, quantùm

Apes apud Hebræos Debo-rach *dicuntur, etymologia ducta à* De-bora, *id est gubernatio populi,*

quantùm à modestia tua. Deinde omnium elogiorum instar est suprema tua, & cœlo propior dignitas, quos enim Christus æterna sua prouidentia in locum suum sufficit æternis ante suffragiis eligere, & electos omnibus ad id munus ornamentis instruere solet; vt nemini mirum videatur, si Ludouicus Rex Christianissimus accepto delatæ summis animi tui dotibus amplissimæ dignitatis nuntio incredibile gaudium perceperit, quod vt tibi, totique terrarum orbi significaret, legauit ad te Carolum Crequium, Lesdigueriarum Ducem, Franciæ Parem, & Marescallum, nulli Francorum Procerum, tum natalibus, tum virtute, tum auctoritate, tum pietate secundum. Natales nactus est ab illustri, ac peruetusta Crequiorum gente Regiis Europæ familiis affinitate multiplici coniuncta, quæ non solùm præstantissimos Duces rebus in Oriente gestis insignes, sed etiam recens Cardinales Eminentissimos tulit. Virtus eius cum alibi sæpè, tum in Italia ipsa frequentius enituit, quam vt à me prædicari debeat. Auctoritatem arguit Ducatus,

catus, ac Patritiatus dignitas, qua non est apud Francos secundùm Regem vlla maior, aut eminentior. Denique singularem eius pietatem declarat speciosum illud vulnus, ab eo strenuè contra Fidei hostes ad fanum Ioannis Angeriaci dimicante acceptum, quo vultus eius etiamnum decoratur. Quis autem Religionis Catholicæ studiosissimum neget esse illum, qui cum magni Lesdiguerij Franciæ Connestabilis hæretica lue polluti gener esset, non tantùm vxorem, liberosque suos pariter infectos, sed ipsum tandem socerum ad orthodoxam fidem perduxerit. Qui cum Delphinatus primariæ Regni Prouinciæ rector sit, Regiarum arcium, & castellorum præfecturam sectariis, quibus ea commissa erant abstulerit. Qui porrò ex omnibus in Prouincia ditionis suæ pagis pestilentissimæ doctrinæ præcones, & sceleſtos erebi ministros excedere iusserit, omninoque prauæ Religionis ibi iam ab eius auctore nunquam sine diris nominando grassantis, ac virus suum spargentis promulgationem, vsum & exercitationem sustulerit. Per

eum

eum itaque (Sanctissime Pater) Ludouicus Rex Francorum & Nauarræ Christianissimus, tibi summum illum in terris honorem gratulatur; vnde tanta se lætitia affectum fuisse palàm testatus est, quanta nato se quondam te affectum fuisse testatus es. Proinde pedibus tuis Apostolicis prouolutus, eorum osculo cultum & obedientiam filialem tibi præstat, & exhibet. Te vnicum IESV CHRISTI Vicarium, te certum Petri successorem, Regnique cœlorum, & humanæ salutis arbitrum agnoscit, & profitetur, opesque suas, & copias ad sanctissimæ Sedis Apostolicæ defensionem promptas & paratas semper fore tibi pollicetur. Tu vicissim, Vrbane Pontifex Optime Maxime, nec Vrbane tantum, sed octaue, vt qui gubernatu Noë dicteris, octauus, vt ipsum B. Petrus appellat, itidem numerareris. Vrbane, inquam, thesauri cœlestis custos, & æternitatis dispensator, soluisque tui dominus & vindex, Ludouicum Regem Christianissimum, Ludouicum Iustum hæreseos

Filialis ex formula Obedientiæ.

B. Petrus ep. 2. c. 2. vers. 5. Noëmum vocat octauũ, quod epithetum sacrarũ literarũ interpretes, mirificè torsit, in queũ

d &

Hugo à S. Victore putauit sic appellatum, propter numerum octonarium, qui solidorum omnium perfectissimus est.

& omnium Franciæ monſtrorum domitorem, Ludouicum denique filium tuum, eumque totius orbis Chriſtiani conſenſu natu-maximum paterna beneuolentia complectere, tantoque præ cæteris ipſum complectere, quantò præ cæteris ipſe te complectitur atque veneratur. Hoc enim te ſacræ literæ quodammodo monitum voluere, cum Eccleſiæ Sponſum, cuius tu vices in terra geris, inter lilia paſcentem inducunt.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Cant. cap. 2. v. 11.

DIXI.

INSTRVCTION A MONSIEVR LE DVC DE CREQVI PAIR ET MARESCHAL de France, Lieutenant General pour le Roy en Dauphiné, enuoyé par Sa Majesté son Ambassadeur extraordinaire vers Nostre S. Pere le Pape pour rendre à Sa Saincteté l'Obedience filiale sur le sujet de son Assomption au Pontificat.

L'OBEDIENCE filiale ayant deu estre renduë à sa Beatitude par tous les Princes Chrestiens dés lors de son heureuse election : Le Roy comme fils aisné de l'Eglise, eust porté impatiemment d'estre precedé par aucun en ce deuoir filial, & en eust tres-volontiers dés ce temps-là monstré l'exemple à tous les autres,

si les grandes affaires qui ont continué à agiter l'Europe depuis dix années en ça, & particulierement les guerres que Sa Majesté a euës au dedans & au dehors de son Royaume, ne luy eussent empesché en cela l'effet de son desir; elle n'eust pas si long-temps manqué à cette defference ancienne & loüable, tant pour la reuerence singuliere qu'elle porte au sainct Siege, que pour l'estime qu'elle a tousiours fait de sa Saincteté, & pour l'affection particuliere qu'elle a aussi tousiours portée à sa personne depuis qu'elle l'a connuë par les grands employs qu'elle a eus dans la Chrestienté, mesmes dans son Royaume.

Sa Majesté voyant à son grand regret qu'elle retardoit trop, si elle attendoit que le calme fust tel qu'elle souhaitteroit pour rendre cette action plus celebre à la veuë de tout le monde, a resolu de ne la differer pas d'auantage, & pour cét effet voulant faire choix d'vn personnage de grande recommandation qui s'en pût dignement acquiter, comme vn si haut sujet le merite; elle a ietté les yeux sur Monsieur de Crequi, Pair & Mareschal de France, son Lieutenant General en Dauphiné, en qui se rencontrent toutes les qualitez requises, soit par sa naissance, soit par les grands honneurs & dignitez releuées, qui luy sont non seulement hereditaires, mais qu'il a acquises par son propre merite, soit par les diuers & importans employs qu'il a eus dedans & dehors le Royaume, ausquels il s'est signalé & a rendu l'Italie

tesmoin

teſmoin de ſa valeur, fidelité & vigilance à bien faire en ſeruant ſes Roys comme il deuoit; Sa Majeſté donc s'aſſeurant qu'il s'acquitera de meſme de cette Commiſſion a commandé le preſent memoire luy eſtre donné pour luy ſeruir d'inſtruction en ſon voyage.

La route de la terre eſtant incommode & longue à cauſe de la ſaiſon, & par la difficulté des paſſages des villes d'Italie dans les ſoubçons qui reſtent encores de la peſte, Sa Maieſté iuge plus à propos que ledit Sieur Duc de Crequi prenne la voye de la Mer, & s'embarque en Prouence ſur les Galeres qu'elle a ordonnées pour le conduire iuſques à Ciuitavechia.

Et d'autant qu'en ce faiſant il luy faudra paſſer à la veuë de la ville de Gennes, Sa Majeſté veut que ledit Sieur Duc y aborde & deſcende pour voir de ſa part le Duc & les Seigneurs de cette Republique, auſquels il ne manquera pas de donner aduis de bonne heure de ſon deſſein, afin qu'ils ayent le temps de ſe preparer & le receuoir ſelon qu'il conuient à la dignité & grandeur du Roy, dont il repreſente la Perſonne en vne occaſion ſi releuée.

Sa Majeſté ſuppoſant qu'ils n'obmettront rien de leur deuoir entant qu'eſtant arriué en ladite ville & conduit au Palais, il leur donne la Lettre que Sa Majeſté luy a fait bailler pour cét effet, qu'il leur repreſente qu'elle luy a commandé l'enuoyant à Rome pour ſon ſer-

uice de passer exprez par leur ville & les asseurer de la continuation de sa bonne volonté vers eux, pourueu qu'ils continuent de leur part ainsi qu'elle espere à luy en donner sujet, Que les actions passées ont tesmoigné combien Sa Majesté est jalouse & desireuse du repos & de la liberté de l'Italie, n'ayant pas espargné sa propre Personne dans les rigueurs de l'Hyuer, & dans la necessité des affaires mesmes de son Royaume, lors qu'elle l'a veu menassée d'oppression, auec vne generosité si desgagée de tout interest, que pouuant se preualoir des grands auantages que la force, & le bonheur de ses Armes luy auoient acquis, ainsi mesmes que plusieurs luy conseilloient, elle a tousiours preferé la paix & concorde publique à toutes autres considerations, ce qui est si veritable & connu de tout le monde, qu'il n'est pas besoin de l'exagerer d'auantage; que Sa Majesté ayant estendu son bras tousiours inuincible par tout ou ses Alliez en ont eu besoin, aussi bien en Allemagne, qu'en Italie, en sorte qu'ils ont triomphé des vaines entreprises de tous ceux qui les ont voulu attaquer, leur donne parole qu'ils peuuent attendre la mesme faueur & assistance d'elle, lors qu'ils l'en requerront, dont elle est d'autant plus capable à present que Dieu luy a fait la grace de calmer tous les orages qui se sont soulleuez si souuent dans son Royaume, & qu'on pût esperer que c'est pour la derniere fois; ledit Sieur Duc leur pourra tenir semblables discours,

les

les augmentant ou diminuant selon le respect & façon auec laquelle ils les receuront, & la responſe qu'ils feront à ſes offres ; il trouuera à Gennes le Sieur de Sabran qui y fait les affaires du Roy, auquel il teſmoignera que Sa Majeſté a contentement & ſatisfaction de la diligence & fidelité qu'il a apporté en l'exercice de ſon employ, il ſe ſeruira de luy en ce qu'il iugera neceſſaire, particulierement pour apprendre l'eſtat & diſpoſition des choſes, ſuiuant quoy il ſe pourra regler.

Les Coſtes de la Toſcane ſont bannies de l'eſtat Eccleſiaſtique à cauſe de la peſte, dont quaſi toutes les villes ont eſté infectées, & quelques-vnes le ſont encores à preſent: Et partant ledit Sieur Duc ſera obligé ſortant de Gennes de pourſuiure ſon chemin iuſques à Ciuitavechia ſans toucher aucun lieu; mais s'il eſtoit contraint par le mauuais temps de relaſcher en quelque part appartenant à Monſieur le grand Duc, il pourra dire à celuy qui luy fera compliment de la part de ſon Alteſſe, qu'il a tres-grand deſplaiſir de ne pouuoir luy-meſme aller baiſer les mains de ſon Alteſſe, de Madame la grande Ducheſſe la Mere & de Meſſieurs les Freres du grand Duc : leſquels il aſſeureroit de la ſanté de Sa Majeſté & de ſa bonne volonté; mais qu'il eſt contraint de s'accommoder à la rigueur des Loix qui deffendent l'entrée de Rome, où il va par commandement de Sa Majeſté, à ceux qui viennent de l'Eſtat de Florence.

Ledit Sieur Duc se souuiendra de faire aduertir le Sieur Gueffier, lequel, n'y ayant point maintenant d'Ambassadeur pour le Roy à Rome, est chargé de la conduite des affaires de Sa Majesté, du temps auquel il pourra arriuer à Ciuitavechia, afin qu'il y soit receu par les Officiers du Pape & au nom de sa Saincteté, ainsi qu'il est ordinaire, & que cette reception se fasse auec l'esclat & la dignité que merite l'action pour laquelle il va, à quoy il sera d'autant plus soigneux de prendre garde à cét abord que cette rencontre comme la premiere sera diligemment obseruée de tout le monde.

Ledit Sieur Gueffier auec les plus notables François qui sont dans Rome, viendra le rencontrer sur le chemin de Ciuitavechia, il s'instruira auec eux de toutes les circonstances qu'il luy faudra obseruer pour s'acquiter exactement, & de point en point de toute la Ceremonie qui se pratique en la prestation de l'obedience, afin que ioignant cét esclaircissement à la connoissance qu'il en a desia, il s'acquite plus facilement & seurement de son employ.

N'y ayant donc point à present d'Ambassadeur ordinaire pour Sa Majesté prés du Pape, lequel auroit mené ledit Sieur Duc en son Logis, il ira se rafraischir vn peu dans le sien, où il arriuera accompagné de toutes les familles, des Cardinaux & Ambassadeurs, & de Monsieur le Cardinal Bentiuoglio, Comprotecteur

de

de France en Cour de Rome, lequel n'aura pas manqué d'aller en personne au deuant de luy, il l'asseurera de la part de Sa Majesté de l'estime & reconnoissance de ses seruices, le priera en son nom de continuer, luy dira qu'il pût s'asseurer de trouuer tousiours en Sa Majesté la protection, bien-faits & assistance qu'il en espere.

Sa Majesté ne fait aucun doute que le Pape, comme il s'est tousiours pratiqué en semblable occasion, ne veuille voir ledit Sieur Duc dés le soir mesme de son arriuée, tellement qu'apres auoir pris vn peu de repos en son Logis, il ira à cette premiere Audiance en la compagnie dudit Sieur Cardinal Bentiuoglio & secrettement, & de quelques principaux François, où ayant baisé les pieds de sa Saincteté au non du Roy, il luy presentera la Lettre que Sa Majesté luy escrit de sa propre main, & luy dira que Sa Majesté luy a commandé de venir prester à son nom l'obedience filiale qu'elle doit à sa Saincteté & au sainct Siege, comme le Roy Tres-Chrestien, & fils aisné de l'Eglise à l'imitation des Roys ses predecesseurs qui ont signalé le temps de leurs Regnes: non seulement par la defference de semblables offices & deuoirs, dans lesquels le zele de cette Couronne a tousiours esclaté sur celuy de toutes les autres; mais encores par de si grandes & genereuses actions & entreprises pour l'honneur, protection & maintien des Papes & du sainct Siege qu'ils en ont acquis & merité des

titres, esloges & benedictions, qui n'ont iamais esté communiquées qu'à eux ; aduantages desquels Sa Majesté n'entend se preualoir que pour s'exciter aux occurrences à surpasser & rencherir au dessus de tous ces exemples domestiques ; qu'outre les obligations generales dont Sa Majesté luy est redeuable, elle reconnoist luy en auoir de tres-particulieres pour l'affection tendre qu'elle sçait que sa Saincteté luy porte, qu'aussi ne se satisfera-telle iamais qu'elle ne luy ait rendu, & à tous ceux de sa maison des preuues de mesme qualité de la reconnoissance sensible qu'elle en a; que Sa Majesté fondée sur ces demonstrations si fauorables des bonnes inclinations de sa Saincteté vers elle, se promet qu'elle voudra que l'action si importante pour laquelle il vient, ayant à s'accomplir à la face de toute l'Europe, & au plus noble Theatre du monde se fasse auec tout l'honneur, dignité, reputation & solemnité qu'on puisse desirer, & que merite le plus grand Roy de la terre, qui dans les commencemens de son regne & de sa premiere ieunesse a ruiné la plus puissante faction d'ennemis qu'eust le S. Siege & son Royaume : Que si Sa Majesté n'a esté si prompte à s'acquiter de ce deuoir comme il estoit conuenable, & ainsi qu'elle auoit desiré ; les occupations continuelles des guerres estrangeres, & domestiques qu'elle a euës iustifient assez les raisons de ce retardement, qui n'ont esté qu'afin de le pouuoir executer auec plus de dignité & de magnificence ;

ficence ; & si d'autres ont vsé de plus de diligence, Sa Majesté souffre volontiers qu'ils la deuancent en ces Cerimonies exterieures qui ne sont que les ombres des effets qu'elle estoit preste d'executer ; mais ne le souffriroit iamais voire personne ne le pourroit esgaler en cette partie là, si il estoit question de procurer l'accroissement & grandeur de l'Eglise, où l'aduancement & prosperité de ceux de sa maison. Ce sont les termes ou semblables, dont ledit Sieur Duc entretiendra sa Saincteté en cette premiere Audiance, & toutes les autres y adioustant les excuses de ce qu'il ne pourra pas s'acquiter si dignement de cét employ comme Sa Majesté luy a commandé, & vne Commission si honorable & si importante le requeroit, à quoy il adioustera encores ce qu'il verra estre à propos selon les occurrences, & l'aduis de ceux auec lesquels il en communiquera.

Il prestera ladite obedience au nom de Sa Majesté en qualité de Roy de France & de Nauarre, en quoy il ne trouuera pas d'opposition de quelque part que ce soit apres les exemples & actes de trois dernieres obediences renduës par Messieurs de Luxembourg, le Duc de Neuers, & le Chancelier de Vendosme aux Papes Clement huictieſme, & Paul Cinquieſme, dont il retirera copie pour s'y conformer, prenant soigneusement garde en ce point si chatouilleux de se laisser surprendre.

Ledit Sieur Duc visitera & sera visité de tous les Cardinaux ausquels il rendra les Ler-

tres

tres que Sa Maieſté leur eſcrit les accompagnant de compliments honorables & tels que meritent plus ou moins les affections & intereſts qu'ils ont auec la Couronne de France, l'ordre eſt qu'apres le Pape il viſite les Cardinaux Barberin & Antoine Neueus de ſa Saincteté, S.Onofre ſon Frere, auſquels il fera des compliments & offres plus particulieres, apres il viſitera Gineti qui loge dans le Palais, & eſt Vicaire de ſa Saincteté, puis le Doyen des Cardinaux, apres les autres indifferemment & ſelon la commodité.

Quant à Dom Thadée Nepueu Laic du Pape & Prefect de Rome, qui par cette dignité pretend preceder tous les Ambaſſadeurs, & par conſequent ne rendra pas peut-eſtre audit Sieur Duc l'honneur que tous ceux qui ont eſté en ſa place ont rendu aux Ambaſſadeurs extraordinaires des Roys, qui ont preſté l'obedience aux Papes, & dont luy-meſme s'eſt acquitté enuers le Comte de Monterey faiſant le meſme Office pour le Roy d'Eſpagne, qui eſt de l'aller querir au Logis où il reçoit ceux qui le doiuent accompagner au Conſiſtoire, & l'y conduire en perſonne; ne ſatisfaiſant pas à ce deuoir en l'occaſion preſente, ledit Sieur Duc le diſſimulera pourueu que ledit Dom Thadée s'abſéte de Rome de huict ou dix lieuës, qui eſt le ſeul moyen d'ajuſter le different qui pourroit arriuer entr'eux, & qui ſeroit cauſe du retardement d'vne action ſi celebre que celle-là; mais ſi apres que la Ceremonie ſera acheuée

eſtant

eſtant de retour à Rome, il va viſiter le Sieur Duc comme on le croid, il pourra le receuoir & luy rendre la viſite, n'y ayant rien en ce compliment qui bleſſe le droict de la preſſeance qui appartient aux Ambaſſadeurs ſur luy.

En toute cette Ceremonie ledit Sieur Duc ſe ſouuiendra de viure auec autant de ſplendeur & magnificence qu'il pourra, afin de reſpondre à l'honneur du choix que Sa Majeſté a fait de ſa perſonne, & l'attente qu'elle a qu'il en rapportera l'honneur & la loüange qu'il doit deſirer de luy-meſme; elle luy ordonne encor d'auoir l'œil que ceux de ſa ſuite viuent auec que modeſtie & bien-ſeance faiſant chaſtier ſeuerement ceux qui ſe voudroient comporter autrement.

Fait à S. Germain en Laye, le 14. iour de Fevrier, mil ſix cent trente-trois. Signé, LOVIS, & plus bas, BOVTHILLIER.

A NOSTRE AMÉ ET FEAL le Sieur de Boissieu nostre Conseiller, Viballif de Viennois, & Lieutenant General Ciuil & Criminel au Siege Presidial de Gresiuodan.

DE PAR LE ROY.

NOSTRE Amé & Feal sur les bons tesmoignages qui nous ont esté donnez de vostre doctrine, suffisance & capacité, comme aussi de vostre naissance, & condition, & de l'affectiõ que vous auez à nostre seruice, nous vous auons choisi pour faire deuant nostre S. Pere le Pape, l'Oraison accoustumée sur le sujet de la protestation d'Obedience, laquelle nous enuoyons faire à sa Saincteté en nostre nom par nostre tres-cher & bien Amé Cousin le Duc de Crequi qui s'en va à cét effet nostre Ambassadeur extraordinaire à Rome, vous aurez doncques à vous preparer pour faire ladite Oraison, de laquelle nous ne doutons point que vous ne vous acquitiez dignement. DONNÉ à Moulins, le 29. iour d'Aouſt 1632. LOVIS, BOVTHILLIER.

Memoire

Memoire addreſsée à Monſieur Bouthillier, Secretaire d'Eſtat par le Sieur de Boiſſieu, Orateur du Roy vers ſa Saincteté ſur le ſujet de la harangue de l'Obedience.

LEDIT Sieur de Boiſſieu ayant communiqué ſa harangue au Sieur Errera Secretaire des Brefs, & au Maiſtre du Sacré Palais, de la part deſquels il en auoit eſté requis à ſon arriuée, comme il ſe pratique en pareilles actions, on luy a fait les difficultez ſuiuantes, tant ſur le ſujet de la harangue que de la reſponſe qui luy deuoit eſtre faite par ledit Sieur Errera au nom de ſa Saincteté.

Quant à la harangue on a deſiré qu'il en retrancha quelques endroits & qu'il en adiouſta d'autres.

Premierement, où ledit Sieur de Boiſſieu parlant de la primogeniture du Roy en l'Egliſe a vſé de ces termes, *Principem inter Eccleſiæ filios nemine diſſentiente locum obtinet*, & de ceux-cy, *Eumque totius orbis Chriſtiani conſenſu natu-maximum*. On luy a voulu ſouſtenir que cette primogeniture en l'Egliſe n'appartient

pas

pas au Roy preferablement à l'Empereur qui a la preſſeance ſur tous les Princes Chreſtiens, & que par conſequent il falloit oſter ces mots, *nemine diſſentiente*, & adiouſter ceux-cy en l'vn & en l'autre endroit, *inter Reges* pour ne toucher pas au droit de l'Empereur.

En ſecond lieu on a voulu que ledit Sieur de Boiſſieu retrancha toute la periode qui regarde le ſuccez des Armes du Roy en Italie, & particulierement l'endroit où Sa Majeſté eſt qualifiée liberatrice de l'Italie.

En troiſieſme lieu s'eſtant rencontré qu'il ait fait mention des Roys de France qui ſont reconnus pour Saints, on n'a pas voulu que Charlemagne y fut compris à cauſe qu'il a eſté Canonisé par vn Antipape.

Finalement, on a fait grande Inſtance qu'en formule de l'obedience on adiouſta les meſmes ſouſmiſſions qui furent faites par le Cardinal d'Alby preſtant l'obedience pour le Roy Louys XI. au Pape Pie II. & en dernier lieu par Maurice de Breſſieu Orateur du Roy Henry IV. vers Clement VIII.

A quoy ledit Sieur de Boiſſieu a reſpondu que c'eſt vne choſe inouye de mettre en difficulté la primogeniture du Roy en l'Egliſe, que ſes predeceſſeurs luy ont acquiſe preferablement à tous les Princes Chreſtiens, auant meſmes qu'il y eut des Empereurs en Allemagne, par leurs bien-faits enuers le S. Siege, de la protection duquel ils ne ſe ſont iamais départis, comme ont fait les Empereurs : Et

que

que lors qu'on les a qualifiez fils aisnez de l'Eglise on n'y a iamais apporté de l'imitation, ny eu la pensée de reseruer l'Empereur. Ce que ledit Sieur de Boissieu a iustifié par les titres fondamentaux de cette qualité, & par le tesmoignage des meilleurs Autheurs de l'Italie & de l'Allemagne mesme : ne pouuant estre raisonnablement obiectée la presseance pretenduë par l'Empereur dont nos Roys ne conuiennent pas à qui l'Empereur doit son fondement.

Que pour ce qui regarde l'Italie ce seroit trahir la gloire du Roy de taire les belles actions qu'il y a faites, & que l'on ne pût pas desaduoüer que le salut de l'Italie dependant comme il faisoit alors de la conseruation des Estats du Duc de Mantouë, le titre de Liberateur n'en soit deu à Sa Majesté.

Sur le sujet de Charlemagne qu'encor que sa Canonization ait esté faite à Aix la Chappelle par le Pape Pascal qui n'estoit pas legitime à l'instance de l'Empereur Federic premier, l'an 1166. si est-ce que n'ayant pas esté retractée par les vrays successeurs de sainct Pierre durant plusieurs siecles, cét Empereur a esté reconnu pour Sainct, non seulement en Allemagne & en France où il a des Autels, & vn Office particulier, comme à Aix la Chappelle, & dans l'Eglise des Maturins à Paris où sa Feste qui estoit double dans l'ancien Missel se fait solemnellement le 28. de Ianuier, qui est ferié dans la pluspart des Parlemens de France;

mais encore il est honoré publiquement dans l'Eglise de sainct Antoine à Rome, où l'on voit sur le grand Autel vn Tableau de Clouis, de Charlemagne, & de sainct Louis auecque le rayon & le titre de Sainct. Qu'il y a des Conciles qui luy donnent des eloges equipolants à celuy Sainct, & qu'outre plusieurs Autheurs de grand nom, * trois Cardinaux Illustres, Hostiensis, Baronius & Bellarmin advoüent que sa Canonization est receuë de l'Eglise. Neantmoins que pour la satisfaction du Pape, ledit Sieur de Boissieu veroit de ces termes, *sanctitatis laudem consecutus*; qui sont neutres, pour marquer la saincteté de Charlemagne, sans induire pourtant sa Canonization, dequoy le Pape s'est contenté.

Quant aux soumissions pretenduës, qu'elles estoient sans fondement, puisque l'action de l'Obedience est plustost d'humilité Chrestienne, & de deference filiale, que d'obligation & de deuoir pour en induire aucune dependance temporelle de la Couronne, comme il se iustifie par les Lettres du Roy Philippes le Bel au Pape Benoist X I. quand il luy enuoya le Sire de Mercueil, auec Guillaume du Plessis & Pierre de Belleperche pour le mesme sujet, suiuant quoy les actes de l'Obedience prestée par le Roy Charles V I I. à Martin V. l'an 1428. par le mesme Roy à Pie I I. Par le Roy Charles

* Card. Hostiensis *in c. 1. de Reliquiis & venerat. Sanct.* Baronius ad annum 814. *n.* 63. Bellarminus *lib. de cultu Sanctor.*

les VIII. l'an 1484. & par le Roy François I. à Clement VII. le 13. Octobre 1533. ne qualifient cette Obedience que filiale. Ce qui a fait dire à Pie II. sous le nom de Gobellin dans le 3. Liure de son Histoire, que l'Obedience qui luy fut faite par le Roy Charles VII. * fut appellée filiale pour exclurre la seruile.

De sorte que les termes extraordinaires, dont s'estoit seruy le Cardinal d'Alby furent improuuez par la Cour de Parlement de Paris, qui en fit des Remonstrances au Roy, & depuis encore par les Estats Generaux assemblez à Tours l'an 1483. sous le regne de Charles VIII. où il fut dit que le Cardinal d'Alby auoit fait vne grande playe à l'Estat par vne sousmission nouuelle qu'il fit suiuant la Lettre du Roy Louis XI. au Pape Pie II. qui se trouue parmy celles du mesme Pape Liure 1. Epist. 308. laquelle auoit esté faite par mauuaise suggestion. Et neantmoins quelques Italiens en ont voulu tirer de l'auantage en faisant passer les termes du Cardinal d'Alby, pour vne prestation d'hommage & vne dependance temporelle de la Couronne, contre les decrets des anciens Papes, & entr'autres d'Innocent III. qui ont declaré en termes exprez que le Roy de France ne releue de personne pour le temporel. Il est vray que François de Luxembourg Duc de Pincy prestant l'Obedience au Pape Clement VIII. pour le Roy Henry IV. l'an 1597. quelque temps apres la conuersion

* *Filialem illam appellauit, vt seruilem excluderet.*

de Sa Majesté, Maurice de Bressieu adiousta ces mots à la formule ordinaire, *Tibi gentes quibus præest, tibi suas Prouincias, tibi sua regna sacrat.* Ce qu'il n'auoit pas fait l'an 1586. en la prestation du mesme François de Luxembourg, au nom du Roy Henry III. non plus qu'il ne le fit pas depuis en l'année 1608. que le Duc de Neuers fit l'Obedience au Pape Paul V. pour le Roy Henry IV. mais que le sens de ces mots estoit de recommander au Pape & au S. Siege, les Estats de Sa Majesté par vne dedicace pieuse, & non pas d'en soumettre le temporel. Neantmoins ledit Sieur de Boisslieu ne s'est pas voulu relascher aux mesmes termes, puis qu'on en pretendoit quelque aduantage, ayant soustenu que sa Saincteté se deuoit contenter de ceux-cy, *Copiasque suas omnes ad sanctissimæ Sedis Apostolicæ defensionem promptas & paratas semper fore lubens pollicetur.*

Enfin apres vne contestation de quelques iours, & trois conferences dudit Sieur de Boissieu auecque Monsieur le Cardinal Barberin, & vne particuliere auecque sa Saincteté mesme, comme les difficultez estoient sans fondement, aussi ont elles esté sans effet, quelque resistance qu'y ayent apporté les Ministres de l'Empereur & du Roy d'Espagne, & la harangue de l'Obedience a esté prononcée par ledit Sieur de Boissieu aux termes qu'elle a esté veuë & approuuée par Monseigneur le Cardinal de Richelieu.

Pource qui regarde la responce qui deuoit

estre

estre faite au nom du Pape par ledit Sieur Errera, l'on en a refusé quelque temps la veuë audit Sieur de Boissieu, à qui enfin elle a esté communiquée sur ce qu'il a representé que la mesme coustume qui a introduit que la harangue de l'Obedience doit estre monstrée aux Officiers du Pape, veut aussi que la response soit veuë de l'Orateur du Roy, qu'autrement il pourroit arriuer que si elle contenoit des termes preiudiciables à la dignité & aux interests de Sa Majesté, l'Orateur seroit obligé de repliquer sur le champ, & de faire des protestations contraires. Ce qui seroit moins vne action d'humilité que de trouble.

Ladite response a esté pleine de tesmoignage, d'estime & d'affection paternelle enuers le Roy; mais sur la remarque faite par ledit Sieur de Boissieu, que l'acceptation de l'Obedience contenoit cette clause à l'esgard de la Nauarre, que c'estoit, *sine præiudicio cuiusquam & præsertim Regis Catholici*, Monsieur le Duc de Crequi luy a fait voir ses instructions là dessus, & l'a enuoyé vers Monsieur le Cardinal Barberin pour essayer d'obtenir du Pape que cette clause fut ostée, ou du moins qu'elle fut conceuë en termes moins partiaux pour l'Espagne, qu'il deuoit suffire en tout cas d'y mettre la premiere partie, *sine præiudicio cuiusquam*, sans faire mention expresse du Roy d'Espagne; & qu'on ne deuoit pas tirer à consequence quelques actions precedentes d'Obedience, où l'on auoit dissimulé cette clause pour des considerations

de ce temps-là qui cessoient à present. Mais comme ledit Sieur de Boissieu a reconnu aux Conferences qu'il a euës sur ce sujet auecque Monseigneur le Cardinal Barberin, que sa Saincteté n'y consentiroit pas crainte d'offenser le Roy d'Espagne par l'omission d'vne clause depuis l'inuasion de la Nauarre, il a esté iugé à propos d'en cesser la poursuite de peur que n'y reussissant pas, comme il seroit arriué sans doute, les Espagnols eussent tiré de l'auantage du refus qu'on auroit eu d'vne chose qui en soy n'est rien suiuant le raisonnement de feu Monseigneur le Cardinal d'Ossat, lors de l'Ambassade de Monsieur de Luxembourg, qui auoit eu charge de faire Instance aupres du Pape Clement VIII. que la mesme clause fut ostée : neantmoins ce desistement n'a pas esté sans quelque fruit, puisque sa Saincteté mesmes, à qui on a fait valoir en a tesmoigné tant de satisfaction qu'elle en a remercié le Roy, non seulement en la personne de Monsieur le Duc de Crequi, mais aussi en celle dudit Sieur de Boissieu. Fait à Rome, le vingt-huictiesme de Iuin 1633.

Responſe de Monſieur Bouhillier, à Monſieur de Boiſſieu Conſeiller du Roy, Lieutenant General au Bailliage de Greſiuodan, & Orateur pour Sa Majeſté en l'Ambaſſade extraordinaire de l'Obedience à Rome.

MONSIEVR,

I'ay fait voir au Roy le memoire que vous m'auez enuoyé auec voſtre Lettre du deuxieſme Iuillet, de ce qui s'eſt paſsé ſur le ſujet de voſtre harangue, en laquelle on a fort approuué que vous ayez auec fermeté ſouſtenu les termes auantageux, & neantmoins tres-veritables touchant la gloire du Roy, leſquels l'on vous a voulu conteſter; ceux de l'Obedience eſtoient ſur tout importants, comme eſtans les principaux & eſſentiels de l'action qui ſe faiſoit, & comme elle eſt pluſtoſt d'humilité Chreſtienne, & de deference ciuile que d'obligation & de deuoir, vous auez tres-bien fait d'euiter les paroles qui pouuoient induire le moins du

monde aucune dependance temporelle de cette Couronne, mais de les reduire à vn compliment de Prince Chreſtien, ainſi que vous auez fait; il a eſté auſſi tres-important de maintenir le titre de fils aiſné de l'Egliſe qui a eſté donné aux predeceſſeurs du Roy auant meſme qu'il y euſt des Empereurs en Allemagne. On a trouué pareillement fort bon le temperament que vous auez apporté ſur les mots controuerſez touchant Charlemagne. Quant à la reſponſe qui a eſté faite à voſtredite harangue nous auions preueu qu'elle ne ſeroit point autre que celles qui ont eſté cy-deuant faites en ſemblables occaſions, vous aſſeurant pour concluſion que le Roy a tres-particuliere ſatisfaction de ce que vous vous eſtes ſi bien acquité de cette action, & Monſeigneur le Cardinal auſſi, ie ne doute point que Sa Majeſté ne s'en ſouuienne dans les occaſions qui ſe preſenteront pour voſtre auantage dans leſquelles ie ſeray tres-aiſe de vous ſeruir prés de Sa Majeſté, & de mondit Seigneur le Cardinal, & de vous faire connoiſtre que ie ſuis,

A Paris, le 11. Aouſt 1633.

Tiré

Tiré de la seconde Partie de l'Histoire de Monseigneur le Cardinal Duc de Richelieu, en l'année 1633.

CE n'estoit pas assez de pourvoir aux affaires d'Allemagne & de Hollande, si on ne donnoit ordre à celles d'Italie. Aussi est ce à quoy Monseigneur le Cardinal porta le Roy dés le commencement de cette année. Il estoit necessaire d'enuoyer quelque personne de condition en Ambassade extraordinaire vers le Pape, pour luy rendre l'Obedience ; & mesme Sa Majesté ne pouuoit plus differer ce compliment ; mais pour faire seruir cette Ambassade à autre chose qu'à vne simple ceremonie, Monseigneur le Cardinal fit trouuer bon au Roy de la commettre à quelque personne capable de seruir le Pape dans le different qu'il auoit auec les Venitiens, & de porter sa Saincteté à fauoriser dans les occasions les interests de la France ; il proposa le Duc de Crequi comme vne personne dont non seulement les grandes richesses estoient capables de porter la despense que la bien-seance oblige de faire en cette occasion ; mais d'auantage à qui l'experience auoit appris de long-temps les interests

des Princes d'Italie, & dont le genie auoit assez d'adresse pour disposer le Pape à ce que l'on desireroit. Le Roy goustant les raisons de ce grand Ministre, eut la personne du Duc tres-agreable pour cét employ, n'ignorant pas que l'vn des plus hauts points de la prudence politique est de proportionner les personnes aux negotiations; Sa Majesté succedant à la pieté des Roys ses predecesseurs, luy fit donner ordre d'aller rendre cette Obedience au Pape, & se seruant de sa prudence ordinaire, il luy commanda de s'employer à l'accommodement des differents qu'auoit sa Saincteté auec les Venitiens, & de prendre occasion des troubles d'Italie, pour l'attacher autant qu'il se pourroit aux interests de la France. Le Duc de Crequi accepta cette Ambassade auec estime, n'ayant iamais esté d'humeur à espargner l'argent, lors qu'il estoit question d'honneur ou de plaisir; & la magnificence auec laquelle il luy estoit besoin de paroistre à Rome, l'ayant obligé d'arrester en Cour iusques au commencement du mois de May pour faire son equipage, il prit la voye de la mer, pour regagner le temps à la faueur des vents. Arriuant à Rome il y fut receu auec tous les honneurs qui sont deus aux Ambassadeurs extraordinaires du premier Roy Chrestien, & du fils aisné de l'Eglise; mais la magnificence auec laquelle il parut fut telle, qu'il ne s'y estoit rien veu de semblable depuis les superbes triomphes des Empereurs. Ie m'arresteray à la descrire

en

en particulier, puis qu'elle se trouue en d'autres hiſtoires, celle-cy n'eſtant faite que pour remarquer ce qui s'eſt paſsé de conſiderable dans la conduite des affaires. Tout ce que i'en diray eſt, qu'il auoit plus de cinq cens bouches à ſa ſuite, & que l'or & l'argent parurent auec autant d'abondance ſur ſes liurées, & de ſes Officiers, & en tout ſon equipage, que s'il en euſt eu quelque mine dans ſes terres. Il fut receu dans la ville & conduit à ſa premiere Audiance auec vne merueilleuſe pompe; mais pour venir à l'effet de ſon Ambaſſade, ayant eu du Pape cette premiere Audiance, il baiſa les pieds de ſa Saincteté au nom du Roy, & luy fit quelques complimens de ciuilité; enſuite deſquels le Sieur de Boiſſieu Lieutenant General de Grenoble, qui l'accompagnoit en qualité d'Orateur de Sa Majeſté, fit ſelon la couſtume la harangue de l'Obedience, où il eſt vray que les plus habiles ne remarquerent pas moins de diſcretion, que d'eloquence; il fit entendre d'abord au Pape, que le Roy n'auoit differé ſi long-temps à luy teſmoigner en ceremonie la joye qu'il auoit de ſa promotion au Pontificat, que pour luy enuoyer les deſpoüilles obtenuës par ſes Armes ſur les ennemis de l'Egliſe, auec les preuues de ſon obeyſſance. Apres cela il s'eſtendit ſur les grands bien-faits, la protection & l'aſſiſtance que le ſainct Siege a receu de temps en temps des Roys de France, en conſideration dequoy

dequoy ils ont obtenu la qualité de Tres-Chreſtiens, & de fils aiſnez de l'Egliſe; & puis il d'eſcriuit tres-particulierement les ſignalez aduantages qui luy eſtoient arriuez de la part des victoires du Roy, & il aſſeura le Pape que la defenſe de ſes intereſts ſeroient touſiours le plus aimable employ qu'il donneroit à ſa puiſſance, & pour concluſion ſatisfaiſaut au principal deſſein de l'Ambaſſade, il luy dit, que Sa Majeſté n'auoit pas moins de ioye de la promotion de ſa Saincteté, que ſa Saincteté en auoit eu autrefois de ſa naiſſance, qu'imitant la pieté des Roys ſes predeceſſeurs, il ſe proſternoit à ſes pieds & les baiſoit en toute humilité auec les proteſtations d'honneur, & d'obeyſſance qui luy ſont iuſtement deuës, & qu'elle le reconnoiſſoit pour l'vnique Vicaire de IESVS-CHRIST, le ſucceſſeur de ſainct Pierre, & pour l'Arbitre du Royaume des Cieux en tout ce qui concerne le ſalut, prenant garde en cette ſubmiſſion, qui ſe fait pluſtoſt par ciuilité Chreſtienne, que par deuoir, d'eſuiter les paroles qui peuſſent faire croire que cette Couronne euſt quelque dependance temporelle du ſainct Siege. L'vn des Secretaires du Pape reſpondit auec des complimens, & des termes d'honneur fort particuliers, que ſa Saincteté receuoit auec grande eſtime les teſmoignages de reſpect, & d'obeyſſance, & que le Roy luy enuoyoit rendre, & le Pape meſme n'obmit aucune

des

des preuues dont il pût exprimer le contentement qu'il en auoit ; mais le Duc qui auoit pour but, de porter le Pape à fauoriſer les deſſeins du Roy dans les occaſions, ne s'arreſta pas d'auantage à ces complimens dans les Audiances qu'il eut enſuite ; il offrit à ſa Saincteté les Armes de la France dans toutes les occaſions où elle en auroit beſoin, & meſme ſon entremiſe pour terminer le different qu'elle auoit auec les Venitiens ; ſçachant aſſez que rien n'attache plus puiſſamment vn Prince aux intereſts d'vn autre, qu'en luy faiſant voir qu'il trouuera ſes aduantages dans leur vnion. Ce different eſtoit arriué pour les confins du territoire de Gorre, & quelques petites Iſles du pays ; & meſme il s'eſtoit fait vne eſcarmouche entre les Romains & les Venitiens dedans Ferrare qui faiſoit apprehender vne rupture entiere. Le Pape, dont la puiſſance n'eſt iamais plus eſclatante que dans la paix en auoit de l'apprehenſion, de ſorte qu'il accepta volontiers ſon entremiſe ; & ce fut meſme auec aſſez de reconnoiſſance de l'affection que le Roy auoit pour ſes intereſts, & qu'enſuite le Duc partant de Rome, fut à Veniſe traicter de cette affaire, auec ceux qu'il pleuſt au Senat de deputer ; & le Sieur de la Thuillerie Ambaſſadeur du Roy prés cette Republique, mit les choſes en tel eſtat, que les Armes demeurerent oiſiues de part & d'autre, & qu'il y euſt ſujet d'en attendre vn

entier

entier accommodement ; mais auant que partir de Rome, & apres auoir obligé le Pape par l'asseurance du secours des Armes du Roy dans tous les besoins qu'il en auroit, en cette entremise il ne manqua pas d'en tirer les aduantages qu'il luy fut possible pour les interests de la France ; il donna de grands esclaircissements à sa Saincteté sur les affaires d'Allemagne, luy faisant voir à l'œil que ce n'estoit point vne cause de Religion, mais purement d'Estat, n'estant question que de conseruer les Princes d'Allemagne dans la libre iouyssance de leurs Estats, & des droits qui appartiennent à leur Souueraineté ; que le Roy auoit ressenty vn extreme desplaisir des violences qui auoient esté faites à quelques Ecclesiastiques, bien qu'elles ne fussent pas telles qu'on les auoit voulu faire croire ; mais que cela estoit tousiours arriué contre les paroles expresses des Traitez que Sa Majesté auoit fait, & par la faute mesme des Princes Catholiques qui n'auoient pas voulu entrer en neutralité ; & apres tout, ces dommages de l'Eglise estoient faciles à reparer par les moyens qu'il fit entendre à sa Saincteté, & dont elle demeura tres-satisfaite. Et puis, la confirmant dans la connoissance qu'elle auoit de long-temps des desseins de la Maison d'Austriche en Italie, qui vont directement à ruiner la grandeur du sainct Siege, & la liberté Ecclesiastique ; il continua d'asseurer sa Saincteté de la protection des

Armes

Armes du Roy, qui ne luy manqueroit iamais; mais ayant voulu enſuite l'engager à vne ligue deffenſiue auec la France, ſoit pour deffendre l'Eſtat Eccleſiaſtique contre les Venitiens, ſoit pour la protection des Princes d'Italie, le Pape qui a touſiours plus apprehendé qu'aymé les Eſpagnols, ne s'y pût iamais reſoudre, alleguant touſiours pour s'en excuſer, qu'il vouloit demeurer Pere commun entre les deux Couronnes. Ce ne fut pas faute de luy repreſenter qu'vn Pere ne contreuient en rien à ſa qualité pour s'appuyer de quelqu'vn de ſes Enfans, qui le garantiſſe de la violence d'vn autre; mais l'humeur naturellement craintiue du Pape, ne luy permit pas d'en tirer autre choſe, ſinon des aſſeurances, que les Armes du ſainct Siege ne demeureroient pas oiſiues s'il ſe faiſoit quelque entrepriſe contre la grandeur de l'Egliſe & la liberté de l'Italie.

DIONYSII

SALVAGNII BOESSII

LVSVS POETICI,

DE SEPTEM DELPHINATVS MIRACVLIS:

Adiecta præfatione historica,

AD

CHRISTINAM

ALEXANDRAM

SERENISSIMAM SVECORVM, Gothorum & Vandalorum Reginam, vnicam magni GVSTAVI sobolem.

AD CHRISTINAM.

ODEA, quam propter seſe transcendere
visa est

Natura omniparens, fixasque refigere metas,
Quam stupet, & totus terrarum suspicit orbis,
Quà licitum est, cognata tibi miracula Sanci.

PRÆ

PRÆFATIO
IN SILVAM I.
DE FONTE ARDENTI.

DELPHINATIVM locorum, quibus est aliquâ proprietate miraculum, meritò principatum obtinet fons ille celebratus in agro Vocontiorum ad radices Alpium Maritimarum, tertij lapidis à Gratianopoli diuerticulo, qui iugi flammarum exhalatione post hominum memoriam noctu quidem violentius, interdiu segnius inæstuat, eâ liquoris & ignis, seu fidelitate, seu peruicaciâ, vt neque liquorem ignis calefaciat, neque ignem liquor extinguat; tantum eo loci flammæ, tantùm aquæ de iure suo decessisse videntur; aquæ præsertim quas imperare cæteris elementis Plinius scitè dixit, quoniam terras deuorant, flammas necant, scandunt in sublime, & cœlum quoque sibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant. Quo mirari succurrit fontem illum antiquis Authoribus

incognitum præter S. Augustinum ita scribentem lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 7. *Hæc ipse quadam cum multis, quædam cum omnibus noui, & alia plurima quæ huic libro inferere longum fuit. De his autem quæ posui non aspecta, sed lecta, præter de fonte illo, vbi faces extinguuntur ardentes, & accenduntur extinctæ, & de pomis terræ Sodomorum forinsecus quasi maturis, intrinsecus fumeis nec testes aliquos idoneos à quibus vtrum vera essent, audirem, potui reperire. Et illum quidem fontem non inueni, qui in Epiro se vidisse dicerent, sed qui in Gallia similem nossent non longè à Gratianopoli ciuitate. De fructibus autem Sodomitarum arborum, non tantùm litera fide dignæ indicant, verùm etiam tam multi se loquuntur expertos, vt hinc dubitare non possim.* Ex recentioribus peculiares de eo libellos ediderunt Hieronymus Montuus vir ætate suâ magni nominis, Petrus Areodus & Ioannes Tardinus Medici: Quin etiam Cl. Robertus in Galliâ Christianâ Gratianopolitanos Episcopos enumerans, ait S. Hilarium Præsulem Arelatensem de eodem fonte poëmation scripsisse, quod nusquam videre mihi contigit, imò verò nihil eiusmodi scriptum ab illo rectè putauerim. Obiter autem meminere cùm multi, tum Martinus Hilacamilus in Europæ descriptione, quæ excusa est Argentorati anno 1511. Aymarus Falco Antonianæ Historiæ *part. 2. c. 23.* Cæcilius Frey in Admirandis Galliæ. Fortunius Licetus *libro de Lucernis antiquorum reconditis.* Andreas Baccius *lib. 4. de Thermis cap. 10.* quo loco fontem ignitum cum

Motæ

Motæ calidis longo interuallo discretis planè confundit. Quanquam & ipsæ naturâ soli igneâ per occulta commercia, aut bitumen inde mutuantur, aut subministrant: Neque enim *ignis ipse ex se est*, ait Seneca Epist. 79. *Sed in aliqua inferna valle conceptus exæstuat, & alibi pascitur, nec in ipsis aquis alimentum habet, sed viam.* Quo fit, vt mutato interdum spiraminis loco iuxta fontem intactum ignis erumpat, sicut abhinc annos aliquot vsu venit. Siquidem tellus omnis, quemadmodum corpora nostra, fistulis & meatibus distincta est, & tanquam venis interuotata, siue quod omnino coire non potest quæ specie quidem sibimet intra sese differat, siue quod gignit ipsa semper aliquid, aut interimit, aut immutat, siue quia planè viuit ipsa atque à mundi anima vitam trahens ab eadem mundi anima intra extraque perlustratur, vt principes in Philosophia viri differunt. Sicubi verò in sulphuris, aut bituminis venas furentes venti inciderint, tum incendia suscitantur, quoniam hisce generibus terræ ignis concipiendi magna vis inest, & ipsi etiam venti vi sua idoneam igni materiam incendunt. Et quidem vbicunque terrarum se flammarum globi attollunt, ibi sulphur, aut bitumen intra terræ viscera æstuare certum est. Sed & bitumen solum in aquis flammigare, earúmque humore pasci, contra quam Senecæ visum est, atque adeò pluuiis augeri naturalium rerum diligentissimis exploratum est; qua de re videndi præter alios Georgius Agricola *lib. 1. de ortu &*

causis subterraneorum, pag. 12. & *lib.* 2. *sub finem.* Fallopius *de aquis thermalibus*, *cap.* 5. *pag.* 205. Propterea ignium missilium in aquis ardentium compositioni necesse est aliquid inesse bituminis, aut pissasphalti, aut eorum quæ ex bitumine constant. Aliquibus locis tum sulphur, tum bitumen reperiuntur quorum vicina est natura, cum vtrumque terræ pinguedo sit. Et sulphuris quidem indicium nerus est odor, bituminis cùm odor, tum flammæ tenor. Nec mirum in tam angustis terminis durasse post homines natos huiusmodi incendium, & vsque perduraturum; quandoquidem terra semper sui ipsius fœcunda est, semperque semetipsa parturiens igni materiam sufficit quo alatur. Locum antiquitus Vulcano sacrum coniicere licet ex lapide veteri, quem rusticus non ita pridem in eo situ agrum suum repastinans offendit. Is est eiusmodi.

L. MATERNVS OPTATVS
VVLCANO AVG. SACRVM.

Sed & incolæ persuasum habent, tartari spiramentum esse, inibique fontes animas, aut expiari, aut in æuum torqueri. Quod etiam de Ætna Siculi credant, vnde anniuersariæ illæ demortuorum inferiæ, quæ postridiè Kalendas Nouembres celebrantur, Odilone authore, initium habuerunt, de Vesuuio item Campani, de Hegla Hiberni. Enimverò per vulgi animos opinio peruasit loca omnia flammas eructantia crebi crateres esse, vti Philippus Cluuerius Germaniæ antiquæ *lib.* 1. *cap.* 3. obseruauit.

Cæterum

Cæterum huic fonti germaniſſimum deſcribit eleganter Achilles Tatius *lib.2. de amoribus*, Clitophontis & Leucippes in hunc modum, Μὴ μὲν τοι ταυμάζε τὴν τοῦ πυρὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν τοῦ ὕχατος φυσιν ἐτεασάμην ἐγω τοιαύτα μυστήρια. Τὸ γοῦν τῆς Σικελῆς κερασμένον ἔχει πῦρ καὶ φλόγα μὲν ὄψει κάτωτεν ἀπ' αὐτοῦ ἀλλομένην ἄνωτεν. θίγοντι δὲ σοὶ τὸ ὕδατος κασασβέννυσθαι ἀλλ' ὕδατός εἰσιν ἐν τῇ κρήνῃ καὶ πυρὸς σπονδαὶ. *Verum ne ſolam ignis naturam admiratione dignam arbitrare, ſunt enim ſua etiam ipſius aquæ miracula, egóque arcana huiuſmodi vidi. Fons in Sicilia reperitur permixtum aquæ ignem continens: in quo ſalientem ab imo ad ſummum flammam conſpicias, aquam verò ſi tangas, niuis inſtar, frigidam inuenias: neque tamen ignem aqua extinguit, neque aquam ignis calefacit: ſed alteri cum altera pactæ illic induciæ ſunt.* Cuius quidem fontis nullam mentionem habitam ab eodem Cluuerio qui tam diligenter & accuratè Siciliam antiquam deſcripſit, eſt profectò cur mirer. Illum autem de quo nobis ſermo eſt inſtitutus in Vocontiis eſſe diximus Galliæ Narbonenſis populis, de quibus admodum perplexè, ne dicam inſcitè, plerique diſſerunt. Sic enim vir alioqui doctus Notis in Pomponium Melam. *De Vocontiis Populis & Vaſione diu mecum cogitaui, vbi eſſet iſte populus vnà cum oppidis Vaſione & Luco Auguſti. Res eſt obſcura & à noſtris Geographis incertitudine quadam tradita. Prodiderunt veteres Geographi hanc regionem Vocontiorum eſſe in Galliâ Narbonenſi: vbi verò non dicunt: Vaſionem & Lucum oppida recenſent in*

Vocontiis agris, sed neque horum vestigia licet spectare. Ego semper in hoc dubio existimaui Vocontios esse iuxta montem quemdam Visolium nomine in imâ parte Alpium. De Vasione & Luco Augusti tantùm legi nomina, alia verò minimè. Hæc ille, qui si Comitatum Venaſcinum luſtraſſet, animi tantopere non pependiſſet. Αὐτοψία nimirum in Geographo requiritur. Vidiſſet Vaſionis vrbis ingentis colli ſuperpoſitæ reliquias, aut potius ruinas, qualis ab ipſo Mela deſignatur, cum illam recenſet inter opulentiſſimas vrbium quas tum haberet Gallia Narbonenſis. Pingonius Vocontios *Bellifortem Comitatum* eſſe contendit; Pinetus *la Val de Viſo*; Ortelius more ſuo nihil definit. Cum tamen certiſſimum ſit non alios eſſe Vocontios, quàm qui partem Delphinatus & Venaſcini Comitatus incolunt. Præterea Fuluius eoſdem eſſe putat qui Vocates Aquitaniæ; Dij boni quid habebat in animo cum hæc ſcriberet? Neque minus oſcitanter Simlerus addubitat, num Vocontij, Siconij & Veenni ſint iidem Vocontiorum fines latè patebant, quoniam capita fuiſſe Vaſionem & Lucum Auguſti, oppida verò ignobilia nouemdecim Plinius author eſt. Et Vaſio quidem nunc *Vezon* dicitur in Comitatu Venaſcino Pontificiæ ditionis, Epiſcopi ſedes; vnde Concilia Vaſenſia denominata eſſe multis viſum eſt, ſed ea potius Vaſate quam Vaſione habita Binius obſeruauit, & eo prior Baronius, qui cum aliter ſenſiſſet, à ſententia diſcedere non dubitauit. Vaſſedonem quo-

que

que dictam, ex hac inscriptione patet, quæ Vasione in ara quadam Virginis Deiparæ visitur.

MATRIBVS AD CVLTVS
VASSEDON. S.F.V.S.L.M.

Hoc est vt ego quidem existimo. *Matribus ad cultus Vassedone simul faciendos voto soluto liberûm munere.* Nimirum Vasionis appellationem in Vassedonem degenerasse verisimile est. At *Luci* nomen obscurum, & iam inde à Fabij Valentis exercitu deformatum, vt est apud Tacitum; deinde totum ferè condidit vna palus vastáque voragine mersit. Hodie *Luc* altero à Dia lapide. Fuit enim & *Dia* siue *Dea* Vocontiorum oppidum, cuius Stephanus & Author itinerarij meminerunt. Eadémque Arelate in veteri lapide Colonia Dea Augusta Vocontiorum nominatur. Fuit & *Mons Seleucus* Vocontiorum oppidum, cuius mentio est apud itinerarij scriptorem, dictum Socrati in Tripartita historia *Miliosseleucus*, Sozomeno *Montioseleucus*, mendosè pro *Mons Seleucus*. Locus Magnentiana clade nobilis, nunc *Monsaleon* nullius ferè nominis vicus. Eorumdem etiam pagus erat *Vertacomacori* ex quo Nouariam ortam prodit Plinius *lib.* 3. *cap.* 17. hodie *Vercors*, vt mea fert coniectura. Quin etiam Gratianopolim nostram, olim *Cularonem* siue *Cularonam* ad Isaram, Vocontiorum oppidum fuisse non dubito: Certè non erat Allobrogum, quidquid nonnullis videatur. Tota siquidem Gratianopolis trans Isaram sita est, præter vicos Perrerianum & San-Laurentianum, qui

nunquam fuerunt veteris Cularonis, vt ex antiquorum murorum vestigiis apparet. Nam & vicus Chenosius ante ducentos annos duntaxat conditus est. Vnde constat eam non esse in Allobrogibus, quos Isara & Rhodano claudi certum est. Quamobrem dissentio à Paulo Manutio Notis in Ciceronem, & Iacobo Sirmundo Notis ad Sidonium, qui pro *Ciuarone ex finibus Allobrogum*, quod in epistolâ Planci ad Ciceronem, quæ est 23. *lib.* 10. Epistolarum ad Atticum vulgò legitur, restituendum contendunt *Cularone:* Ciuaro enim vrbs erat Allobrogum non longè ab Isarâ, quam Cenalis & Castilionius eam esse putant, quæ *Chambery* nunc appellatur, vrbs Sapaudiæ primaria. Simlerus *Solame en Fossigny.* Ego *Ciuron* Sapaudiæ castellum, vbi veteris oppidi rudera non pauca extant. Cularonis autem mentio cum in antiquo lapide Gratianopoli effosso, quem sic expressi. *D. M. P. Primitiuus. Augustorum libito. stat. Cularon. & Quartinia. mit. coniux. pro se & hared. suis donum dant.* Tum in præclaris illis duodus inscriptionibus, quæ ante Gratianopolim amplificatam & dirutas portas Romanam & Viennensem, quæ patrum nostrorum memoria legebantur; vna scilicet ad portam Episcopi, quæ Romana erat in hæc verba, quorum fragmenta hodiéque luxata supersunt.

DD. NN. IMPP. CÆS. GAIVS AVREL. VALERIVS. DIOCLETIANVS. PP. INVICTVS. AVGVSTVS. ET IMP. CÆSAR. MARCVS. AVRELIVS. VALERIVS.

RIVS. MAXIMIANVS. PIVS. FELIX. INVICTVS. AVG. MVRIS. CVLARONENSIBVS. CVM INTERIORIBVS ÆDIFICIIS. PROVIDENTIA. SVA. INSTITVTIS. ADQVE PERFECTIS PORTAM. ROMANAM. IOVIAM. VOCARI. IVSSERVNT.

Altera in porta Viennensi hunc in modum.

DD. IMPP. CÆSAR. GAIVS AVREL. VALERIVS. DIOCLETIANVS. PP. INVICTVS. AVG. IMP. CÆS. MARCVS AVREL. VALERIVS. MAXIMIANVS PIVS. FELIX. INVICTVS. AVG. MVRIS CVLARON. CVM INTERIORIBVS ÆDIFICIIS PROVIDENTIA SVA INSTITVTIS. ADQVE PERFECTIS PORTAM. VIENNENSEM. HERCVLEAM. VOCARI IVSSERVNT.

Quibus epigrammatis caue putes cum Iacobo Gutherio *lib. 3. de iure Pontificio, cap. 10.* deorum nomina portis Cularonensibus indita; verum Diocletiani & Maximiani, quorum hic Herculius appellari voluit, ille Iouius. Hinc adulatio illa Mamertini Romam alloquentis in Panegyrico. *Vtere quæso tuorum Principum vtroque cognomine, cum non cogaris eligere: Licet nunc simul Herculia dicaris & Iouia.* Et illa Eumenij. *Et sanè præter vsum curámque Reipublicæ, etiam illa Iouis & Herculis cognata maiestas in Iouio Herculióque Principibus totius mundi, cœlestiũ rerum similitudinẽ requirebat.* At neque Gratianopolis neque ipsius Gratiani Imperatoris nomen

vsquam

vsquam mihi repertum, si lapidem vnum exceperim ex pago Moërentio tertio lapide à Gratianopoli, cuius exemplum sequitur.

DIVO GRATIANO. TYRANNIDE. VINDICATA. THEODOSIVS. ET VALENTINIANVS. AVGG. EX VOTO P.

Imò Diocletianum & Maximianum muros Cularonenses cum interioribus ædificiis instituisse atque perfecisse ex allatis inscriptionibus manifestum est; quarum in locum proprias suffeciisset, si Cularoni amplificatæ, aut propugnaculis munitæ nomen suum vetere suppressio, vt vulgo creditum est, incidisset. Itaque fuit aliquando cum existimarẽ non Gratianopolim, sed Granopolim dictam, quomodo manuscripti quidã S. Augustini & Sidonij codices habent. Quam appellationem ab Apolline Grano cuius extant apud Gruterum cõplures inscriptiones ductam suspicabar. Nam & Aquis-granum nobilem Germaniæ ciuitatem, hinc etiam nomen obtinuisse, mihi facilè persuaserim. Et hanc quidem coniecturam Iacobo Sirmundo τῷ μαχαίρῳ huiusmodi rerum idoneo æstimatori perplacere memini. Verùm à recepta nomenclatione discedere mihi religio est. Missum facio Barletum quendam Antonij Goueani amanuensem, qui libro nondum edito de antiquitatibus Delphinatus Herculanam olim dictam ab Hercule conditore somniauit. Neque verò cum dixi positam in Vocontiis, cuiquam dubitationem vllam iniicere debet situs eius

trans

trans Dracum quo Vocontios ab aquilone terminari verisimile est ; mutato scilicet progenitorum nostrorum curâ eius alueo, quo superiori memoriâ longè supra Iouiam portam in Isaram influere solitus, nunc infra Herculeam prorumpit. Eo factum est vt hodie trans Dracum Cularo posita sit, quæ cis illum tribus retro sæculis sita erat. Cularonis autem priscam appellationem seruare videtur proximus illi vicus *Echiroles:* vnde primum aduecta fuisse immania illa saxa ex porta Iouia & Herculea eruta Vicani Echirolenses confidenter asserunt. Cæterum Dracus Vocontios à Garocelis dirimebat, quorum nomen supereſt in pago Goncelino ad Isaram quarto à Gratianopoli lapide. Siquidem pleraſque gentes quæ Delphinatum incolebant ex solis nominibus paulùm mutatis, aut traiectis literis deprehendere licet. Qui enim Vcenni de quibus inscriptio è trophæo Alpium quæ Segusione vbi est Cottiarum Alpium initium hodiéque visitur, *Oysans* nominantur. Qui Medulli in castello *de Meuillon* veterem appellationem obtinent: Qui Sicorij in pago *de Sigoters*; Qui Tricastini in oppido *de Sainct Pol Trois-chasteaux* olim Augusta Tricastinorum : Qui Segalauni quorum ciuitas erat Valentia in oppidulo *de Saillans:* Qui Caturiges in Alpibus maritimis Ebrodunum versus in pago *de Chorges*, vbi visitur hic lapis.

PIO. PRINCIPI. INVICTO. RESTITVTORI. ORBIS. PROVIDENTISSIMO ANNIVS.

ANNIVS. RVFINVS. VERVS. PRÆSES PROVIN. ALPIVM. MARITIMARVM DEVOTIS. NVMINI. MAIESTATIQVE EIVS.

Neque me latet Cularonem æuo posteriore in Sabaudia siue Sapaudia collocatam, quod ex Notitia Imperij discimus, quæ Tribunum Cohortis, primæ Flauiæ Cularone in Sapaudia stationem habuisse docet, nisi forte locus aliter quàm vulgò legitur interpungendus. Cui videtur consentaneum Huberti Comitis, cui factum cognomentum à candidis manibus diploma vetus in Regio Gratianopolis tabulario mihi lectum, quo pium donum Gratianopolitano S. Laurentij Monasterio confertur, vnde partem illam Gratianopolitani tractus Sapaudicæ ditionis etiam tum fuisse coniecturam duxerim. Id verò adscribere pretium operæ sit; nec erit inuiundæ lectionis.

Sacrosanctæ Dei Ecclesiæ sitæ in pago qui antiquitus vocabatur Lauaserone, modò vocatur ad Scalas in honorem Sanctissimæ Mariæ dicatæ in Episcopatu Gratianopolitano, seu aliis Ecclesiis omnino destructis & readificatis in eadem parochia sitis. Ego Hubertus Comes & filij mei Amedeus & Odo donamus omnes supradictas Ecclesias cum vno manso S. Petro Cala.....ensis Ecclesiæ, Sanctóque Theofredo, necnon Sancti Lauentij Gratianopolis Monasterio ob remedium animarum nostrarum, omniúmque parentum nostrorum in tali tenore, vt Monachi ibidem militantes S. Laurentio habeant & possideant perpetualiter sine alicuius contradictio

traditione ; nominatimque dicimus omnem decimam, & primitias & cœmeteria ; necnon oblationes ad ipsas Ecclesias pertinentes totum & ad integrum donamus Domino Deo, & ad Sanctos supradictos, taliter concedimus qualiter lex nostra concedere præcipit. Si quis calumniator extiterit nobis viuentibus, defendatur à nobis abundantius. Si quis hanc nostræ donationis chartam post nostrum decessum contradicere voluerit, vel calumniari ausus fuerit, non vindicet quod intulerit, sed ********** *& in domo Regis cuius in regimine est, libras quatuor auri. Et insuper iram Dei incurrat omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, Sanctique Michaëlis, Clauigerique Petri vinculis innodatus existat, omniumque Sanctorum Dei, & cum Iuda traditore, & Nerone Imperatore, & Simone Mago, & Iuliano Apostata, ac Dathan & Abiron præcipitetur in infernum, & postea chartâ ista eleemosynaria firma & stabilis permaneat. Acta hac charta IV. Idus Iunij. Lunæ XVIII. Indictione X. Anno ab Incarnatione M. XLII. Regnante Henrico Rege. Ego Hubertus Comes manibus meis firmo, & testes rogo firmare. Sigillum Brocardi Archiepiscopi. S. Aymonis S. Malleni Episcopi. S. Amedei Comitis. S. Odonis. S. Burnonis. S. alij Burnonis. S. Aureliani. S. Rostagni.*

Sapaudia enim in Gallia Riparensi, cuius mentio tum apud Prosperum in Chronico, tum apud Ammianum Marcellinum *lib.* 15. ex nuperâ emendatione Henrici Valesij latè patebat. Nunc intra fines eius ditionis continetur,

tur, quæ Principe indigenâ longè nobilitata est. Indigenâ inquam, iam tum ab initio Principatus. Nam quod Historici recentiores de Betaldo Saxone gentis authore produnt commentitium prorsus & fabulosum esse viris acri exactóque iudicio exploratum est, cuiusmodi sunt omnium penè familiarum illustrium origines. Et verò maius huic Regiæ prosapiæ decus accedere mihi videtur αὐτόχθονα esse qua aduenam, propriaque & ingenita luce coruscare quam mutuatitia. Dicant & sentiant alij quod velint. Sed hæc hactenus, quibus me nimis immoratum & ab instituto meo longius euagatum si quis arbitretur, meminerit totum hoc opusculum emblematis cuiusdam vermiculati simile esse. Dulce & decorum est de patriâ loqui; turpe contra gentem in quâ versamur ignorare, eò maximè quod in ea historia quæ mille annos excedit velut in alienâ patriâ peregrinari & quasi hospites diuersoria quærere cogimur.

PYRO

PYROCRENE,
SIVE
FONS ARDENS
in agro Gratianopolitano:

AD

CHRISTINAM
SERENISSIMAM
Suecorum, Gothorum
& Vandalorum

REGINAM.

CEDITE Sicanij Vatum mendacia fontes,
Nec Dodonæ suas extollat Chaonis vndas,
Non Lucana suas tellus; nec fama loquatur
Ammonis latices mediis frigere diebus,
Et medias solitos per frigora feruere noctis;
Non te pigra palus, quæ turbida cespite iacto
Elicis inuito nimbos & fulgura cœlo;
Non Phenij lympham, gelidæ qua noctis ad vmbras

Noxia, Phœbeos innoxia fertur ad ortus ;
Non quæ pota parit dulcis fastidia vini ;
Centum præterea fileant fonteſque lacuſque,
Qui ſua per varias iactant miracula terras :
Vnum Pegaſides, vnum celebrate Camœnæ
Fœdere qui ſocias inito vomit ignibus vndas,
Innocuum latè flammâ lambente liquorem
Siue cauernoſis ventus cohibetur hiulcæ
Viſceribus terræ, libertatémque reposcens
Sæuit & ingenitum niuendo concipit ignem :
Siue bitumineis erumpit anhelus ab antris
Spiritus, & flammis ſuperantibus ardet, ab ipſis
Innutritus aquis : Imo ſeu feruet in agro
Impatienſque premi ſe tollit in æra ſulphur.
Cauſa latet, cauſam Muſæ memorate latentem ;
Inſolitos peragro ſaltus, quà nulla priorum
Semita, Pieridum veſtigia nulla ſororum ;
Magne tuos aly dicent Lodoice triumphos,
Heſperiam bello fractam, pulſumque Britannum,
Et domitum latè Scaldim, Rhenumque bicornem :
Arma canant totum ſpirant qui pectore Phœbum
Auſi Mæonias Heroo pectine cordas
Tangere ; Sequanides meditentur grandia Muſæ ;
Nos tremuli fontes, ignotáque nomina magnis
Vatibus, & gracili deductum carmen auena
Nos indicta iuuant patriæ miracula terræ,
Quæ tenui ludat calamo ſub tegmine fagi
Tityrus, aſſurgant Dryades, teneræque iuuencæ
Graminis immemores arrectis auribus adſint.
Incipe Calliope dum mollior aura ſuſurrat.
An Phytrioniades priſco ſi creditur æuo,
Alpibus eiectis, longóque labore viarum

Feſſus

Fessus arenosas Isaræ consedit ad undas,
Vastáque tranquillo porrexit membra sopori.
Indigenæ medium ludebant fortè per amnem,
Gratáque mille modis fallebant otia Nymphæ;
Nunc vario clarum mulcentes æra cantu;
Nunc madidos leni siccantes sole capillos,
Dum tepidas halat per inane fauonius auras;
Nunc iuuat undantes implere liquoribus urnas,
Nunc alto lubet impletas effundere lapsu,
Vnde fluit celeri violentius agmine flumen:
Hæc secat alternis impulsa fluenta lacertis,
Aut leuibus torquet vestigia lubrica plantis;
Desilit illa petens imum thalamosque repostos,
Tum resilit; niueo fusus de pectore candor
Emicat, & tremulæ fluitant super amne papillæ;
Altera pube tenus liquentibus enatat undis,
Candentémque sinum, candentia brachia monstrat;
Omnibus est ætas eadem, decor omnibus idem.
Vtque vident latè fusis Heroa iacentem
Artubus, & tota proflantem pectore somnum,
Hirsutasque genas, densisque rigentia villis
Brachia, nodosam clauam, tegmenque leonis,
Ingeminant lætum summo de gurgite risum,
Totáque virgineis immurmurat vnda cachinnis:
Excitus interea visas Tirynthius ardet
Naiadas, & totis subitum bibit ossibus ignem:
Nec mora, depositò præceps velamine fluctus
Insilit, attonitæ labuntur in abdita Nymphæ;
Pars Sassenagiæ cursu petit ardua rupis,
Pars Dryadum quærit latebras tutosque recessus;
Ipse diu vano frustratus gaudia tactu
Implicitam mediis Heros intercipit undis

Chlorin, & abducta potitur florente iuuenta,
Dum procul obiecta clamant è rupe sorores,
Stagnantesque genas lacrymis rorantibus implent;
Quæ simul agrestes vultu labuntur in herbas
Punicei fiunt, res visu mira, lapilli,
Queis ea vis totum latè celebrata per orbem
Mansit, vt inserti lasis medeantur ocellis,
Gemmea nec quisquam pretiosius India mittat.
Post vbi se nouies complerunt cornua lunæ.
Maturumque iuuans vterum, Lucina resoluit,
Partheniam Chloris superas in luminis auras
Edidit. Ille simul ter quinos attigit annos,
Posthabito matris gremio, ludisque iuuenta
Per iuga, per saltus & inhospita tesqua vagatur
Exuuiis gaudens, & crebra cæde ferarum:
Ilicet ascensu montes, & concaua saltu,
Planaque vincebat cursu, nec bruma, nec æstus,
Nec puerum sistunt plenis caua flumina ripis:
Nunc amor immanes agitare cubilibus vrsos,
Figere nunc sæuos obliquis dentibus apros:
Vt leo Marmarici proles generosa parentis,
Effera quem solito depulsum lacte cruentis
Assueuit dapibus genitrix, vbi sensit aduncis
Vnguibus armari plantas, & dentibus ora,
Colla rigere iubis, firmari verbere caudam,
Indignatur ali, nemorumque per auia liber
Æstuat ipse sui vindex, prædáque feroci
Dant siluæ, dant saxa locum regémque salutant.
Ah! quoties tigrium steriles, sterilesque leonum
Sanguinis Herculei non degener increpat Alpes!
Vtque patris duros mores animosque gerebat,
Sic niueo referens genitricem Chlorida vultu

In Saffenagia rupe lapilli quidam punicei effodiuntur ad purgandos oculos efficaciſſimi, quos ideo pretioſos appellãt.

Tithonus

Tithonus poterat, poteratque subinde videri
Aurora Cephalus, Veneri formosus Adonis,
Endimion Lunæ, tantum decus ore nitebat;
Attamen ambiguum formam pudor, illa pudorem
Vinceret, æquabat formam pudor, illa pudorem.
Hunc Dryades frustra, frustra petiere maritum
Naiades; ast alios tantò violentior arsit
Vna Pyrocrene, quantò formosior inter
Ibat Hamadryadas; felix nisi vulnere cæco
Saucia traxisset labefacta per ossa furorem.
Delius hanc summas venantem forte per Alpes
Viderat, & forma captus: Peneidos, inquit,
Hæc mihi præteritos Daphnes instaurat amores;
Par vtrique decus formæ, par cultus vtrique,
Par coma, par ætas, positaque subinde pharetra
Aggreditur blando trepidam sermone puellam.
Corripit illa fugam, fugienti feruidus instat
Cynthius, anhelat Nymphe, cursuque Dianam
Nacta cupidineos elusit Apollinis ignes:
Tum Deus hæc sacro præsagia pectore fundens,
Sic quoque Nympha tuos ludet puer, inquit, amores,
Tuque Dioneis ardebis, vt ardeo, flammis.
Hæc ait, eueniunt; fatalem discite casum,
Discite, primæuis res est indicta poëtis.
Est locus Alpinis in vallibus arbore multa
Consitus, aërium quà Mosserola cacumen
Exerit. Hîc solitæ Dryades aperire vicissim
Arcanos animi sensus; hîc tuta proterui
Martis in amplexus Venus aduolat, vnde perennes
Vulcanum latices pellunt, vmbracula solem:
Quò sudore fluens & casso fessus ab apro
Parthenius subiit, densæque sub ilicis vmbra

Pulnerulentus humum preſſit, dum torret hiulcos
Sirius acer agros, reſonántque rubeta cicadis.
Dúmque ſoluta leuis claudebat lumina ſomnus,
Ecce procul niueo percurrens pectine crines,
Irriguáſque iacens muſcoſi fontis ad vndas
Lactea Parthenij ſubluſtrem fortè per vmbram
Ora Pyrocrene vidit, flammáſque medullis
Hauſit, vt admotum fax pinea concipit ignem.
Tum dextrâ cecidit pecten, vibrata medullis
Flamma rubore genas violat, tenuíſque per artus
Sudor it: heu! quid agat virgo, puerine cupitos
Ibit in amplexus, & dulcia baſia figet;
An procul excutiet laſciuas pectore flammas;
Hinc amor, inde pudor certant; nunc ille pudorem,
Nunc pudor alternis ſuperat genuinus amorem;
Tandem vicit amor, tum perdita virgo nitentem
Compoſuit ſeſe conſulti fontis ad vndam,
Et ſibi viſa placens, nullique ſecunda ſororum
Adnolat in gremium pueri, colloque lacertos
Implicat, vt ſocias vitis circumligat vlmos,
Vtque ſolent hederæ vinctas innectere quercus;
Ille ſuperfuſa ſeſe ſubducere Nymphæ
Nititur, & ſtrictus nunc hac, modo volnitur illac.
Luctatúſque diu tandem cedente puella
Proripuit ſeſe leuibus per deuia plantis.
Illa pudore locum fugiens, riuíque loquacis
Murmura, ſecreto ſeſe procul occulit antro,
Perpetuíſque rigat, viſu miſerabile, vultum
Fletibus, & crebris ſingultibus ilia rumpit.
Interea mœſtæ paſſim per opaca ſorores
Luſtra Pyrocrenen clamant, clamantibus Echo
Adſonat, & ſenſim tabenti corpore Nais

Emoritur,

Emoritur, donec lacrymis absumpta perennes
In frontis latices abiit, qui triste susurrans
In Gressa properat celeri vada concita lapsu,
Et lymphæ sociam iaculatur in æthera flammam,
Vt lymphâ lacrymas flammâ testatur amorem.

Tu mihi progenies magni CHRISTINA parentis,
Vandalicæ Regina plagæ, quam respicit Arctos,
Æquoreis Arctos nunquam mergenda procellis;
Tu si fortè vacat tanti sub pondere regni,
Si libet à grauibus paulum requiescere curis,
Regia Virgo faue, Galli nec Vatis auenam
Despice, Gallus ego quidni tua Numina poscam?
Quæ longinqua tui regio, quæ nominis expers
Est plaga, cui virtus non est tua cognita genti?
Siue coloratis qua Titan surgit ab Indis,
Seu Tarteſſiacis quà pronus mergitur vndis,
Seu Lybicas flauus quà Bagrada voluit arenas,
Aut quà perpetuis riget vltima terra pruinis.
Cedit Achæmenio tibi freta Semiramis arcu;
Cedit Orontea totum celebrata per orbem
Gloria Zenobiæ, partis licet illa tropæis
Pene supercilium Tarpeia contudit arcis,
Pene Tibrim domuit, tanti dux femina belli,
Femina sidereo longè pulcerrima vultu,
Quæ tamen illæsi seruauit iura pudoris,
Nec nisi tentatis conceptibus isse pudicos
Fertur in amplexus & dulcia furta mariti;
Cuius & innumeris virtus spectata periclis
Clarior enituit, postquam fortuna sinistro
Numine versa retro, postquam Tiberinus Oronti

Insultauit ouans, & Roma cessit Edessus,
Ipsaque Romanos auxit captiua triumphos,
Tunc inuicta magis, lauo cum victa Gradiuo.
O quàm te memorem Virgo; tu maius Adolphi
Patris opus, magni Regis tu gloria maior,
Plusque sibi decoris peperit Mauortius Heros,
Quod te progenuit, quàm quod Germanica fudit
Agmina, quod domitis latè regnarit in oris,
Et patrius spoliis vrbes ditarit opimis.
Sed maiore tuba dum personо, Cynthius aurem
Vellit, & agresti siluas mulcere cicuta
Admonet, Heroum prohibens attingere laudes.

PRÆFATIO
IN SILVAM II.
DE TVRRE VENENI EXPERTE.

IN finibus Vocontiorum Delphinatum, quâ sunt Allobrogibus contermini ad confluentes Draci & Isaræ Castellum vetus loco admodum edito, patrum nostrorum memoriâ Parisio pago imminebat, idque turre quadratâ cuius etiam nunc ruinæ supersunt maximè conspicuum, vnde toti ædificio nomen, quam accolæ *Turrim sine veneno* propterea nominant, quod in illâ nullum animal venenatum nascatur, nec etiam inuectum viuat: Cuius quidem loci natura comperta est, importatis arancis, aut serpentibus ab iis quos miraculi periclitandi cupido incessit: siue genus est terræ proprietatis suæ, siue plantæ quædam venenis infestæ, atque inimicæ adnascuntur. Certè nullibi largius prouenit echium, sic appellatum quod viperarum morsibus tum admotum vul-

neri, tum epotum medeatur. Quidam verò pulueris ex eâ Turre superiactu serpentum genus interim falsò prodiderunt. Memoratu dignum, quod pagus in quo Turris sita est, in antiquis tabulis *Parisius*, hodie *Parisetum* vocatur: Eáque *Pariseti Turris* interdum nominatur. Lutetiam autem Parisiorum, quam & ante centum annos barbarè *Parisius* appellabant, serpentum & murium expertem fuisse testatur vetustissimus Historiæ Francorum scriptor Gregorius Turonensis, qui circiter annum à partu Virginis sexcentesimum claruit. Eius enim verba sunt ex lib. 8. cap. 33. *Aiebant enim hanc vrbem quasi consecratam fuisse antiquitus, vt non ibi incendium praualeret, non serpens, aut glis apparuisset. Nuper autem cum cuniculus ponis emundaretur, & cœnum de quo repletum fuerat, auferretur, serpentem glirémque aneum repererunt. Quibus ablatis & glires ibi deinceps extra numerum & serpentes apparuerunt, & postea incendia perferre cœpit.* Et verò de strenuo illo Rolando, si quidem vnquam fuit, huius castelli conditore illatâ humo Lutetianâ, cum Gratianopolim à Saracenis occupatam obsidione premeret, fabula quædam circunfertur, quam referre non piguit Authorem eius libri, quo Sacerdotia omnia diœceseos Gratianopolitanæ describuntur, ideoque manuscriptus in Episcopij tabulario asseruatur. Quamobrem Parisiæ Turris nomen ex eo ductum videri possit, quod eandem serpentes abigendi vim obtineat, quæ olim Parisiis inerat. Nisi quis eam nomenclationem referre

ferre velit ad Isidem, sed hoc diuinare est, cuius fanum in eo pago fuisse coniecturam summam facit inscriptio vetus inibi reperta hunc in modum.

ISIDI. MATRI. SEX. CLAVDIVS. VALERIANVS. ARAM. CVM. SVIS. ORNAMENTIS. VT. VOVERAT. DD.

Quò fortassè pertinebit & hic lapis Gratianopoli effossus ex Portâ Iouiâ, cuius meminit Stephanus Clauerius Floridorum *cap.*37.

ÆSCVLAPIO. SACR. M. CÆCVS. ISIDIS. ÆDIT. P.

Vnde forsan Parisius à Pharià siue Pariâ Isidе dictus, detractâ scilicet aspiratione, quomodo semper scribendum esse Iouianus Pontanus existimat libro de Aspiratione. Veteres enim dicebant *Triumpus*, *Pulcer*, *Cartago*, vt author est Cicero in Oratore. Item Quintilianus *lib.*1. *&* 12. *cap.*10. quo loco narrat quendam de rustico quæsisse, num Amphiona nosset, quo negante, Ampiona dixisse, qui statim à rustico agnitus sit, quia Latinis aspiratio post consonantem ignota. Extat etiam nummus Helenæ Iuliani Imperatoris vxoris in quo *Paria Isis* dilucidè legitur. Imò verò sunt qui Parisios itidem à Pariâ Isidе nuncupatos existimant: Eóque Ioannis Tristani reconditæ lectionis viri sententia inclinat *Tomo* 3. *Commentariorum Historicorum pag.*734. *in Helenâ*. Sed de Turre Parisiâ iam satis: Cui non est absimilis ædes sacra Saornone in agro Vapincensi ruinâ pene collapsa, quæ nihil veneni

generare

generare nec inuectum sustinere creditur. Sunt præterea complures loci serpentum generis expertes, cuiusmodi feruntur insulæ Sardinia, Ebusus, Hibernia, Orcades. Sed enim Melitæ priuatim meminisse succurrit, in quâ serpentes innocuos esse neminem latet. Quod incolæ S. Paulo acceptum ferunt, postquam eò loci naufragio eiectus viperam manu illæsa in ignem excussit. Tum certè lethales fuisse peruincunt hæc S. Lucæ verba ex Actis Apostolorum cap. 27. quo nauigationem Apostoli persequitur, ὁ μὲν οὖν ἀποτινάξας τὸ θηρίον εἰς τὸ πῦρ, ἔπαθεν οὐδὲν κακόν. οἱ δὲ προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν. *At ille excussâ bestiâ in ignem nihil mali passus est. Illi verò expectabant dum intumesceret, aut concideret repentè exanimis.* Celebrantur & alexiterij lapilli, qui è specu S. Pauli sub antiquæ vrbis mœnibus, magnam partem serrati & pectinatim fimbriati, dentiúmque & linguarum formâ effodiuntur. Enimverò dudum explosa est sententia Constantini Porphyrogeniti, qui libro de Administrando Imperio ad Romanum filium *cap.* 36. alteram Melitam esse prodidit, ad quam S. Paulus eiectus sit. Illam nimirum quæ posita est in sinu Adriatico ad Illyricum in conspectu Epidauri. Quam ideo gloriam Melitenses Dalmatici litoris Cœnobitæ etiamnunc sibi assumunt. Philippus autem Cluuerius Geographorum huius memoriæ facilè princeps *lib.* 2. Siciliæ antiquæ *cap.* 16. & 17. priorem illam Siculi freti Melitam olim Iunonis templo

templo nobilem, cuius & Masiniſſa religionem violare veritus eſt, nunc Ioannitarum Equitum ſedem longè celebratam, confutatis veterum coniecturis eandem eſſe contendit, quam Homerus Ogygiam vocat ab decantatâ illâ Calypſo inhabitatam. Quod attinet ad homines illos, qui ſe pro gentilibus S. Pauli venditant (*Enſalmadores* & *Salutatores* Hiſpani vocant) ideoque Pſyllorum & Marſorum more familiæ ſuæ duntaxat vi quadam genitali datum prædicant, vt ſerpentium virulentorum domitores ſint, & medelarum miracula faciant, puros putos aretalogos, & circulatores eſſe rectè ſentio; quidquid Nauarro, Azorio, Sancheſio, Palacio, Delrio, Zacuto Luſitano viris alioquin grauiſſimis videatur, qui gratiam gratis datam, vt ipſi loquuntur, in illis hominibus agnoſcunt. Neque verò mihi prætermittenda Gaulos inſula, S. Lucæ Κλαύδη nominata, hodie *Gozo*, quæ Melitæ lateri ad occidentem verſus prætenditur, freto latitudinis quatuor, aut quinque millium paſſuum duntaxat interiecto. Nam iactus ex eâ quocunque gentium puluis arcet angues, ſcorpiones ſuperiactus illico perimit, ſi fides adhibenda Solino *cap.* 32. Cæterum Graiſiuodana Vallis obiter hoc poëmatio mihi deſcripta, quam Ludouicum XI. Delphinatus miraculis adſcribere ſolitum accepimus, propterea quod tractum illum qui intra Portam Gratianopolis San-Laurentianam & Sapaudiæ fines continetur, nec horti cuiuſdam abſimilem, longitudinis

viginti

viginti millium paſſuum, latitudinis quatuor millium numeroſa Nobilitas illuſtrium hominum ferax inhabitet. Hinc ortus S. Amatus ex parentibus, inquit Author eius vitæ, Romanæ ſtirpis nobilitate claris, vir ante mille annos morum ſanctimoniâ & miraculis inſignis, qui vnà cùm S. Romarico diſcipulo ſuo Nobilium Virginum, quæ Romaricenſes hodieque nominantur, in Lotharingiâ Cœnobium condidit. Hinc orti Guiffredus Saluagnius Boeſſius Templariorum Equitum Magiſter anno 1285. Franciſcus Caſſardus & Ioannes Arcius Cardinales: Albergeonus Mallius, cuius nomen ob Sapaudum Comitem ab ipſo captum Sapaudicis Annalibus conſecratum: Soffredus Alamandus Molartius Delphinatus Prorex Italicis bellis inclytus: Petrus Terrallius Baiardus heroicæ virtutis ac veræ laudis homo: Antonius Arcius vir ſtrenuus, apud Scotos, impubere Iacobo V. Rege, ſummæ rei ſub Albino Duce præfectus, quo in Magiſtratu magnum æquitatis & iuſtitiæ ſpecimen exhibuiſſe Buchananus Scoticarum rerum ſcriptor prodidit: Aymo Saluagnius Boeſſius Baiardo proximâ cognatione iunctus, eiuſque & Arcij certaminum particeps & ſocius; cur enim verecundiâ proauitæ gloriæ teſtimonium ſubtraham, quod alienæ redderem: Guigo Guiffredus Boterius Taurini Prorex, idémque Regij Francorum exercitus ductor: Franciſcus Bellomontius Adretius, manu promptiſſimus, atque acerrimi, ne dicam ferocis

rocis animi, proinde multis ac inusitatis facinoribus nobilis: Hinc oriundæ Claudia Scholastica Bectonia, Catharina Bectonia, Delphina Tornetia, Gabriela Boissieria Tarascone Sanctimoniales apprimè literatæ, quarum de virtutibus cum alij, tum maximè dilucidéque Gulielmus Paradinus *Historiæ suæ lib.3. cap.1. pag.73. 78.* retulit in hæc verba: *Haud segnius humaniores literæ, ac omnes bonæ artes, in Tarasconensibus Virginibus mutuo nexu conspirarunt (quanquam adhuc illarum os non vidi) quas tanto iam ingenij cultu præditas audio, vt viros etiam literis præcellentes æquare possint, si non etiam præcurrere. Harum nomina sunt (quorum saltem Latinè scripta videre contigit) Scholastica Bectonia, Catharina Bectonia, Delphina Tornatoria, Gabriela Boissieria, quæ tantos in literis mihi progressus feciſſe videntur, vt dignæ sint, quæ celebrentur Musarum sempiternis honoribus.* Iosc. Scaliger in Notitiâ Galliæ scribit Territorium Gratianopolis, seu potius agrum suburbicarium à vulgo Delphinatium Graisiuodanum appellari voce corruptâ ex Gratianopolitano. Detur & coniecturæ meæ locus. An tractus ille sic appellatus quasi *Graia vada*, quòd ex Graiis Alpibus Isara per mediam Vallem decurrat. Hoc innuere videntur hi versus Lucani *lib.1.*

Hi vada liquerunt Isaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa suo famæ maioris in amnem
Lapsus ad æquoreas nomen non pertulit vndas.

Sic *Vada Sabatia* nunc *Savona* in litore Liguſtico,

gustico, vnde Maritimæ Alpes incipiunt. An petenda longius coniectura? Vetus est opinio Graium Herculem mortalium primum Alpes cum exercitu transcendisse, vel authore Silio pluribus locis, tum *lib.3.*

Primus inexpertas adiit Tirynthius arces:
Scindentem nubes, frangentémque ardua rupis
Spectarunt Superi, longisque ab origine seclis
Intemerata gradu magnâ vi saxa domantem.

Quod Liuius quidem, & post eum Cluuerius fabulosum putant: sed non prorsus vana & inanis narratio videtur, quando transitus Herculis complura monumenta supersunt. Hinc enim Graiis Alpibus & Graio Saltui nomen inditum prodit Æmilius Probus Cornelij Nepotis epitomastes in Hannibalis vitâ his verbis: *Ad Alpes postquam venit, qua Italiam ab Galliâ seiungunt; quas nemo vnquam cum exercitu ante eum præter Herculem Graium transierat; quo facto is hodie Saltus Graius appellatur.* Item Plinius lib.3. cap.17. *Salassorum Augusta Prætoria, iuxta geminas Alpium fauces, Graias atque Pœninas. His Pœnos. Graiis Herculem transisse memorant.* Et cap.20. *Lepontios & Salassos Taurisca gentis Cato arbitratur. Cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis interpretatione Græci nominis tradunt, præustis intra sinus Alpium niue membris. Eiusdem & Graios fuisse positos in transitu, Graiarum Alpium incolas; præstantésque genere Euganeos inde tracto nomine.* Sunt qui per Maritimas Alpes Herculem in Italiam transgressum affirmant,

portum

portúmque ad perennem eius memoriam consecratum, cui nomen Herculis Monœci. Hinc natus error Petronij Arbitri, vt rectè Cluuerius obseruauit, Graias Alpes cum Maritimis confundentis; quo etiam implicatus videtur Ammianus Marcellinus. Alpes Graiæ, quæ Ideonni Reguli terra, sunt ditionis Sapaudicæ inter Montem Cenisium & minorem Montem S.Bernardi, vbi sunt fontes Isaræ Graisiuodanam Vallem interluentis, quà veri simile est Herculem eò tendentem iter fecisse, iis Alpium faucibus ingressum, vbi vicus est Vorapium, corruptè pro *Ora Alpium*. Inde fortassis dicta Graia Vullis siue Graia ὁδὸς, id est Graia via, quæ postea in Graisiuodanam degenerauit, sicut Graius Saltus & Alpes Graiæ. Sed hæ sunt meræ coniecturæ.

MEDEA

SIVE

TVRRIS EXPERS VENENI.

QVA Dracus effrano per inania ingera curſu
Exultat ſegetum ſpoliis, Iſaraq; frementes
In latus vrget aquas locus eſt vbi Turris ad auras
Surgit, & audaci vicina cacumine tentat
Sidera, quò nulli ſubeunt impunè dracones,
Nullâque ſuſpenſis diſcurrit aranea telis,
Nulla venena latent; res viſu mira, ſed vſu
Cognita, prodigij nec quenquam fama fefellit.
Siue pruinoſis agitata cacumina ventis
Algentes fugiunt angues, ſeu fortè veneni
Impatiens gramen per hiantia rudera ſerpit.
Genij locorũ anguinea ſpecie colebantur. *Tu mihi tu præſens numen, cui peruia ſoli*
Fit varij fictâ colubri ſub imagine Turris
Pande loci Genius cauſam, votúmque ſecunda.
Tu quoque Pieriis conſors adiuncta deabus
Da facilem curſum noſtro CHRISTINA labori
Orbis Hyperborei numen: Tu ſcilicet almæ
Virginis os habitúmque geris, populóſque gubernas
Quos igni propiore fouet vicina Caliſto;
Sed tua te virtus prodit, mentiſque fatetur
Igneus ille vigor diuarum ſanguinis vnam.

Non

Non ego ſollicitem Cirrham, priſciſque vocatis
Vatibus Aonidas, non Delia numina Phœbi,
Si modò ſacra tui ſpirauerit aura fauoris.
Annuis; Indigenæ priſcas audite remoti
Hiſtorias aui, quarum vix fama ſuperſtes.
Ægeus, vt perhibent, Medeæ coniugis arte
Prolis in exitium Scythico lethalia ſucco
Fercula miſcuerat, cum Theſea prodidit enſis
Attonitúſque ſenex vlturas arſit in iras.
Illa citis notas colubris elata per auras
Effugit, & tutas hinc inde vagantia ducens
Lumina perquirit ſedes: Hinc Phaſidos vndas
Caucaſeámque videt Colchon, ſed proditus olim
Exagitat mentem genitor, ſpretúſque recurſat
Gentis honos, hæret Phryxæum pectore vellus.
Inde iacent ſparſæ mediis Abſyrtides vndis,
Sed lacerata ſubit diſcerpti fratris imago.
Illinc Apidanus, Phœnix, Amphryſus & Æas,
Othris & Oſſa patent, Pindus Tempéque, ſed altâ
Mente repoſta manet Peliæ violata ſenectus:
Dúmque tuos Cromyon ſaltus, bimarémve Corinthum
Aſpicit, ardentis ſibi flammea dona Creuſæ
Fingit, & incenſi fumantia tecta Creontis.
Heu quid agat, vario curarum fluctuat æſtu,
Terrarúmq; plagas, totûmque ſuperuolat orbem.
Ter Cancri dubias in brachia flexit habenas;
Térque pruinoſas auerſa reflexit ad Arctos:
Sæpè ſub occaſus errauit, ſæpè ſub ortus:
Tandem cæruleis aduecta draconibus Alpes
Attigit, & fuluæ palmis accliuis arenæ

Proluit ora tuis ſpumoſe Druentia lymphis,
Inde per horrentes niuibus delapſa receſſus
Ingenuam ſubiit deuexo tramite Vallem,
Quà Graius veniens Alcides tranſiit oris,
Hinc veteres GRAIAM VALLEM dixere coloni.
Siderei cano circunſtant vertice montes,
Et mediam rapidis Iſara ſecat alueus vndis.

Deſcriptio Vallis Graiſiuodanæ.

Hinc arat Allobrox, arat inde Vocontia pubes,
Diues vtrinque ſolum. Depaſcunt prata iuuenci;
Induit arua Ceres; Pomona feracibus hortos
Conſerit arboribus; colles inſedit Iacchus;
Proxima caſtaneæ, tum fagus & hiſpida pinus,
Alnus, & Alpinis abies aſſueta pruinis,
Æquoris inſanas abies viſura procellas;
Viſcera multiplici dureſcunt fœta metallo;
Æternáſque niues hiberna cacumina monſtrant.
Aërias nondum CVLARO ſurgebat ad auras
Vallis in anfractu, fatis mihi debita ſedes,
Quæ populo feruens & maieſtate Senatus
Clara Subalpinas inter caput exerit vrbes.
Et tua vicinis oſtendens BONNE Sapaudis
Mœnia, ſidereo tollit tua nomina cœlo.
Læta ſalutatam Colchis circunſpicit oram,
Miratúrque ſitas altis in rupibus arces.

Viri bello illuſtres ex Graiſiuodanâ Valle oriũdi.

Hinc domus aëriâ ſe turre BOESSIA tollit,
Priſca meis ſedes atauis, quos martia latè
Gloria præclaris euexit ad æthera factis.
Nec procul in cœlum Belmontia tecta minantur,
Vnde tibi patriũ celeberrime nomen ADRETI,
ARCIADVMQVE domus, tua bellice ductor origo,
Tuque Caledoniis qui gentibus aqua dediſti,

Ingratámque tuo sparsisti sanguine terram.
Inde micãt rutilis BAIARTI A culmina pinnis,
Nondum clara tuis heros fortissime cunis,
Qui ducis impauidi culpáque vacantis ab ipso
Laudatus meritum præfers cognomen Ibero.
Exerit in molli tum se Boteria cliuo,
Parua, sed ingentis BOTERI nobilis ortu.
Centum præterea surgunt in collibus arces,
Vnde tot Heroës orti, mauortia bello
Pectora, tot patriis illustria nomina fastis.
Dúmque vago latè perlustrat singula visu
Phasias, in summo prærupti vertice montis
Ardua sidereæ vidit fastigia turris
Sublimésque trabes, quas gens ignara secundas
Deucalionis aquas metuens aquauerat astris;
Vnde procul tumidos amnes, latéque natantes
Despiceret campos: Hic fessa labore viarum
Constitit; & subitò, fidi saluete Penates,
Tu quoque Turris ait salue, qua meta laborum,
Qua mihi finis eris; Tum sacro cespite pingues
Verbenas adolens Orcum triplicémque Dianam
Inuocat: Hanc diuis semper magis omnibus vnam
Infandis coluit sacris; hîc illius antrum
Rupe sub exesâ vasto deforme recessu;
Hîc altare fuit, patriis quò Thessalus oris
Relligione loci ductus veniebat ab oris:
At pulsis animi nebulis aterna colentes
Numina CHRISTIPARÆ sacrum vouere coloni.
Ah quoties lunam cœlo, nigrósque sepulcris
Elicit hinc manes; quoties mirantibus agris
Inuida maturas aliò traducit aristas:

Intrà cæstelli pomœrium Deiparæ Virginis sacrũ visitur; extra verò specus ingens patet, horrorẽ spectantibus incutiẽs.

Cum lubet, inuitis agros aquilonibus vrit,
Cum lubet, illa niues inuito prouocat æstu:
Fusca serenato nunc aere nubila pellit,
Nunc ferrugineo terras obnubit amictu:
Sæpè scidit magico vicina cacumina cantu,
Sæpè sinus Isaræ, Rhodanique fluenta coegit
In caput ire suum: Nondum per adesa fluebas
Præceps arua Draco, nondúmque tumentibus altos
Exuperans vndis collis auulsa trahebas
Pascua, sed leuibus frænanti Colchide pennis
Nubila signabas: Ah quantùm carmina possunt;
Carmina vel primas possunt mutare figuras.
Nox erat, & puro fulgebat ab æthere luna,
Cum subiens currum Colchis grauiore draconem
Verbere sollicitat; furit ille, furentis anhela
Igne micant fauces, ardentibus vndique fului
Irradiant oculi gemmis, atrúmque trisulcis
Pullulat os linguis, collum tumet, aspera surgunt
Terga, triplexque nitet lunatis dentibus ordo:
Dumque fluit latè spumantis ab ore, minantem
Aurigam sanies aspersit, iámque tumenti
Serpebat gremio virus, cum vulneris, inquit,
Tu mihi dire lues pœnas; nec Colchidos iram
Effugies pennis, quarum mihi sola potestas.
Draci metamorphosis.
Hæc ait, & dicto mutatus carmine serpens
Præcipites abiit rapidi torrentis in vndas,
Qui rabiem seruans nomenque draconis, inanes
Verberat agrorum sulcos, Isaraque rapaces
Miscet anhelus aquas, & saxa trabesque domorum
Proceráque trahit vulsis radicibus alnos.

Quave

Quæve madebat humus tetro polluta veneno,
Pestifero creuit, dictu mirabile, succo
Herba, Toram vocitant, quâ non velocius vllum
Progenerat Colchos, Ophiusáque lurida virus,
Cedit hyoscyamus, gelidíque papaueris humor;
Et grauis helloborus; cedit furiale solanum, Plãtæ ve-
Infestique liquor pharici, funestáque taxus; nenatæ.
Socraticâ cedunt infames morte cicutæ;
Et consanguineus lethi napellus, & ipsæ
Fellea quæ nimium norunt aconita nouercæ,
Oris Cerberei spumæ, ferale venenum.
Heus fuge vicinum funus, fuge gramen acerbum
Qui legis Alpinis vernas in collibus herbas.
Colchis vt euictum pepulit medicamine virus,
Ergóne te fœdis, inquit, violare venenis
Exitiale queat monstrum, domus hospita diuûm,
Quæ mihi perfugium, quæ sedes tuta fuisti?
Non adeo toleremfacinus; vos conscia posco
Numina, quæ montes colitis nemorúmque recessus,
Ne tuti subeant posthac mea tecta colubri,
Neu trabibus tenues vaga texat aranea telas;
Ænea sit procul hinc Zignys, viridésque lacerti,
Bufonésque, genus fœdum, diræque rubetæ.
Hæc ait, & rauco stridens horrenda palato
Murmura, cæruleum sulphur, nigrúmque bitumen
Fraxineis adolet peregrináque galbana flammis, Quæ suf-
Aduectámque cedrum Libano, derasáque cerui fitu fer-
Cornua, nasturti folium, foliúmque melanthi, pentes abi-
gant ex
Nicandro.

Et magicæ frondes filicis, rorémque marinum,
Et quas præterea fudit suffitibus herbas,
Exagitans tetro diros nidore colubros.
Quin etiam latè stratas circumiicit ædes
Quæ infrata arceant. *Puleium, nepetam, polium, rutámque rigentem,*
Alcibiíque comas echij, stirpémve conyzæ,
Spargit & aprico genitalia semina campo.
Nec mora fœcundæ grauidâ telluris ab aluo
Nascitur herba, tora nigris inimica venenis,
De Torâ & Antitorâ fusè Gesnerus libro de Lunariis. *Antitoram dicunt, quâ non pollentior vlla*
Pellere tabenti grassantem corpore noxam.
Ac subito latebris colubri, viridésque laserti,
Busonésque, genus fœdum, diræque rubetæ
Colchidis ad nutum migrant, passimque vagantur,
Qualis arenosas Hebri glomeratur ad vndas
Vndique grex auium, cum Scithonis ora pruinis
Horret, & autumni boreas populatur honores.
Denique sunt tetris hîc tetra venena venenis.

PRÆFATIO
IN SILVAM III.
DE MONTE INACCESSO.

EST apud Vocontios in ipso ferè Delphinatus vmbilico, tertio à Dia lapide mons nobilis, à reliquis Alpibus seiunctus, & propè dixerim auulsus, vt prorsus dici possit quod à Petro Bembo de Ætnâ suâ venustè dictum est, eum cœlibem degere, nec vllius dignatum montis coniugium castè intra suos terminos contineri. Vulgo mons inaccessus appellatur, quod omni aditu circumcisus atque diruptus ante Caroli VIII. Regis Christianissimi tempora inexsuperabilis fuerit, nec nisi à paucis quibusdam montanis summo cum vitæ discrimine etiam nunc ascendatur. Iugum eius in spatiosam planitiem pauliſper deuexam experrectum est in modum pyramidis obuersæ cœlo. Hîc ne frutice quidem siluescente, non modò arbore, pabulum luxuriat nusquam Alpium lætius: Hîc suo tempore lectissimi flores:

Hîc denique perennis aquæ ſcaturigo, quod in illo montis præcelſi vertice mirum videri poſſit. Prona ſtirpibus omnino carent ad quas pede, aut manu quiſquam eniti poſſit. Radices ouatâ ferè ſpecie. Circumitur duobus circiter paſſuum millibus. Accolunt propè Triuienſes, & ipſi pars veterum Vocontiorum, nullâ Gallicâ gente bello inferiores. Ita nuncupati, niſi me coniectura fallit, à tribus eorum agri viis, quarum vnâ Vapincum, alterâ Diam, tertiâ in Prouinciam itur. Certè iam inde ab aliquot ſæculis ita nominatos teſtatur Geruaſius Tileſberienſis, Henrici I I. magnæ Britanniæ Regis ex filiâ nepos, idémque Regni Arelatenſis Mareſcallus libro nondum edito de Otiis Imperialibus ad Othonem I V. Imperatorem, quo loco de rupe noſtrâ retulit in hunc modum. *In Regno Arelatenſi & Epiſcopatu Dienſi iuxta Gratianopolitanæ diœceſis confinium, eſt rupes altiſſima in territorio quod incolæ* Trieues *nominant, quam alia è vicino rupes reſpicit, cui nomen* Æquailli, *eò quod ſit æqualis alteri, ſed inacceſſibilis in ſuâ altitudine. Ex oppoſitâ igitur rupe conſpicientibus apparet illic fons perſpicuus, qui ſcopuloſa ſcrobe delabitur, & in ſummo rupis apice ad modum prati herba viret, in quo nonnunquam panni ſuperextenſi infinitique ad exſiccandum expoſiti viſuntur, ſicut lotrices in vſu habent. Iſtud vnde prodeat, aut quid ſignet, aut quo miniſtrante compareat, quærere facile fuit, ſed inuenire difficillimum.* Hæc ille, cui vernaculam Montis appellationem ex linguæ

guæ Latinæ peculio expromenti calculum meum non adiecerim. Etenim is hodiéque ab accolis *Eguille* nominatur, quod est Latinè acus siue acumen, propterea quod iugum eius quà obuersum est ad aquilonem apex instar acus supereminet. Et eâ quidem nomenclatione non pauci montes apud nos designantur. Cæterum, vt nihil est mortalibus arduum, Antonius Villanus cognomento Domjulianus, natione Lotharingus, idémque Montilio Ademari præfectus, vir singulari audaciâ, edicto Caroli VIII. Regis copias in Italiam ducentis naturam ipsam fatigare, vt Curtij verbis vtar, aggressus est; Proinde multiplici vsus instrumentorum genere, vt erat egregius inueniendi artifex, mortalium primus vnà cum aliquot eiusdem periculi sociis per confragosos hinc & inde rupis anfractus in ipsum tandem verticem euasit anno Salutis 1492. mense Iunio. Quasi nihil tam altè natura constituerit, quod aiebat Alexander, quò virtus non posset eniti. Atque ibi sex dies commoratus defixis in tribus angulis totidem Crucibus, necnon re diuina Christiano ritu à Sacerdote comite peractâ Monti nomen indidit *Eguillefort*. Id cum Senatus ex Domjuliani literis accepisset, vnum ex Apparitoribus suis allegauit, qui ad se de rei nouitate referret. Neque verò quadrupedes vllæ præter rupicapras in summâ rupe cuiquam visæ; quod enim Simphorianus Campegius in vita Baiartij Equitis, item Rabelæsus libro suo ludicro de oue inibi

reperta

repertâ ſcriptum reliquerunt, planè commentitium eſt ; idémque Rabelæſus luculenti facinoris architectum falsò Doiacum nominat. Sed enim pretium curæ mihi viſum eſt his attexere tum ipſas Domjuliani literas ad Senatus principem, tum alia rei geſtæ monumenta, provt è Regiis Gratianopolitanæ Cameræ ſcriniis exſcripta ſunt. Ex Regeſto nimirum inſcripto, *Sextus liber copiarum Graiſiuodani. FF. fol.* 101.

A Monſieur le Preſident de Grenoble.

MOnſieur le Preſident, ie me recommande à vous de bon cœur. Quand ie partis du Roy il me chargea faire eſſayer ſi on pourroit monter en la montagne qu'on diſoit inacceſſible, dont par ſubtils moyens & engins i'ay fait trouuer la façon d'y monter, la grace Dieu, & y a trois iours que i'y ſuis & plus de dix auecque moy, tant gens d'Egliſe, qu'autres gens de bien, auec vn Eſchelleur du Roy, & n'en partiray iuſques à ce que i'aye voſtre reſponſe, afin que ſi voulez enuoyer quelques-vns pour nous y voir, que faire le puiſſiez, vous aduiſant que trouuerez peu d'hommes que quand ils nous verront deſſus, & qu'ils verront tout le paſſage que i'ay fait faire qui oſe venir ; car c'eſt le plus horrible & épouuantable paſſage que ie vy iamais, ne homme de la compagnée. Ie le vous fais à ſçauoir afin qu'en eſtant bien acertené à voſtre plaiſir, le veuillez

vueillez escrire au Roy par mon Laquais porteur de cette ; & ie vous asseure que vous luy ferez grand plaisir & à moy aussi, & vous deuez estre seur si ie puis rien pour vous, le feray au plaisir de nostre Seigneur, qui vous doint ce que plus vous desirez. Escrit le 28. iour de Iuin, sur Eguille-fort, dit Mont-inaccessible ; car le peuple du Pays l'appelle l'Eguille, & pource que ne le sçauroit oublier, ie l'ay fait nommer au nom du Pere, du Fils & du sainct Esprit, & de Sainct Charlemagne, pour l'amour du nom du Roy, & ay fait dire la Messe dessus, & mettre trois grands Croix aux Cantons. Pour vous deuiser de la Montagne, elle a par dessus vne lieuë Françoise de tour, ou peu s'en faut, vn quart de lieuë de longueur, & vn trait d'Arbaleste de trauers, & est couuerte d'vn beau Pré par dessus, & auons treuué vne belle Garenne de Chamoix qui iamais n'en pourront partir, & des petits aues eux de cette année, dont s'en tua vn maugré nous à nostre entrée, car iusques à ce que le Roy aye autrement ordonné ie n'en veux point laisser prendre. Il y a à monter demy lieuë par eschelle, & vne lieuë d'autre chemin, & est le plus beau lieu que vistes iamais par dessus. Le tout vostre DOMPIVLIEN. Le penultiéme iour de Iuin 1492. furent presentées ces Lettres.

Anno Natiuitatis Domini milleſimo quatercenteſimo nonageſimo ſecundo, & die penultimâ menſis Iunij receptis literis ſupradictis in Curiâ magnifici Delphinalis Parlamenti fuit ex deliberatione Dominorum Parlamenti commiſſus Nobilis Iuo

Leuy

Leuy Ostiarius dicti Parlamenti ad accedendum super loco Montis Eguille in hac patria Delphinatus & mandamento Triuiarum siti ad sciendum veritatem contentorum in literis supradictis, qui quidem Ostiarius inde anno predicto & die quinta Iulij rediit, & in Parlamento iam dicto retulit accessisse ad locum vbi situs est ipse mons, & ad pedem ipsius montis, videlicet vbi rupes incipit, vbi reperit scalas appositas in rupe per quam incipit ascensus dicti montis, & licet ipse Ostiarius viderit super dicto monte Eguille prefatum Dompiulien & multos alios cum eo existentes, tamen propter discrimen ascensus noluit pre timore mortis attento periculo imminenti & quasi impossibilitate accedere desuper, ne videretur tentare Deum, cum ex solo aspectu animus vniuscuiusque sit perterritus, tamen vidit eundem Dompiulien & cateros qui eundem vocauerunt vt accederet, quod facere ipse Ostiarius noluit. Super dicto monte vidit etiam tres Cruces de nouo factas, & cum eodem multi homines erant, quorum aliqui ascenderunt super dictum montem, videlicet inter alios nobilis Guiguo de Turre Castellanus de Claellis; Alij perterriti ex solo aspectu montis noluerunt accedere, tamen vidit multos qui super eodem monte accesserunt, & ab aliquibus certificationem recepit qui retulerunt vt sequitur.

NOVS dessous signez certifions à Monsieur l'Huissier du Parlement, qu'auiourd'huy le premier iour du mois de Iuillet, auons monté sur la montagne qui se disoit estre inaccessible, & maintenant

se

se dit Eguille-fort, sur laquelle montagne referons d'auoir trouué Monsieur Dompiulien Capitaine du Montelimar, auecque ses seruiteurs le nombre de sept, & auons ouy Messe sur ladite montagne, & aussi trois Croix que ledit Capitaine a fait faire. Guigues de la Tour Chastellain de Clestes. F. de Colans. Silue.

Attestor ego Petrus Liotardi Capitaneus loci de Portis ascendisse montem vocatum Eguille, & superius reperi quendam Dominum Capitaneum Montilij Ademari nuncupatum Dompnum Iulianum cum quinque vel sex de suis seruitoribus, in quibus sunt duo Sacerdotes, vnus Frater Minor, & alter secularis celebrantes Missas in dicto monte, & erant mecum ascendentes, videlicet Nobilis Georgius Iuuenis, Nobilis Petrus Blosseti, Nobilis Gaspardus Roberti, Nobilis Gonetus Venxoti, Dominus Raymundus de Coleto Capellanus, Dominus Iacobus Ioberti, Petrus Spie loci de Roissas, Claudius Cheualerij loci de Portis. Ita attestor P. Liotardi.

Anno Domini milleſimo quatercenteſimo nonageſimo ſecundo, & die viceſimâ ſextâ Iunij dominus meus dominus Antonius de Villa dominus de Dompiulien, de Belloparto dominus, & Capitaneus Montilij Ademari & Saonis, Cambellanus & Conſiliarius Regius nomine & mandato Caroli VIII. Regis Delphini aſcendit in montem vocatum vulgariter Eguille circumuicinis, ſeu montem inaſcenſibilem ſitum in patriâ Delphinatus

cum

cum pluribus seruitoribus, videlicet Sebastiano de Careto sacræ Theologiæ Magistro, Regio Prædicatore, Nobili Raymundo Tubo Scalatore Regio, magistro Cathelino Seruetì, magistro latomo Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis Montilij, magistro Petro Arnaudi carpentario Montilij, Guillelmo Sauuage laquaissio dicti domini, Ioanne Lobret habitatore Diensi, & me Francisco de Bosco Presbytero dicti domini, qui celebraui in crastinum Missam ad honorem Dei, Virginisque Mariæ & totius Curiæ cœlestis, qui quidem supranominati, comederunt, biberunt atque dormierunt super dicto monte, & dicto monte ascenso immediatè dictus dominus de Dompiuliano eum baptizauit, seu baptizare & nominare fecit imponendo ei nomen Eguille-fort, qui antea vocabatur Eguille, seu mons inascensibilis à magistro Sebastiano de Careto Prædicatore Regio superius mentionato, dicendo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen, sancti Caroli Magni honore cuius Rex hodiernus nomen habet cantando Te Deum laudamus, Salue Regina & orationes quamplurimas, me Francisco de Bosco & cæteris respondentibus. Item super dicto monte Eguille-fort est pratum magnum quadraginta hominum & plus ad secandum. Est etiam vna garena capricornuum qui nunquam exire possunt, & sunt quamplurimi passeres solitarij trium colorum, videlicet rubei, nigri & grisei coloris, de chouez, seu cornices habentes pedes rubeos & quamplurima aliæ aues quarum nomen ignoramus, & sunt quamplurimi flores in dicto prato diuersis coloribus qui diuersis odoribus videbantur, & maximè lilia. Dictum

pratum

pratum est longitudinis quartæ partis vnius leucæ, latitudinis vnius iaculi arcus, & in ambitu vnius leucæ Franciæ, & ascendendo dictum montem cum scalis itineris mediæ leucæ, & aliter vnius leucæ, & est horribilis ad videndum, & terribilior ad descendendum quam ad ascendendum, & primâ die Iuly supra dictianni Nobilis Barracchinus Siluonis cum filio suo Claudio vicinus montis, & dominus Franciscus ipsius frater Curatus Sancti Martini apportauerunt dicto domino super dicto monte plurimos cuniculos albos & nigros griseósque priuatos, qui immediatè cœperunt comedere omnes pascua. Item dictus dominus fecit affigi, seu poni tres Cruces in tribus summitatibus montis Eguille-fort ad honorem Sanctæ Trinitatis, quæ Cruces videntur ab omnibus circum circa. Item dictus dominus in duobus diebus fecit, seu facere fecit vnam domum super dicto monte. Et ego Franciscus de Bosco Presbyter dicti domini mei de Dompiuliano oriundus, Beneficiatúsque Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis Montilij Ademari Valentinensis diœcesis, dum hæc supra dicta fierent & agerentur, vidi, audiui, semper præsens fui, comedi, bibi, dormy vt superius declaratur, scripsi hæc ad futuram rei memoriam testibus supra nominatis præsentibus, & me subsignaui signo meo manuali hic apposito die & anno supra dictis. F. de Bosco Notarius Apostolicus.

Quoniam verò Triuiensis Alpe mihi descripta non alienum esse videtur eius vocis originem nondum satis intellectam obiter dispicere, ne quem moueat auctoritas Festi Pompeij cum

scribit Alpes à candore niuium dictas esse, quia perpetuis ferè niuibus albescant: Sabini enim, inquit, alpum dixere, quod postea Latini album, vnde Alpium nomen. Quasi verò Galli montibus suis appellationem Sabinam indiderint. Veriùs itaque Seruius lib. 10. Æneid. *Sanè omnes altitudines montium licèt à Gallis Alpes vocentur, propriè tamen montium Gallicorum sunt.* Et in lib. 3. Georgic. *Gallorum lingua alti montes Alpes vocantur.* Isidorus etiam Origin. lib. 14. cap. 8. *Alpes propriè montes Galliæ sunt de quibus Virgilius, Aërias Alpes, & dicendo aërias, verbum expressit à verbo, nam Gallorum lingua Alpes montes alti vocantur.* Ex quorum sentētiâ Philippus Cluuerius Italiæ antiquæ *lib. 1. cap. 30.* Alpium vocabulum merè Celticum esse contendit, eò magis quod Germani præcelsa montium iuga, quæ Italiam ab Septentrionibus cingunt, *Alpen* & *Alben* nominant. Nihil præterea subiungit quod attineat ad Alpium etymon. Ego mihi facilè persuaserim *Alpen* ductum ex Celticâ voce *Pen*, quâ rei cuiusque summitas & caput intelligebatur. Quâ quidem voce Britanni tum Angli tum Armorici eodem significatu vtuntur. Germani variante dialecto, *Pin* dicunt. Gallos enim, Germanos, Britannos, Hispanos, Illyricos Celticæ gentis fuisse nationes, atque vnam & eandem inter se linguam habuisse, variis duntaxat dialectis distinctam viris doctissimis exploratum est. Dilucidè verò Liuius Alpium etymologiam exponere videtur *lib. 21.* cum Hannibalem milites suos sic alloquentem inducit,

inducit. *Quid aliud Alpes esse crederent, quam montium altitudines.* Hinc nomen *Pennino* siue *Penno* deo, quem in summo sacratum vertice idem Liuius auctor est. Hinc *Apenninus* mons à priscis Gallis appellatus. Hinc montes *Penigent* & *Pendle* in tractu Britanniæ Lancastrensi. Hinc oppidum *Penbrolke* quod est *Caput marinum.* Hinc apud nos *Penna* vicus in edito colle Diensis agri. Hinc denique Delphinatium & totius ferè Galliæ vocabulum *Puy* pro loco edito, Prouincialium & Septimanorum *Puech*, Pictonum *Peux*, quod mediæ ætatis scriptores *Podium* verterunt. Sic igitur *Alpen* Celtis, quæ postea Latinis Alpes dictæ, præpositâ scilicet *Al* syllabâ sicut in *Allobroges.* Longè aliter Goropius Becanus in Saxonicis & Hermathenâ. Porrò Delphinates, Sapaudi, Heluetij *Alpen*, siue *Alpagium* vocant locum incultum, qui pascendis animalibus duntaxat vsui sit, cuiusmodi loca plerunque dantur in emphyteusim; vnde natum arbitror verbum apud nos vsitatissimum *Alpergare*, & procliui vnius literæ mutatione *Albergare*, pro eo quod est in emphyteusim dare; nisi quis ductum malit ab alio vocabulo Celtico *berg*, quod montem significat, ex quo nobis dicti *bergers* qui Latinis pastores. Sed de his iam satis.

ALPE

SIVE

MONS INACCESSVS.

ONS erat igniuomus tenui mihi dictus auenâ,
Dicta mihi Turris nullo polluta veneno;
Indéque paſtores, ſi quicquam creditur illis,
Me quoque dixerunt Vatem, crinéſque virenti
Bacchar herba eſt quæ faſcinũ depellit ex Virgil. in Eclog.
Bacchare cinxerunt, ne liuida lingua noceret,
Pieriâ ſi quid lentus meditarer in vmbrâ.
Dúmque per Alpinos errarem fortè receſſus,
Obuia ſit roſeo ſuras euincta cothurno
Cynthia; diſtentum lateri ſuſpenderat arcum,
Et prior, ô Vates, inſit, qui montibus erras
Sæpè meis, gracili montes dignare cicutâ;
Sunt ſua, ſi neſcis, miracula montibus, ipſi
Numen habent montes, montes amat auctor Apollo
Carminis, & Vatum præſentia numina Muſæ;
Me quoque ſuccinctam phareträ iuuat vſque vagari
Montibus, & longè pernices figere ceruos:
Aſpicis aerio ſeductum vertice montem,
Qui videt hinc Iſaræ tumidíque fluenta Draconis,
Inde tuas ſpectat ſpumoſe Druentia ripas,
Nec ſeſe patitur cuiquam præruptus adiri:

Et

Et mons ille fuit cantari dignus, & olim
Inde tibi seros nomen quæretur in annos,
Dum Latio Musæ Delphinides ore loquentur,
Dúmque suis altæ stabunt radicibus Alpes.
O dea siluarum custos, Iouis aurea proles,
Intonsíque soror Phœbi, tua iussa capesso,
Aggrediórque tuum deducto carmine montem
Dicere: Semideæ Dryades, comptæque Napeæ,
Quæque latus curuo munitis Oreades arcu,
Hic mecum positis paulùm residete sagittis,
Dum vestras patulâ sedes modulabor in vmbrâ.
Nec minus & votis CHRISTINA vocabere nostris;
Nam tua, seu totum virtus celebrata per orbem,
Seu diuinus honos spectetur & ardua frontis
Maiestas, variis, seu fandi copia linguis
Nil mortale sonans, Sophiámque vagata per omnem,
Illáque femineo sexu prudentia maior,
Vera pates certè nobis dea, vera Tonantis
Arctoi soboles, quem sæcula nulla tacebunt,
Fortè vago Inſtrans subiectos lumine montes
Penninus comites videt inter Oreadas Alpem
Illimis niueum nudantem fontis ad vndas
Corpus; erat tantò præstantior omnibus Alpe,
Quantò suppositos excelsa cacumina colles,
Aut humiles quantò frutices supereminet ilex.
Tum deus ardentes incensus amore medullas
Hanc sibi consortem thalamî petit, atq; vocatis
Coniugium celebrat diuis in montis amœno
Vertice qui cœlum petit arduus. Vndique diui
Conuenere, suos auratus misit Olympus,

Penninus deus in summo iugo mõtium cultus authore Liuio.

Terra fretúmque suos. Hinc Iupiter alite vectus
Adstitit, atque Iouem circum Cyllenius alis
Spectandus, pharetrâ Latonius, ense Gradiuus,
Amphitrioniades claua thyrsóque Lyæus:
Ipse præibat Hymen præcinctus tempora myrto.
Adfuit hinc canus tumidarum Rector aquarum,
Et viridis Triton, & Proteus, atque Palæmon,
Oceanúsq; pater, quem circum flumina centum,
Æolus, & posito pacati flamine venti.
Deniq; quotquot habet diffusus numina Pontus.
Inde Lycaoniis hirtus Pan venit ab oris,
Quem sequitur vectus pigro Silenus asello,
Et capripes Faunus, Satyríque Laréſq; deorum
Vulgus, & Indigetum quotquot tellure morantur.
Exin cæruleis Iuno subuecta quadrigis,
Quam Venus insignis vultu, Dictynna sagittis,
Frugibus alma Ceres, Tritonia cuspide Pallas,
Mille simul stipant hinc Naiades, inde Napeæ.
Illinc adueniunt Tethys, & Doris & Ino,
Et Thethis, & quotquot præsunt Nereides vndis.
Aduentu superûm pictis humus vndique rides
Floribus, & vario tunc primùm nata canistro
Tulipa, flos teneris incognitus ante puellis,
Nunc decus hortorum, nunc almi gloria veris.
Lætitia nutant frondentes vertice pinus,
Et tremuli saliunt montes, quibus inclyta magni
Inuidet Ida Iouis nutrix, geminóque superbus
Vertice Parnassus, Musarum garrula sedes.
Nec magis Æmonius rutilis caput extulit astris
Pelion, Æacides olim cum Peleus vdæ
Iret in amplexus Thetidis, premerétve repexum

Tulipa Turcicâ nomẽ est, quo Clusius, Dodon, Dalecãpius vtuntur. Mathiolus Narcissi genus esse putat. Lobellus *Lelionarcissum* vocat. Pẽna *Narcissolilium*. Cuius floris Al-

Numina

Numina mille iugum. Manet hinc honor Alpibus ingens,
pe Triuiēsis feraciſſima eſt.
Scilicet hic nupta duxerunt nomen ab Alpe;
Indéque dicta fuit vicina condita valle
Dia vrbs Vocōtiorum non longè à mōte inacceſſo.
Dia, quod Alpinis fuerint loca dia colonis.
Mox vbi diuorum chorus adſtitit, ordine ſedit
Quiſque ſuo, locus hinc cœleſtibus, inde marinis,
Infirmus indigenis terræ, plebíque deorum.
Aſſidet ipſa viro fuſis per colla capillis
Alpe, montiuagas inter celeberrima diuas.
Mirantur tacitæ Iuno Palláſque decorem,
Ipsáque miratur laſciui mater Amoris.
Compoſitos Manors oculos defigit in vnam;
Vxorémque ſibi vellet Cyllenius Ales,
Poſthabitâ vellet Peneide flauus Apollo.
Dúmque procax toto fremit aëre Feſcenninus,
Et Phrygius largos fundit Pincerna liquores;
Ecce canum ſubitus venit latratus ad aures,
Conſpectúſque ſimul ſolitus per luſtra vagari
Ibicus, indigenæ proles generoſa Voconti,
Vnde vetus vobis, ô rura Vocontia, nomen.
Ille feræ cinctus villoſo tegmine capræ,
Fraxineúmque manu criſpans haſtilæ ferocis
Terga premebat apri. Turbatos protinus vltrix
Corripit ira deos, & nudo corpore viſa
Erubuere deæ; ſcelus eſt vidiſſe dearum
Corpora nuda viris, nocuítque videntibus error,
Et miſer Actæon, & qui ventura canebat
Vulgo memoriæ proditum eſt, quicunque ſpeciem quandam è fonte, id eſt, effigiem Nymphæ viderint, furendi non feciſſe finem. quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphatos appellant. Ex Feſto.
Tireſias viſis olim doluere deabus,

Lymphatúsque furit in nudis Naiada membris
Viderit irrigui serpentes fontis ad undas.
Tum geminas tendens palmas ad numina supplex
Ibicus, innocuo dicebat parcite diui;
Parcite dicentem crudeli percitus irâ
Iupiter, intorti proſtrauit fulminis ictu;
Quo ſimul incuſſit totis incendia ſiluis,
Contiguiſq; nouam diuulſit ab Alpibus Alpem,
Qua negat ex illo præciſis undique ſaxis
Intercluſa viam mortalibus, atque receſſum
Præbet Oreadibus ſolis, ſoliſque Napæis.
Nec procul hinc vaſto rupes diſceſſit hiatu,
Locus vulgò dictus l'Archa ad Fanum Mauritij rupicaprarum venatu nobilis.
Quam facti memores Arcum dixere coloni,
Rupta quod inflexum latè ſinuetur in arcum.
Rupicapris leuibus longè gratiſſima ſedes.
Edidit horrendum moles auulſa fragorem,
Vnde repercuſſus gemitum dedit Apenninus,
Motáque Pyrenes tremuere cacumina montis.
Diſſugere feræ; pars obruta fragmine rupis,
Pars abſumpta fuit populantibus omnia flammis.
At colliſus humi iacet Ibicus, atque iacentem
Circunſtant Pterelas, Thous, Harpalos, Aſbolus, Agre,
Therodamas, Leucon, Lælaps, Oreſitrophus, Alce,
Pamphagus, Ichnobates, Ladon, Hylæus, Hylactor,
Pœmenis, Agriodos, Theron, aliique piorum
Turba canum mœſtis implens latratibus auras.
Interea, viſu mirabile, curua iacentis

Hirſuto

Hirſuto capiti creuerunt cornua, corpus
Sicut erat, tectum villosâ pelle remanſit:
Sic fera ſit capra ſimilis, quæ præpete curſu
Eripuit ſeſe canibus velocior Euro;
Nunc memor antiqui moris iuga deuia ſemper
Incolit, Alpinis tantùm fera cognita ſaxis,
Et tanquam rapido flagrans à fulmine, durâ
Concretas glacie cautes, & cana pruinis
Saxa petit, ſupereſt quoque nomen & Ibicus olim
Qui fuit, Alpinæ genti nunc dicitur Ibex.

Ibex capra ſilueſtris eſt pernicitatis mirandæ quã aliqui capricornũ vocant.

Germani *Steinbock* Galli *Bouſtein.* Animal Alpibus proprium quarum ſummos vertices incolit, vbi glacies nunquam ſoluitur, cæcum aliter futurum.

PRÆFATIO
IN SILVAM IV.
DE TINIS SASSENAGIIS.

SASSENAGIVM, siue Castenaticum vt tabulæ veteres habent, siue potius Saxonaticum, quasi saxum natans ab insigni fonte, cuius succurret infra meminisse, pagus est Vocontiorum ad radices Alpium, non longè ab Isaræ & Draci confluentibus apprimè nobilis ob cognomines Toparchos non minus rerum præclarè gestarum gloriâ, quàm natalibus illustres, qui secundùm Claromontios Dynastas è quatuor Delphinatus proceribus, quos Barones vocant, in comitiis prouincialibus extra omnem aleam digniore loco sedent; tum etiam propter memorabilia quædam loca, in quibus aliquod naturæ miraculum elucet. Hinc enim vernaculi quidam lapilli puniceo colore effodiuntur, ad purgandos oculos efficacissimi, quos ideo pretiosos appellant. Hîc fatidi

fatidicæ lacunæ, toto Delphinatu celebratissimæ, quas ante centum annos Aymarus Falco Antonianæ Historiæ scriptor *part.2. cap.23.* graphicè describit his verbis: *Apud Castenaticum in intima rupe, vinóque saxo excauata quædam ingentis capacitatis apparent lacunæ, quas tinas incolæ vocant, quæ cum alias toto anno sine aliquo humoris vestigio vacuæ penitúsque siccæ permaneant, nec perspici possit vnde aqua possit emergere, aut influere, vno tamen & eo solo die, seu verius nocte Dominicæ Apparitionis affatim aqua refertæ conspiciuntur: non æquo semper modulo in ipsis aqua exuberante, sed plus minusve humoris interdum, aut hæc, aut illa ostendit, eóque argumento futuræ vbertatis, aut penuriæ signa incolæ auspicantur; altera scilicet earundem lacunarum vini, altera frugum copiam vel penuriam designante. Ea verò transacta die, nemine quibus id fiat modis percipiente, seu intelligente, aqua omnis mirabiliter subducitur atque euanescit.* Graphicè inquam omnia, nisi quod alio etiam tempore quam Epiphaniæ lacuna maior aqua oppleri sæpè visa est: Minor enim temporis iniuriâ iam diu rimas egit; ex quo amplius humorem capere non potest. Simile quiddam retulit Munsterus in Pomeraniæ descriptione, cum scribit cultum aliquando in insula Rugen idolum dextra cyathum vini plenum gestans, cuius augmentum, aut decrementum annonæ copiam, aut penuriam indicaret, quod semel in anno à Pontifice exploraretur. Certè multa sunt in illo Sassenagiæ rupis latere spectan-

tium

tium admiratione digna. Specus ingens & altissimè demissa, quæ tum oculis tum animis adeuntium horrorem quendam sacrum incutiat. Fons perennis visendâ magnitudine, qui præcipiti admodum lapsu ex imâ rupe in labrum natiuum prorumpit. Tantam aquæ vim subministrari putant à lacu altitudine infinitâ quatuor circiter milliaribus à specu dissito. Argumento est quod bobus ante multos annos in eo submersis, iugum ad fontem emerserit. Altera specus editiore loco, in qua lacunæ illæ spectantur, quas de futurâ frugum vbertate quotannis 8. Idus Ianuarias vicani consulere solent. Mirum est & illud, nemini hactenus exploratum esse vnde liquor influat. Nulla scilicet emicat fonticuli scatebra; nulli humoris aduentitij meatus; nulla denique pluuiæ aquæ via. Suspicabar vndam occultim ab aliquo vicanorum infusam. Illi pernegant inueteratâ persuasione confisi. Omnium rerum sunt quædam in alto secreta, quorum aliam causam mortalium nullus afferre possit, quam diffusæ, vt Plinius ait, per omnia naturæ subinde aliter atque aliter numen erumpens. Tertia item specus, vbi lapidea est mensa quam Melusinæ mensam vocant. Mihi dubium non est, quin locus omnis antiquitus Nymphis sacer fuerit, quibus fortè Ianuario mense sacra fierent. Perdurat enim accolarum superstitio, qui frequentes eadem Epiphaniæ die lacunas adeunt, obitérque decerptos buxi ramusculos, quæ ad montis radices copiosa est, cantitantes

in

in aquam intingunt, reuersi domum folia ante focum explicant, auspicatum credentes si pluribus gyris illa præ calore crepitantia circumaguntur; sin minus, inauspicatum. Cuiusmodi ratio diuinandi, quæ pyxomantia dici potest, cum alibi, tum apud Delphinates vsitatissima est. Eiusdémque propemodum superstitionis erat daphnomantia, cum scilicet ex lauri crepitu ad focum vaticinabantur, de quâ sic Ouidius *lib. 1. Fastor.*

Et sonet in mediis laurus adusta focis.

Iterum:

Et tacet extincto laurus adusta foco.

Rursus:

Laurus vti bona signa dedit.

Nam & buxo quandam vaticinandi vim inesse vulgus persuasum habet; quod etiam de tamarice herbâ, quam Græci myricem vocant proditum est, adeo vt qui ramum eius manibus teneret futura prædicere crederetur. Hinc Nicander in Theriacis eam diuinatricem vocat, ad quem locum verus Scholiastes ait magos & Scythas ad vaticinia sua myrices virgis vti solitos, cámque ob cansam tradit Herodotus Apollinem Myricæum quondam appellatum, qui myricæ ramum teneret. Qua de re plura Ioannes Picus Mirandulanus in Commentariis Hymnorum. Audiui etiam grandæuum natu hominem, qui narraret ex relatu seniorum, aliquot ante se natum ætatibus, tantam fontis religionem indigenarum animis insitam fuisse, vt ad ipsum maximis quibusque

que de rebus iusiurandum conciperetur: Præterea cum siccitate solum Sassenagium laboraret, atque ex eo segetes & stirpes exarescerent, Virgines certo & præfinito numero album textile indutas eò conuenire, & buxi frondes in summam aquam porricere solitas; existere subitò latice commoto halitum nebulæ persimilem, neque multò post nubem attolli, móxque nubium aliarum accessione obducto cœlo Sassenagios fines optatis imbribus perfundi. Cogitanti verò mecum atque reputanti cur potissimum 8.Idus Ianuarias hariolationi superstitiosæ vacetur, venit in mentem Magorum, qui diuinitatis Christi nati præscij ad ipsius pedes id temporis prouoluti leguntur; vnde mos inoleuerit eâpse die ritu quodam magico futura augurandi. Nec aliunde petita Saturnalitia illa consuetudo Regem sorte fabariâ legendi; in memoriam scilicet Magorum qui Reges à nonnullis habiti sunt, vnde festæ diei nomen inditum. Porrò verum sit necne, quod de memorato lacunarum miraculo circunfertur, alij viderint. Ex ingenio suo quiuis demat vel addat fidem. Ipsi rem prodidimus tum constantem loci famam, tum aliquot scriptorum fidem secuti, quibus tanquam prædibus datis lectori cauemus. Tinas vocant incolæ, quo vocabulo Delphinates vtuntur pro vasis illis prægrandibus quæ vindemiam ex vite coactam excipiunt. Ne quis autem merè vernaculum existimet, Festus id priscæ Latinitatis esse docet; item Nonius Marcellus

Marcellus ex hoc Varronis loco lib. 1. de Vitâ populi Romani. *Antiquissimi in conuiuiis vtres vini primò, postea tinas ponebant.* Vsurpatur ab eodem Varrone *lib. 4. de Linguâ Latinâ ex emendatione Iosephi Scaligeri.* Sic in actis S. Thyrsi & sociorum, ad 28. Ian. *Tum Syluanus iussit impleri tinam aquâ,* &c. Germani dicunt *Tonne.* Hinc diminutiuum *Tonnellus* pro vasculo vinario, quo vtitur Petrus Cellensis *lib. 9. Epist. 5.* Etenim obseruatione dignum est, aliquas voces antiquissimi Latinorum sermonis, apud nos hodiéque in vsu esse, quarum memoria apud illos propè intermortua est; siue Latini ab Gallis illas mutuati sunt, quæ multorum opinio est. Multas autem mutuatos esse non inficias ierit, qui *benna, rheda, essedum, rheno, petoritum, bulga,* & alias huiusmodi Gallicas esse meminerit. Siue Galli ipsi cum frequentes copias in Italiam ducerent, vocabula quædam ab veteribus Latinis accepta domum inuexerint, quorum vsus apud nos percrebuerit & in hanc vsque ætatem descenderit, apud illos obsoleuerit, cuiusmodi sit vocabulum *Tinæ* Delphinatibus vsurpatum, pro eo quod Scæuola *lib. 95. ff. de legat. 3.* Vlpianus *lib. 15. ff. de vsufructu. cupas,* Cato *labra,* Glossæ veteres Βάτεις μεγάλας dicunt. Idémque Latini circa Græcam linguam factitarunt. Cum enim *porcum* dixerunt ex antiquâ Græcorum voce pridem obsoleta πόρκος; cum

leporem

leporem ex vetusto illorum vocabulo λέπως nominarunt ; cum *puteum* priscam vocem Græcam φύτιον repræsentarunt, præterea *Græcum* efferunt, sicut antiqua Græcia Γραικὸν vocauerat, qui postea Ἕλλην nominatus est, vt ex Varrone docet A. Gellius Noct. Attic. *lib.* 1. *cap.* 18. Cæterum, vt moris est locorum miraculis fabularum præstigias affingere, fama est Melusinam illam de quâ fabularis narratio fertur, relicto Pictonum solo Sassenagium secessisse ; Hîc specum illius, hîc fontem, hîc lauacrum, hîc mensam esse ; ex eo Sassenagiam terram miraculorum feracem esse, & commendatricem, vt cum Plinio iuniore loquar; hinc denique vicanos commoda multa consecutos. Vnde verò nata sit fabula illa quæ Delphinatum aliquot retro sæculis oppleuit, nondum apud me constitit. Vulgò certè infixa est opinio Sassenagios à Melusinâ loci Regulo nuptâ genus ducere, propterea gentilitiis armis superadditam esse. Scutum enim præferunt decies argento & cyano transuersè fasciatum, superappicto leone coccineo, coronâ, linguâ & falculis auratis : In apice Melusinam pube tenus eximiâ pulcritudine feminam labro marmoreo extantem ; dextra crines aureos pectente, leuâ speculum præferente. Cuiusmodi ferè sunt insignia Lezinianorum à quibus Sassenagios originem traxisse quidam tradiderunt. Quinetiam

Burelé d'argẽt & d'azur de dix pieces, au lion de gueules armé, lampassé & couronné d'or. Pour Cimier Melusine, &c.

etiam ferunt triduo antequam natu maximus à gente Saſſenagia fatis concedat Meluſinam in ædibus morituri lugubres eiulatus edere, atque interdum apparere ſolitam. Viſitur & Montiliſij, qui pagus eſt apud Valentinos Saſſenagiæ ditionis, foramen à ſummo caſtri muro ad foſſam pertingens, quod Meluſinæ foramen vocant, in quo ſcilicet viſa ſit aliquando Meluſinæ ſpecies anguineâ caudâ, quomodo pingi conſueuit. Fabuloſa omnia nec tamen prætermittenda. Sed enim plus trecenti anni iam interceſſerunt, cum virilis Saſſenagiorum veterum ſexus defecit, ſuperſtite Beatrice Franciſci filiâ, Alberti ſorore, quam Aymarus Berengarius Ponti-Royani Dynaſta vir præcipuâ inter Delphinatum primores nobilitate vxorem duxit, abdicatóque ſimul tum nomine tum ſtemmate gentilitio ſeſe Saſſenagiis inſeruit, à quo prodierunt Henricus Saſſenagius ante ducentos annos Delphinatus Prorex, aliíque multi Francorum annalibus celebrati. Quænam autem fuerit decantata illa Meluſina longum eſſet diſplicere. Vulgo *Feam* Saſſenagiam vocant, id eſt *Fatuam*, quomodo Nymphas appellatas eſſe Donatus in Eunuch. Terentij, & Martianus Capella prodiderunt, quòd nimirum fata farentur, vt loquitur Ennius; *Fari* enim eſt futura prædicere. Hinc etiam dicti *Vates* quaſi *Fates* à *fando*, vel à voce Græca φημὶ, quaſi φάτεις; vnde προφήτας. Sed & fortè *Feæ* dictæ, quaſi Nymphæ, ſubtracta priore ſyl-

labâ. En quo me Ţinarum Saſſenagiarum deſcriptio nec-inuitum abduxit : Quâ quidem in re, vt nihil profuerim aliis, neque enim tantum mihi ſumere auſim, vt profiteri velim à me aliquam ad alios permanaturam vtilitatem, certè me oblectauerim atque animo morem geſſerim.

MELVSINA

SIVE

TINÆ SASSENAGIÆ.

IAM tria concinui patriæ miracula terræ,
Pergite Pierides, exoratæque labori
Aspirate meo, seu vos Helicone tenetis
Manantes scopulos, Ascræi somnia vatis,
Seu virides Pimplæ colles, aut culmina Pindi,
Intactam liceat nobis decerpere laurum,
Vnde sibi nullus contexuit ante coronam.
Sic vobis Helicon largos indulgeat amnes,
Sic vestrum zephyris tepeat felicibus antrum,
Perpetuóque virens umbracula præbeat arbor.
Dicite, Pegasides meminerunt omnia Diuæ.
Quà Dracus horrisono restagnans gurgite latos
Depopulatur agros, Isaræque fluenta lacessit.
Apparent geminæ natiuæ cautè lacunæ,
Indigenæ TINAS vulgato nomine dicunt,
Quas natura suo lauem sinuauit in orbem
Ingenio, simulans artem, mirabile visu.
Hæ, simul affulsit lætum lux illa per orbem,
Quâ peregrinæ Magi fuderunt munera nato
Terrarum domino, fatali rore madescunt,
Arenti reliquum sitiunt humore per annum.
Vnáque fœcundas segetum portendit auaro

Agricolæ messes, fœcundas altera vites.
Quóve repentina magis æstuat vtraque lymphâ
Spicea flauenti magis vtraque messe laborat,
Spumosóque magis restagnant prela Lyæo.
Nec tamen vnde fluat subitus liquor accola quis-
quam
Occultâ nimium potuit cognoscere causâ,
Siue canernosis inclusus cautibus aër
Soluitur in lympham, dum frigida bruma pruinis
Horret, & extremis se se calor abdit in antris,
Indéque temperies portenditur vberis anni,
Cum natura suas obseruet prouida leges,
Et frigescat hyems, tepeat Ver, ferueat æstas,
Siue liquescenti silices humore fluentes,
Dum pluuij Titan percurrit cornua Capri,
Irriguos imbres, tempestatémque maligni
Sideris expertem fausto velut omine signant.

Christo nato fons Romæ trâns Tiberim è tabernâ meritoriâ oleo manauit. Eusebius.

Siue Palæstinis hoc tempore natus in oris
Edidit in variis CHRISTVS miracula terris,
Aduentum téstata Dei, Tiberinus vt olim
Exortos olei latices miratus, Etrusco
Extulit amne caput, madidásque repressit ha-
benas.
Quid moror? Ede mihi causam CHRISTINA
latentem,
Nam potes, & dignas in carmina suffice vires:

Ex fabulâ Melusinæ.

Luzinianæos postquam Melusina penates
Indignata viro colubri sub imagine liquit,
Extremúmque vale dixit Pictonibus oris,
Mente diu fluitans hæsit quò flecteret alas,
Quæ plaga susciperet profugam, peteretne Bri-
tannos,

Orcadas,

Orc adàs, an Thulen, extremáque lùtora Ponti.
An fuſcos Arabas, Nabathæáque regna ſubiret,
Quà roſeo coniux Tithonia ſurgit amictu.
An Tartheſſiacos tractus, Gadeſque remotos,
Quà rutilis pronus Titan ſe condit in vndis.
Dúmq; vaga centum meditatur mente receſſus,
Vipereos canas oculos conuertit in Alpes,
Et ſubitò leuibus vacuum ſecat aëra pennis,
Prateriénſque tuas limoſe Carantone ripas:
Lente Vigenna tuas, Ratiaſti mœnia tranſit.
Inde per Aruernos montes, veteriſque ruinas
Gergouiæ tranans auras illabitur oris
Amnis arundineâ quas proluit Elauer vndâ,
Cæruleúmque vagi Ligeris prateruolat æquor:
Dein rapidi fuluis Rhodani ſuccedit arenis,
Quà patet antiquis Romana Vienna ruinis.
Pilati querulos manes vmbrámque nocentem — Pilatus Viennam relegatus eſt vbi mortem obiit. Ado in Chronicis.
Horruit, & Stygij cunabula fœda Cadaſtri,
Horribilis monſtri, quod iam tum mater Erynnis
Cerbereo coitu ſuperas edebat in auras,
Quale nec Attilius tormentis, enſe peremit
Gozo, nec Alcides clauâ, nec Apollo ſagittis.
Olli vipereis horreſcunt tempora nodis,
Pullulat os linguis centum, ſunt lumina centum, — Cadaſtrũ Viennæ fœtus anno 1634.
Brachia ſunt totidem monſtro; quocunque minaces
Fert oculos, pallet tetris obtutibus aër,
Nobilium crudos primùm depaſcitur artus,
Poſtremam rabido merſurum gutture Plebem.
Hæc nutricis erit merces, hæc præmia lactis.
Crudeles ideò terras & littus auarum

Auersata fugit celeri Meluſina volatu.
Attamen optatum præſagiit affore tempus,
Quo magni ſoboles Henrici, terror Iberæ
Gentis & Oceani domitor Lodoicus ouantem
Nobilium ſpoliis hydram ſpoliiſque Senatus
Deleat, & Stygio reddat ſua monſtra tyranno,
Illáque Nobilitas totum celebrata per orbem,
Hoſtili toties perfuſa cruore, decoris
Vulneribus toties pectus confoſſa, nec vnquam
Victa, Ceriſolios Monleriacóſque triumphos
Vertice laurigero ſuſtentans; Illa Bayardi
Et Leſdiguery genitrix acerrima, cuius
Aduentu panidus Caſali diſceſſit Iberus,
Auſpice Richelio, quo ſoſpite bellica ſemper
Gallia ſoſpes eris, palmarum more decoram
Altius attollat frontem pereunte Cadaſtro.
Dum loquor, Alpinos tractus Meluſina volatu
Attigit, abruptis quà Saſſenagia rupes
Horreſcit ſcopulis & vertice fertur ad auras.
Hîc ſpecus immani ſe ſe diffundit hiatu,
Vnde ruit præceps ingenti gurgite riuus,
Et ranco faciles inuitat murmure ſomnos.
Nec procul umbrosâ viſuntur rupe lacunæ,
Arte laborata nullâ ferróve politæ,
Sola, ſed illudens arti natura ceuauit.
Quæ ſimul ex alto vidit Meluſina, probati
Ingenio contenta loci delabitur aurâ,
Æternóſque lares placito delegit in antro,
Aduentu profugæ rupes latata cacumen
Mouit, & humentes penitus patuere cauernæ.
Attonitis ſteterunt Iſaræ vada concita ripis,
Et pater ipſe Dracus flauis caput extulit vndis,

Florilegæ ſummâ labuntur Oreades Alpe,
Et Dryades ſiluis egreſſæ, Naïades vndis,
Necnon capripedes, paſtorum numina, Fauni
Vndique conueniunt aduentantémque ſalutant.
Illa ſimul patulos ſubiit delapſa receſſus,
Continuò, ſalue fatis mihi debita ſedes,
Méque latebroſis errantem ſuſcipe ſaxis;
Salue Terra parens, inquit, ſaluete coloni,
Indigenæque Dij; poſthac mihi patria tellus
Sordeat, & magico fabricata palatia cantu,
Sedibus his præſtat fatalem ducere vitam
Occidui donec ſupremus venerit æui
Terminus, & mundi tot ſuſtentata per annos
Moles ipſa ruat populantibus omnia flammis,
Labetúrque Deus ſcelerum quæſitor ab alto,
Qui ſontes hominum mores & crimina plectat,
Mortéque peior erit mortis locus. Ecce dolori
Officioſa meo rupes curíſque leuamen.
Hæc mihi quæſitum præbebunt antra receſſum,
Hæ mihi præbebunt natiua labra lacunæ.
Néve piis videar poſthac ingrata colonis,
Queis me prolueris Tina ſint fertilis anni
Signa, probaturam nunquam fallentia gentem;
Vt cum feſta dies Eoâ luce micabit,
Quâ Saſſenagiis ſucceſſi finibus exul,
Quáve Dei veram ſobolem coluere Sabæi,
Vtraque deſudet puris ex tempore lymphis,
Et largas ſegetes hæc denotet, illa racemos.
Hæc ego promeritam mercede remunero gentem.
Quin etiam noſtrâ geniti de ſtirpe nepotes
Luſinianæis venient ex finibus olim,
Qui Saſſenagiis æqui dent iura colonis,

Fabulatõres fingũt Meluſinã ſub anguineã ſpecie vſque ad ſupremũ iudicium pœnitentiã acturam.

Et latè bibulis Isaræ dominentur arenis,
Aspera gens bello, gens fortibus inclyta factis.
Quin vbi Parca ferox aliquem damnauerit orco,
Mœsta subibo lares duri prænuncia fati,
Flebilibúsque leues implebo questibus auras.
Hæc ait. Euentus vatis præsagia firmat.
Nam simul ac Iani dictus de nomine mensis
Adfuit, & sexta solennis luce refulget,
More patrum sacras trepidus petit accola Tinas,
Quæ si pollicitâ restagnant vndique lymphâ,
Annua vota Deo soluit, latúsque nitentem
Ante focum multo celebrat conuiuia Baccho,
Appositóque facit Regem faba nigra moreto,
Et festas agitant coreas de more puellæ
Permistæ pueris & agrestia carmina dicunt,
Hinc Sassenagiis accessit gloria Tinis.

PRÆFATIO
IN SILVAM V.
DE FONTE VINOSO.

CONVENIT inter rerum naturæ peritissimos, nullum aquis natiuum saporem esse, vt tamen, inquit Plinius, eo ipso fiat aliquis, ac suum genus faciat. In quam sententiam vetustissimus Author Ocellus Lucanus *libro* περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως *cap.* 2. ita scribit, τὸ τε γὰρ ὕδωρ ἄχυλον καὶ ἄποιον πρὸς δὲ τὸ γλυκὺ καὶ πικρὸν ἀνάλογον, καὶ πρὸς δριμὺ καὶ ἁλμυρόν. *Aqua enim saporis & qualitatis expers; sapori quidem dulci & amaro, acuto & salso proportione respondet.* Ideóque optima illa est quæ maximè est talis, & ἀποιότατος. Hanc ait Hippocrates τὸν οἶνον φέρειν ὀλίγον, hoc est minimo infuso vino recipere saporem. Contrarium vsuenit in ea quæ medicata est, nam vt saporem suum amittat, maiore vini copiâ est opus. Aquæ nimirum attritu infici, & aliquid saporis, odoris, coloris,

facultatis etiam earum rerum quas alluerint, induere solent. Eò fit vt aliquæ dulces, quædam acres, acerbæ, acidæ, salsæ, amaræ, aliæ pingues, tales denique sint, qualis terra quam perfluunt, qualésque circumnascentium herbarum succi. Hinc variæ fontium, lacuum & fluminum à diuersis metallis prodeuntium vires ac proprietates. Hinc miracula pluribus in locis emicantia, quibus in nullâ parte naturæ maiora esse Plinius *lib.30.cap.2.* scitè dixit. Ridicula fuit hac de re Valentinianorum narratio, quam luculenter Irenæus & Tertullianus explodunt. Eiusmodi sunt fontes sapore vini, quemadmodum est vnus in agro Delphinatum Vocontiorum Vapincensi, ad Fanum Petri Argensonij, inter Balmam & Asperos, qui vinosus ab accolis propterea vocatur, quod per austerum metallicæ terræ genus profluenti sapor austerus ac vinosus insit. Est etiam in Paphlagoniâ fons vti vino mixtus, ex quo potantes fiunt temulenti, vt author est Vitruuius *lib.8. de Architectura, cap.3.* Athenæus item *lib.2. cap.2.* & Plinius *lib.2. cap.103.* qui & alios eâdem proprietate commemorat hunc in modum. *Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, & in agro Caleno. In Andro insulâ, templo Bacchi, fontem cui nomen Dictenosia nonis Ianuariis semper vini sapore fluere memoria prodidit Mutianus ter Cos.* Lyncesti amnis Thraciæ venam vinosam vocat Tertullianus *lib.de animâ, cap.50.* acidam Sotion ex Theopompo, Vitruuius, Plinius. Vtcunque

cunque est, aquis suis non aliter quam vinum ebriosos & quasi ὀινοπήγας efficere traditur. Noti sunt de eo versus Ouidiani ex *lib.* 15. *Metamorph.* quos adducit & Seneca *lib.* 3. *Natural. cap.* 20.

Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

Huic affinis est aqua in Campania, inter Vulturnum & Cumas, in ipsis Linterni Cn. Scipionis Africani villæ, atque adeò sepulchri ruinis scatens, quæ epota vini modo temulentos facit. Prætereo fabulosum Naxi fontem, ex quo nonnunquam vinum, & illud quidem suauissimum profluere Ctesias in Indicis tradidit. Quò respexit Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 15. his versibus ad Bacchum.

Et tibi per mediam benevolenti flumine Naxon,
Vnde tuum potant Naxia turba merum.

Sed enim permirum est quod S. Epiphanius memoriæ prodidit *Hær.* 51. quo loco mentionem habet eius miraculi, quod in Cana Galilææ Christus primùm edidit; tum cùm ex aquâ vinum est factum. Nimirum in eius rei fidem hodiéque pluribus in locis idem, quod olim factum est, prodigium instaurari; idque ipsum fontes, fluuiósque testari, passim in vina consos. Cuiusmodi ad Cabyram Cariæ oppidum fons est, qui eâdem illa horâ, quâ ministri aquam hauserunt, ac Saluator dixit, *Date Architriclino*, in vinum vertitur. Idem & in Gerasseno Arabiæ fonte contingere. Aítque se ex

Cibyræ

Cibytæ illo fonte, Fratres ex Geraſeno potaſſe, qui in Martyrio eſt. Pleroſque verò idem & de Nilo Ægypti fluuio confirmare. Quæ cauſa ſit cur Tybi x1. quæ eſt apud nos ſexta Ianuarij, omnem in Ægypto aquam hauriant, ac reſeruent, idque multis aliis in locis fieri aſſolere. Et hanc quidem Epiphanij obſeruationem argumentis quibuſdam confirmare nititur Baronius ad annum Chriſti 31. *num.* 33. De miraculis aquarum cùm multi ſcriptores Græci Latiníque retulerunt, tum maximè Sotion, ex cuius Collectaneis excerpta Græcè tantùm ab Henrico Stephano edita ſunt. Ea verò nunc primùm à nobis in Latinam linguam tranſlata ſubtexere non abs re fuerit. Fecimus enim quod ſæpè liberales venditores ſolent, ſi mihi Tullianam comparationem vſurpare licet, vt cùm ædes fundúmve vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causâ aptè & loco poſitum eſſe videatur. Sic nos ad id quod quaſi mancipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita accedere.

Ex Sotionis Collectaneis miraculorum quæ ſparſim de fluminibus & lacubus narrantur.

Fons eſt in Potniis iuxta Thebas, ex quo potantes equi furore corripiuntur, authore Iſigono libro ſecundo Incredibilium.

Clazo

Clazomenis fons est, qui à pecoribus potus lanam eorum colore inficit, vt idem quem dixi Isigonus refert.

Fons est apud Indos qui natantes non secus atque instrumento quodam in terram eiaculatur, vt Ctesias author est.

In Cretâ riuulus est, quem quicunque pertranseunt dum cœlum pluit, ij sicci permanent, quandiu in riuulo isto sunt.

Alexandrum in Perside fontem vidisse narrant, qui sua sponte oleu impleretur.

In Sicilia ferunt stagnum quoddam esse, cui si aues reliquaque animantia suffocata immergantur, vitæ restituuntur.

Iuxta viam quæ Smyrnam ducit, fons est neque magnus, neque multâ aquâ scaturiens; turbâ autem hominum ad locum confluente, & sono strepitúque exorto larga aquarum copia intumescit teste Aristotele.

Est fons apud Palicos aquas ad sex cubitorum altitudinem eiiciens, ita vt loca omnia vicina inundaturus videatur, nihil tamen quidquam omnino superfunditur. Ad hunc accolæ de rebus maximi momenti iuramenta præstant, vt Isigonus libro secundo Incredibilium refert.

Iuxta Scotusam Thessaliæ fons est exiguus, qui omnibus animantium vulneribus medetur. Lignum quoque non imminutum prorsus, sed fissum si iniiciatur, coalescit: Ita glutinosa quædam aquæ illi vis inest referente Isigono.

Lusis

Lusis Arcadiæ fontem esse Aristoteles affirmat, in quo mures subterranei nascuntur, illósque in eodem natare & vitam degere scribit.

Isigonus apud Athamanes fontem esse refert, cuius aqua quidem frigida est, quæ autem in summo est adeò calet, vt si sarmenta quis superimponat, confestim ea inflammentur.

Idem fontem esse scribit Clitoriis, cuius aquam si quis biberit, vini odorem ferre non potest.

Eiusdem quoque naturæ fontem esse in agro Reatino Italiæ qui Menta vocatur, idem Isigonus author est. Eodem quoque modo prope Cosam fons est, in quem si amphoram plenam vini immittas, ita vt aqua orificium exsuperet, vinum id statim quouis aceto fit acidius eodem authore referente.

Theopompus prodit fontem esse apud Chropes Thraciæ gentem, ex quo qui lauerint, statim moriantur.

Iuxta Magnesiam ad montem Sipylum fontem esse Hellanicus narrat, ex quo qui bibunt, iis ventrem lapidescere.

Ctesias in Æthiopia fontem esse narrat, cuius aqua cinnabaris colorem refert, bibentes verò ex eo mente alienari, adeò vt ea quæ clam perpetrarunt, eloquantur.

In Arabia Isidis fons est, cui si quis vini colytam infuderit, potus fit probè temperatus, referente Ammeto.

Ammonis fontem naturâ frigidissimum circa

meridiem

meridiem mediâmque noctem feruere Aristoteles prodidit.

Theopompus Lynceſtum fontem eſſe ait ſapore quidem acidulum, bibentes verò non ſecus atque vino inebriari.

In vrbe Sycaminis lacus eſt, cuius aquâ quicunque lauantur, quique ex eâ bibunt, iis capilli defluunt, brutorum autem animantium vngulæ decidunt, vt refert Iſigonus.

Heraclides Ponticus apud Sauromatas ſtagnum eſſe affirmat, in quod aues tranſuolaturæ decidunt.

Herodotus apud Æthiopes Macrobios fontem eſſe ſcribit, quo qui lauantur, oleo perunctí nitent.

Clitoriis, quæ Arcadiæ ciuitas eſt, fontem eſſe perhibent, de quo quicunque bibunt, vinum oderunt, ibidémque hoc epigramma inciſum legi.

Paſtor cum gregibus medij qui ſolis ab æſtu,
Clitorij ſitiens antra remota ſubis.
Sume tibi potum de fontibus, Hydriadáſque
Ad Nymphas feſſum tu quoque ſiſte pecus.
Sed nec membra laues vndis, nec te grauis afflet
Aura, animum dulcis dum tenet ebrietas.
Vitibus infeſtas lymphas fuge, namq; Melampus
Hìc dirâ luſtrans Prœlidas à rabie.
Abdidit occultum virus; quas error ab Argo
Scrupoſæ ad montes egerat Arcadiæ.

Ariſto autem Philoſophus Peripateticus in Chio fontem eſſe dicit, ex quo qui biberint, eos hebetes, atque inſipientes fieri, atque

que ibi epigramma inscriptum esse tale.

Iucundum gelidæ laticem fons proiicit undæ.
Ast animus saxi, si bibis, instar habet.

Susis autem in Persiâ aquam esse perhibent, ex quâ qui biberint, iis anteriores dentes statim excidere; atque ibi etiam epigramma insculptum est hisce verbis.

Hospes aquam cernis metuendam, innoxia mẽbris
Sumere mortales vnde lauacra queunt.
Sin imum in ventrem nitidam deieceris vndam,
Admotis tantùm labra suprema licet.
Protinus in terram labuntur ab ore molares,
Et sedes linquent mandibulæ vacuas.

Aliferni, quod Italiæ oppidum est, puteus est profundissimus, cuius aqua quidem videri potest, verùm quandocunque aliquis funem demiserit, aquam tamen nunquam attigerit, occultâ aliquâ vi id prohibente, vt Isigonus testatur.

Auernus Italiæ lacus est circa Cumam, in quo folia atque festucæ ex circuniacente silua incidentes statim submerguntur.

Aristoteles author est propè Carthaginem fontem esse oleo liquidiorem, eúmque si impurus quis accesserit, protinus euanescere.

Circa Gelam Siciliæ Silla lacus est, exiguus admodum, qui lauantes in terram non secus atque cataста aliqua eiicit, vt Aristoteles refert.

Iuxta Eridanum fluuium ad Electridas insulas lacus est, aquâ calidâ feruens, odore autem adeò fœtido, vt nullum animâ ex eo gustet.

Cystiron

Cyſtiron lacum iuxta Abdera à Xercis exercitu potando exſiccatum perhibent.

Hieronymus ſcribit in Nabathæa regione, Arabum lacum eſſe guſtu amarum, in quo neque piſcis, neque aliud aliquod aquatile animal degit, ſed ex quo bituminis laterculi ab accolis educuntur.

Pythermus refert ſi quis ſcyphum in Strymonis fluminis vortices iniiciat, reperturum eum in lacu qui eſt iuxta Apolloniam.

Phaëton fluuium in Boſphoro adeò frigidum eſſe dicit, vt nullum omnino animal frigiditatem eius ſuſtinere poſſit.

Circa Tarracinam Italiæ Iſigonus Amyclæum lacum eſſe refert, & iuxta eum vrbem deſertam, quam habitatores propter ſerpentum copiam relinquere coacti ſint.

In Benaco lacu Italiæ, cuius ambitus ſtadiorum eſt 10. inſula quædam hominibus culta & arboribus conſita fluctuat, vbi etiam oraculum. Idem quoque fit in alio Italiæ lacu qui vocatur Cutiliæ.

Eſt etiam lacus Italiæ, quem Vadimonis appellant, non adeo magnus, qui eodem modo complures paruas inſulas habet, quæ omnino vento circumferuntur.

Lacus qui iuxta Sardes eſt, nomine Coloë, piſcium quidem copiam nutrit, habet autem inſulas hominibus habitatas oberrantes; natant enim & provt ventus ſpirat, ita nunc huc, nunc illuc transferuntur; Auium autem aquatilium tantam fert copiam, vt ſale condiantur.

Aquam quæ in Susianâ regione Medea vocatur, perhibent admiſceri medicamentis adurentibus. Ea ex fonte quodam ſcaturit, & ab incolis eius regionis aſſeruatur. Pollet autem eiuſmodi vi, vt quæcunque animalia ſiue vaſa eâ illiniuntur, aut humectantur, admotum eminus ignem attrahant ad ſeſe, ſtatímque ardeant. Vocatur autem naphtha. Exportata verò extra eam regionem vim illam amittunt, vt refert Iſigonus.

In Italia lacus eſt Sabatas nomine, cuius aqua cum liquida & pellucida eſt apparent in fundo plurima fundamenta, ædéſque ſacræ & magna copia ſtatuarum. Accolæ autem vrbem iſtic principio fuiſſe, eámque ſubmerſam poſtea referunt. Idem de Ciminio lacu Italiæ affirmant, quod cum vrbs antea eſſet, repente ea abſorpta fuerit.

Macedoniæ lacus eſt nomine Lychnis; pernauigatur autem rei nouæ cognoſcendæ causâ. Quicunque enim proni viſum in fundum dimittunt, triclinia pretioſiſſima conſpiciunt, & ingentem argenteorum vaſorum copiam mirandæ magnitudinis, tum aurearum patinarum atque poculorum, cæterorúmque omnium quæ inter regias opes ad luxum voluptatémque comparari ſolent.

In Lydiâ lacus eſt quem Talam vocant, Nymphis ſacer, qui plurimos calamos profert; in medio autem reliquorum vnum quem accolæ Regem appellant, cúmque annua ſacrificia atque feſta celebrantes propitiant. Interea

terea autem dum sacra ista fiunt, vbi in ripa sonitus concentus cuiusdam editur, calami omnes choreas agitant, atque Rex inter reliquos quoque tripudians ad ripam accedit. Accolæ verò tæniis illum redimitum dimittunt, deum rogantes vt in posterum & ille & ipsi eò conueniant; id enim illis signum est, fruges omnes eo anno feliciter atque copiosè prouenturas, sicut Isigonus *lib.*2. Incredibilium refert.

OENORHOE

SIVE

FONS VINOSVS

in agro Vapincensi.

IAM satis Aonij gelidus me proluit humor
Gurgitis, Ascream laurum satis ore momordi;
Nunc haurire iuuat plenis tua munera labris
Bacche, iuuat duras in poculà mergere curas,
Virgineámque nigris frondem mutare corymbis.
Parcite Castalides abstemia turba puellæ,
Parcite; fraterno misti Latous & Euan
Numine percellunt vates, & vtrumque bicornis
Parnassi resonant vmbrosa vireta, nec vnquam
Teius ipse pater, Calabri nec ruris alumnus,
Qui miscere suos meruit tibi, Scipio, manes
Ausonius nunquam fidicen nisi feruida multo
Viscera perfusi Bromio tetigere disertæ
Fila sonora lyræ. Puer ocius ingere mustum
Condriaco feruens quod Sirius vssit in agro,
Ingere quod tosti iactat vindemia Tinni:
O quàm lene fluit cyathis, ô quanta beatum
Gaudia pertentant pectus: Puer adde Lyæum
Quod Frontiniacis expressit vinitor vuis;

Ennius sepultus est in Scipionis monumento viâ Appiâ.

Adde

Adde quod Idæis aduexit nauis ab oris
Scilicet aggredior vinosum dicere Fontem,
Quo Vapincus ager quo gens Alpina superbit:
Ite graues curæ, duri procul ite labores,
Clamosæque fori paulum secedite lites.
Dum loquor, insanam mentem furor occupat,
Euoe,
Parcius attonitum Pater, ô Pater obrue Vatem.
Non ego, lætitiæ dator Euhye, mystica risi
Orgia, non sacram despexi Phallice vannum.
Euoe parce Pater soboles intonsa Tonantis,
Eraphiota, Phanes, Pæan, Dithyrambe, Sabazi;
Seu tu Nyctelius, seu tu Briseus, Osiris,
An Bromius dici mauis, an Iacchus an Euan;
Denique nominibus centum, quæ tradidit olim
Relligiosa tibi diuerso Græcia ritu.
Sic tua flexipedes edera per tempora serpant,
Et mithratus apex sacro tibi vertice surgat;
Sic tibi cingatur villosa nebride pectus;
Vitea pampineis rubeat sic hasta racemis.
Euoe parce tuos auso memorare liquores
Liber, & vnde meri Fons traxerit ille saporem
Dic Pater; an terræ per viscera fusus alumen
Permeat, aut æris massas ferrique fodinas.
Causa latet, causam memora Lenæe latentem.
Hæc quoque pars nostri non aspernanda laboris
Debetur CHRISTINA tibi, cui subdita
paret
Magnanimûm genitrix fœcunda Suecia Regum.
Fortè pererratis Insubrum finibus Euan
Gallica pampineo curru vineta petebat;
Dúmque pruinosas Indis conscenderet Alpes

Tigribus, Oenorhoen summis de more vagantem
Montibus, Oenorhoen praestanti corpore Nympham
Vidit & incaluit, blandísque subinde puellam
Vocibus aggressus, Virgo pulcerrima votis
Cede meis, inquit, nec despice numinis ignes.
Non sum plebeio Faunorum sanguine cretus,
Curua licet videas taurina cornua fronti;
Sed mihi siderei pater est moderator Olympi,
Qui mare, qui terras obliquo fulmine terret.
Nónne tuas vnquam fando peruenit ad aures
Ereptum Semeles aliquem flagrantis ab aluo,
Macris Bacchi Nutrix. *Insutúmque Iouis femori, quem Macris alumnum*
Euboicis Bâcchi de nomine dixit in oris:
Ille ego sum; iunxi primus qui vitibus vlmos,
Laáque calcatis expressi vina racemis:
Quóve magis credas praecinctos aspice crines,
Aspice palmiteis velatam frondibus hastam.
Ille ego Niliaca genti vocitatus Osiris
Edocui terram proscindere primus aratro,
Sparsáque diuiduis committere semina sulcis.
Edocui certo metiri limite cœlum
Primus, & obliquos astrorum noscere cursus.
Primus inexpertum sulcaui nauibus aquor,
Et noua longinquis feci commercia terris.
Quin etiam diuis indixi primus honores,
Primáque sacraui caesis altaria tauris.
Fortia quis demum non audit facta Lyaei.
Non refero positas deuicto Gange columnas
Orbis ad Eoi metas, aeterna triumphi
Signa mei: Thalamos Bacchi ne despice, Virgo,

Inter

Inter montiuagas tantùm pulcerrima Nymphas,
Quantùm fluminibus riui, quantúmque fre-
mentis
Fluctibus Oceani labentia flumina cedunt.
Est scelus vltorem si nescis temnere Bacchum:
Scilicet iratum me natus Echione sensit;
Odrysij sensit proles insana Dryanthis;
Et quæ nocte volant & habent à vespere nomen
Tecta per errantes patulis Mineides alis:
Denique despectum quotquot risere Lyæum.
At simul est placitum nobis, æterna placentes
Laus manet: Hæc rutilo quæ nocte Corona re-
fulget
Lumine, Gnosiaca capiti detracta puellæ
In decus æternum per me fuit addita cœlo.
Tu quoque si votis. Fari pergentis inanes
Amplexus fugiens eluſit Nympha, repulsus
Insequitur Liber. Duras volatilia per Alpes
Quà rigidas cautes infuso Pœnus aceto — Le Mont Genevre.
Ruperat: Inde tuos hyberna Brigantio muros — Brian-
Præterit, ambrosio quà melleus aëre succus — çon:
Depluit; atque citis linquens Ebroduntia plamis — Ambrun:
Iugera, Caturigum pingues præteruolat agros: — Chorges:
Hinc celeri transit Vapinci mœnia cursu, — Gap.
Et Venetûm campos, & Montis culta Seleuci, — Veynes.
Quà rubuit quondam Romano sanguine tellus, — Mansa-
Fractus & aduersis cessit Magnentius armis. — leon. *Magnentianâ cla-*
Exin gramineum Virgo progressa per æquor — *de nobilis.*
Constitit, heu nimio defessa labore viarum;
Instat anhelanti pater Euhyus, atque proteruos
Admouet amplexus, sperataque gaudia tentat.
Viribus illa minor Bacchi, succurre precanti

Cynthia, clamauit, victæ succurre puellæ.
Vix ea finierat Nymphe, cum sensit Iacchus
Roriflua totos liquescere Virginis artus,
Nec nisi se madidam pro Nymphâ tangere lympham.
Constitit attonitus spectando, qualiter hospes
Qui legit incautus Solymæ fallacia terræ
Mala, simul labris admouit, inania siccos
In cineres abeunt, & fauces puluere complent.
Delusum Bromius sese miratur, & omnes
Coniicit in partes oculos, num fortè patentes
Proripuit sese virgo dilapsa per agros;
Nil nisi rura videt, natumque repente liquorem
Qui sapit ex illo tactum vinosus Iacchum.

Longe ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cælo tactu testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida:

Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intus infecus fanillaceam ambitio tantum extima cutis cohibet, quæ vel leui tactu pressa fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem. Solinus cap. 38.

PRÆ

PRÆFATIO
IN SILVAM VI.
DE MANNA BRIGANTIENSE.

MEMORATV quoque dignum est Manna, quod ex larignis foliis apud Brigantienses colligitur, in vico præsertim, *d'Arnieu*, quâ vallis Quadracensis ad occasum obuersa est. Venit hoc ex aëre siderum exortu, præcipuéque ipso Sirio explendescente: Affatim quidem si feruentior æstas fuerit, parcius si frigidior. Idque noctibus serenis & omni aura quiescente, quoniam neque in nube, neque in flatu cadunt rores. Hinc obseruata frugum sterilitas, quo anno copiosius depluit. Colligitur id primâ aurorâ stramineis canistris, exorto enim sole in stillas abit. Mirari verò succurrit vnius laricis frondibus insidere, in illis frigore nocturno contrahi & densari, ex aliis arboribus tametsi picei generis diffluere, & in subiectas herbas humúmque diffundi. Siue id

vi quadam occulta vni larici conceſſum ; ſiue larix denſior & humilior eſt , ideoque rores è cœlo cadentes illi magis inſident. Nam,vt ait Theophraſtus *libro de Melle*, vbi de arboribus ad humorem illum retinendum aptis diſſerit, δεῖ δὲ μήτε λελεῖως εἶναι ξηρὰ, ἵνα μὴ εἰς αὐτὸ ἕλκῃ, μήτε μανα ; ἵνα μὴ δίιῃ. *Oportet autem ſiccas non eſſe omnino, ne abſorbeant,neque raras, vt tranſcolent.* Propterea melleos rores in quercus & tiliæ frondibus præ cæteris inueniri tradit. Apud Calabros & Apulos ſola fraxinus & congener ornus inciſo cortice Manna illud effundunt, quod in officinis proſtat. Aliis etiam in locis ab aliis arboribus excipitur. Vſus eius in medicinâ frequens apud Inalpinos. Aluum leniter emollit , maximè prægnantium mulierum. Contra phthiſin incipientem mirè prodeſt. Tuſſim & anhelitus emendat. Cum ptiſanâ ſanguinem concretum diſcutit ac diſtrahit. Eſt autem larix arbor eximiæ proceritatis , & è quâ trabs Romæ viſa eſt , Tiberij principatu,longa pedes cxx. bipedali craſſitudine æqualis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo faſtigium ad cacumen æſtimantibus , vt author eſt Plinius *lib.*16. *cap.*40. Materies duriſſima, incorrupta vis,emori contumax , quæ tardiſſimè cariem vetuſtatémque ſentit,diutiſſimè pondus ſuſtinere valida.Quod Baptiſta Albertus cum alibi , tum apud Venetos ex vetuſtis fori operibus ſe obſeruaſſe prodidit. Quam ob cauſam operi faciendo cæteris arboribus longè præſtare certum eſt. Vetus

eſt

est opinio laricem non ardere, nec carbonem facere, neque alio modo ignis vi consumi quàm lapides vt testimonio sunt Plinius *lib.* 16. *cap.* 10. Palladius *lib.* 10. *cap.* 15. & ante ipsos Vitruuius *lib.* 2. *cap.* 9. qui de castello quodam larigno rem scitu dignam retulit in hæc verba. *Diuus Cæsar eum exercitum habuisset circa Alpes, imperauisséque municipiis præstare commeatus, ibique esset castellum, quod vocabatur larignum, tunc qui in eo fuerunt naturali munitione confisi noluerunt imperio parere. Itaque imperator copias iussit admoueri. Erat autem ante eius castelli portam turris ex hac materia, alternis trabibus transuersis, vti pyra, inter se composita altè, vt posset de summo fudibus & lapidibus accedentes repellere; Tunc verò cum animaduersum est alia eos tela, præter fudes, non habere, neque posse longius à muro propter pondus iaculari, imperatum est fasciculos ex virgis alligatos; & faces ardentes ad eam munitionem accedentes mittere. Postquam flamma circa illam materiam virgas comprehendisset, ad cœlum sublata, effecit opinionem, vti videretur iam tota moles concidisse. Cùm autem ea per se extincta esset & requieta, turrisque intacta apparuisset, admirans Cæsar, iussit extra telorum missionem eos circumuallari. Itaque timore coacti oppidani eum se dedidissent, quæsitum vnde essent ea ligna quæ ab igni non læderentur: Tunc ei demonstrauerunt eas arbores, quarum in his locis maximæ sunt copiæ, & ideo id castellum Larignum, item materies larigna est appellata. Hac autem per Padum Rauennam deportatur*

tatur in Coloniam Faneſtri, Piſauri, Anconæ, reliquiſque quæ ſunt in eâ regione, municipiis præbetur, cuius materiei ſi eſſet facultas apportationibus ad vrbem, maximæ haberentur in ædificiis vtilitatis: Et ſi non in omnibus, certè tabulæ in ſubgrundiis, circum inſulas ſi eſſent ex eâ collocatæ, ab traiectionibus incendiorum ædificia periculo liberarentur, quod ea nec flammam, nec carbonem poſſent recipere, nec facere per ſe. Sed falſam eſſe perſuaſionem illam conſtat ex eo, quod apud Rhætos & Valleſianos quibuſdam in locis non alia ligna in vſum foci adhibentur; Alicubi etiam, tum in agro Brixienſi plurimum larigni carbonis vſum excoquendis ferri venis obſeruauimus. Flammam tamen ita concipit, vt videatur dedignari, ac velle à ſe diſcutere; quod certè mirum videri debet; cum larix in earum arborum numero cenſeatur, quæ reſinam fundunt, plurimúmque ex ſe oleagineam ſubſtantiam emittunt. Nam præcipua laus eſt larignæ reſinæ, quæ vulnerato cortice melleo effluit colore. Terebinthinam falsò vocant: Eaque noſtrates, vt vernaculo remedio, non tantum ad vulnera & exteriora corporis vitia vtuntur, ſed etiam aduerſus internos morbos eandem non infeliciter deglutiunt. Fungus præterea qui in larice naſcitur frequentiſſimi vſus eſt in purgando cerebro. Agaricon Medici nominant. Et hæc quidem arbor Gallicè *Meleſe* dicitur, appellatione à melle ducta. Cæterum Brigantio vetus eſt

oppi

oppidum Delphinatus in Gallico Alpium Cottiarum latere, dictum Straboni βριγάντιον κώμη *Brigantium vicus*. Iuliano βριγάντια. Ammiano *Virgantia castellum*. Hodie *Briançon*. Quod perperam Graiis Alpibus Ptolemæus tribuit. Alpes enim Graiæ Sapaudicæ ditionis sunt, vt alibi diximus, vbi mons diui Bernardi minor, qui antiquitus summa Alpe Graia, & antiquissimè Cremonis iugum dicebatur, vbi præterea Centrones & ipsorum Forum Claudij, vulgò *Moustier en Tarantaise*; Item Axima, hodie *Saint Iaques d'Eme*. Alpium verò Cottiarum tractus fuit, inter austrum & septentriones, à Vesulo monte vsque ad montem Cenisium; Inter ortum & occasum à Segusio oppido ad oppidum vsque Ebrodunum, siue Eburodunum, nunc *Ambrun*. Erant autem Cottianæ ciuitates duodecim, quarum mentio apud Plinium *lib.3. cap.20*. Verùm per ciuitates illas non vrbes intelligendæ, sed totidem tractus siue pagi iisdem legibus, moribus & institutis vrentes, qualis ciuitas Heluetiorum, & ciuitas Allobrogum. Brigantienses ipsi vernaculo vocabulo vocant *Escartons*. Et hæ quidem ciuitates non sunt adiectæ trophæo Alpium, quod hostiles non fuissent. E quo trophæo Plinius inscriptionem profert gentes Alpinas ab Augusto deuictas enumerantem, quam Philippus Cluerius Italiæ antiquæ *lib.1. cap.9*. falsò existimat positam fuisse in Alpibus Maritimis

apud

apud mare inferum in loco antiquitus appellato *Trophæa Augusti*, nunc *Torbia* castello ignobili, non procul Monœco; quandoquidem inscriptio illa Segusione fugientibus literis hodiéque visitur, vnde Plinium exscripsisse mihi dubium non est.

LARIX

SIVE

MANNA BRIGANTIENSE.

ERGONE carminibus neglecta silebere nostris
Pulcra Larix, dio qua cœli munere felix
Spargeris ambrosiâ gemmantes grandine frondes.
Manna vocant, almi Syrio de nomine roris,
Quo Deus Isacidas Sinæis pauit in agris.
Aurea, seu tenuem despumant astra saliuam:
Seu rapidum sudat cœlum, seu liquitur aër
In succum, gelidâ concretum frigore noctis:
Seu vapor, hoc propius vero, sublatus ad auras,
Versatúsque diu, multúmque recoctus ab igni
Solis in Alpinæ sudis conuallibus ora,
Sensit vt infensum media sub nocte rigorem,
Dum placidi longùm fecere silentia venti,
Contrahitur sensim, donec graue pondus ab alto
Decidit, & crebrâ distendit grandine frondes:
Auxilium cælo missum languentibus agris,
Colligit arbuteis quod sedula turba canistris,
Ante serenatas radiis quàm sparserit Alpes
Lucifer, & tardus flectat sua plaustra Bootes:

Siue ille est cœli sudor, siue quædã siderum saliua, siue purgantis se aëris succus. Plinius l. 11. cap. 12.

Scilicet

Scilicet elatis efflant vbi naribus almam
Solis equi lucem, nocturnáque frigora cedunt
Ignibus Eois, melliti protinus orbes
In riguas abeunt stillas, fluidúmque liquorem.
Cur tamen vna Larix placuit cœlestibus, vnam
Perpluit æstiuâ nox intempesta pruinâ.
An piceæ densus frondi magis insidet humor;
An trahit aërium larici vis insita rorem.
Musæ noster amor paulum secedite priscâ
Phocide, quâ medius terræ Parnassus ad auras
Surgit, & auratis geminum caput inserit astris;
Ignarúmque viæ per inhospita ducite Vatem
Saxa, per Alpinos saltus Dryadúmque recessus,
Quà sacram Laricem nitidi sparsere corymbi.
Hoc etiam carmen gentis Regina Sueca
Accipe, magnanimam nec si te suspicit orbis,
Si volat externas latè tua fama per oras,
Spernere debueris nostras CHRISTINA Camœnas.
Incipe; dicamus nulli memorata priorum
Quæ modo sidereis frondescit in Alpibus arbor,
Olim virgo fuit, celeris, mirabile dictu,
Fida Comes Triuiæ, quâ non pede contigit Alpes
Gratior vlla Deæ; Laricem dixere sorores.
Nunc illi pharetram, roseos nunc Diua cothurnos,
Nunc aurata dabat lato venabula ferro;
Retia nunc maculis distincta, plagáſq; rubentes.
Fortè canem dederat, quo non audentior alter
Rumpere fulmineis immanes dentibus apros:
Cúmque daret, nostri Nymphe dulcissima, dixit,

Pignus

Pignus amoris habe maculoſo Lælapa tergo.
Aſpice quam toto procerus corpore præſtet;
Quam ſublime caput, viuacia lumina, torui
Obtutus, patulis è naribus ardor anhelans;
Quàm facies atrox, ingentes oris hiatus;
Quam graciles pendent longis ceruicibus aures;
Aſpice quàm pingues lumbi, ſuppreſſior aluus;
Vt cana diductis ſuccedant ilia coſtis, Signa canis generoſi.
Cruráque promineant ſiccis nodoſa lacertis.
Nympha refert, tanto meritas pro munere laudes
Non opis eſt noſtræ tibi reddere ſumma Dearum,
Quæ noctu reparas abſentis lumina fratris
Irradians tacitas alternâ lampade terras.
Haud ego nunc metuam fido cum Lælape ſæuos
Exagitare ſues, vrſóſque laceſſere ferro.
Hic mihi ſolus erit cordi; mea ſola voluptas,
Quem cum Parca ferox immiti funere merget,
Me quoque Parca ferox immiti funere mergat.
Audiit ex imo votum feralis Auerno
Atropos, atque ratam ſanxit fore liuida vocem.
Rem probat euentus; fatalem diſcite caſum.
Fortè Larix duro venatu feſſa iacebat
Montis in abrupti dorſo, flantíſque fauoni
Frigora captabat niueos nudata lacertos;
Dúmque ſuperfuſi mulceret Lælapis armos,
Interdúmque rubens afferret ad oſcula roſtrum,
Vidit ab aerio Cyllenius æquore Nympham,
Cum Iouis aërias ferret mandata per auras;
Vidit & extemplo Caducifer æthere lapſus
Aggreditur Nympham, totúmq; reſoluit amœni
Eloquij flumen, quo Diuûm detinet aures.
O nimium felix, quem tu dignaberis, inquit,

Fœdere coniugij, Virgo formosa beato
Digna Dei thalamo, ni tu, reor, vna Dearum
Mortale superum velasti numen amictu.
Virgineo certè posses Dictynna videri
Ore, coruscantem radiis si fulgida frontem
Cornua diuiderent, postes Tritonia Pallas,
Si læuam tegeret clypeus, caput ænea cassis,
Et flauo rutila tremerent in vertice cristæ.
Plura locuturum mediis euanida siluis
Liquit Atlantiaden Virgo; pudor addidit alas.
Constitit ille dolens illusum numen, & irâ
Percitus: Ergo mihi nil lactea copia fundi,
Nil iuuenilis, ait, facies, nil denique numen
Profuit; vltorem discerptus sentiat aprum,
Qui modo mulcentis meruit canis oscula Nymphæ;
Annon scæuus aper vindex Mauortis Adonin
Delitias Veneris fregit; num spreta ferocem
Intulit Oenæis aprum Latonia campis.
Hæc ait, & dicto citius per opaca ferarum
Lustra, per vmbrosas valles, saltúsque profundos
Sus immissa ruit, qualem Neptunia proles
Thesæus, Isthmiacæ fudit Cromyonis in agro;
Aut Erymanthæis qualem prostrauit in aruis
Amphitryoniadæ virtus, cum persita Iuno
Inuisum premeret variis Heroa periclis.
Illa Brigantino latè grassatur in agro
Sanguineis ardens oculis, immania furuis
Terga rigent setis, qualem gerit asper echinus
Telorum segetem, vel qualibus horrida visu
Armatur iaculis histrix; nunc feriida curuos
Dentibus exacuit, dentes & vulnerat auras;

Nunc

Nunc fricat annoso durandas stipite costas;
Nunc pedibus terram subigit, seséque lacessit.
Ac velut insano commotus murmure turbo
Puluereo crebros alternat in aëre giros
Depopulatus opes, & amœni ruris honores;
Strata sub arboribus, visu miserabile, quassis
Poma iacent, strataæ segetes, labor irritus anni,
Spésque iacent hominum; vulsæ radicibus imis
Dant sonitum latè quercus, nemus omne re-
mugit,
Vndique turbatur campis, iuga soluit arator,
Cogit oues trepidas Coridon in valle reductâ,
Tesqua ferę subeunt ingentibus obsitę dumis,
Vsque adeo totos subitus pauor occupat agros.
Sic aper Alpinus sæuit; quacunque minaces
Præcipitat gressus, longè propulsa fragorem
Silua dat, excelsæ pinus sternuntur & orni,
Attonitaque ferę latebris glomerantur, & ipsi
Extimuere sues fraterni vulnera dentis.
Hunc tamen adpetiit crebris animosus aprorum
Exuuiis Lælaps & largâ strage ferarum.
Aspera viuaces inter se prælia miscent,
Ancipitique diu fato concurritur, ambos
Igneus ardor agit, sanie permista subacto
Spuma solo fluitat limosæ more paludis;
Alter ab alterius percussus dente laborat.
Tandem lethifero laceratus vulnere Lælaps
Concidit, & fremitu victrix fera terruit Alpes,
Quis superare queat vim numinis; Ilia ducit,
Séque suo moriens Lælaps in sanguine versat.
Silua locum signat, quem non leuis aura susurro,
Non volucres mulcent cantu, circumuolat vnus

Carmine ferali bubo, non melleus humor
Aëris irrorat, tristi pecus abstinet herbâ,
Ingratam Satyri fugiunt & Oreades vmbram.
At subitò Lælaps hirtum, quis credere possit,
Vertitur in fruticem, quem docta cynorrhodon Hellas
Hinc vocat: Ille memor soliti per deuia moris
Arua, per horrentes dumos frondentia spargit
Brachia, sanguineis vnci cum dentibus vngues
In spinas abeunt etiamnum sanguine tinctas.
Cynorrhodos siue rosa siluestris rabidi canis morsibus medetur, quâ de re luculentam historiam narrat Plinius lib. 25. cap. 3. Medetur item canibus ipsis.
Hinc etiam tetros certo medicamine fertur
Persanare canum morsus, quos dira per æstum
Exagitat rabies atróque subinde veneno
Polluit hórrentes inuisi fluminis haustum.
Nec minus & canibus perhibent afferre medelam.
Si qua fides arti, radicem contere saxo,
Et liquidi viuâ contusam fluminis vndâ
Prolue, tum lino colata pocula præbe,
Abstuleris tanti causam stimulúmque doloris;
Sic mens prima cani, sic pristina sensa redibunt,
Illéque mitescens vultus agnoscet heriles.
Interea surdas inconsolabilis Alpes
Vocibus incendit, largóque medentia fletu
Irrigat ora Larix, donec confecta dolore
Obriguit trunco similis, iussúque Diana
Radices pedibus sensim creuere, capilli
In frondes abeunt, in longos brachia ramos,
Laricis cortex interior subrubet.
Sanguis in humorem, quo nunc quoque purpurat arbor:
Vnáque sudanti stillantes aëre guttas

Excipit

Excipit æternum lacrymis testata dolorem:
Quæque prius flammas Veneris pudibunda repressit,
Fertur inoffensum flammis opponere truncum:
Præterea læso gracilis de cortice succus
Profluit, indicium luctus, resina vocatur,
Quâ non vtilior medicos emanat ad vsus;
Et qui mellifluâ succrescit in arbore fungus,
Agaricon dicunt, trunci dat signa dolentis.
Insuper ingenitum siluarum seruat amorem,
Nec nisi sidereis adolescit in Alpibus arbor,
Atque Larix memori vocitatur vt ante colono.

Larix flammam dedignatur.

Resina larigna.

Agaricon fũgi more nascitur in larice.

DE BARBERO.

Ex historia Antoniana Aymari Falconis, parte 2. cap. 23.

MIRVM etiam est quod in Valle, quæ Aurea dicitur, Barberus fluuius tristibus duntaxat atque infelicibus annis temporibúsque decurrens futurorum malorum est prænuncius, & quantò magis auctus, maioribúsque aquarum incrementis exuberans cernitur, tantò luctuosiorem miseris mortalibus successum denunciat atque portendit. Et in ipsa aquarum scaturigine exortúque fluminis terra cum ebullientibus vndis glomeratos pisces magnâ intuentium admiratione eructat euomítque.

BARBERVS

Fons in agro Delphinatum Allobrogum Viennensi.

AONIOS iterum lucos, vatúmque recessus
Pandite Pierides, patrius sibi debita poscit
Carmina Barberus, sed quæ legat vnica Magni
Gustaui soboles: Cui non fauet ipsa, Camœnis
Creditur auersis natus, Phœbóque siniſtro.
Ne Dea ne pigeat toties in vota vocari,
Nil CHRISTINA tui sacrâ sine numinis aurâ
Fas audere mihi, nostros ne despice cantus;
Pastoris querulam ne dedignare cicutam.
Fertur & ipse boues olim pauisse Phereas
Phœbus, Hyperboreum qui nunc migrauit ad axem
Te duce, post habitis frondosæ saltibus Ascræ.
Nunc age, Barberi fatum dicamus, & Idæ
In volucrem versæ, versi pastoris in vndam.
Quà Rhodanus crebro se vortice torquet & vdus
Limes ab Allobrogum disterminat Heluia campis
Iugera, spicifero se porrigit æquore Vallis
Aurea. Sic veteres appellauere, quod auro

La Valoire quam alii qui di-

ctam vo- lunt. ab Auro fon- te vallem interluē- te.

Concolor vberibus messis flauescit aristis,
Nec magis Enna suas fruges, aut pinguia ia-
ctant
Gargara. Contiguas Barberus & Ida feruntur
Hic habuisse domos, lactentes illa capellas,
Alter oues pascens, annis florentibus ambo,
Ingenuis ambo natalibus; Ida puellas,
Barberus pueros formâ vincebat, & Idam
Saucius ardebat pastor, pastoris amorem
Aspera temnebat Virgo, nec in ore perennes
Fletus, & assidua per deuia rura querelæ
Frangere sæuitiam duræ potuere puellæ.
Fortè sub aëriæ frondoso tegmine fagi
Ida leui tenuem deducens pollice lanam
Frondea pascebat circum virgulta capellas:
Dúmque susurrantes mulceret cantibus auras,
Ecce per aduersas corylos, viridésque genistas
Improuisus adest pastor, lectósque puellæ
Coniicit in gremium ceraso de præcoce fructus:
Illa simul vidit, simul euolat ocior Euro,
Qualis anhela fugit viso cane cerua per atri
Secretos nemoris saltus, leuibúsque sequentes
Præuertit pedibus ventos, latebráque requirit.
Has tum mœstus amans querulo dedit ore lo-
quelas.
Quò teneris properas dumeta per hispida
plantis,
Ida, nec heu tangunt te nostri pectoris æstus,
Sim licet ore nitens, & puberis integer æui,
Nec tuus ille mihi vultu se præferat Alcon,
Si non decipior fallacis imagine riui:
Nec mihi se quisquam nostris committat in oris,

Seu

Seu libet alternis Rhodanum tranare lacertis,
Seu leuiore iuuat campum transmittere plantâ,
Siue grauem malim iactare per aëra discum,
Me tamen Ida fugis, nec tu mea carmina curas,
Carmina, quæ latis ipsa mirantur in agris,
Oblitæ cytisum vaccæ, virgulta capellæ.
Altera maturis flauet iam messibus æstas,
Altera cessit hyems, cum me sine fine querentem
O vitrei fontes & roscida prata videtis,
Nec tamen interea querulo mihi ferre medelam
O vitrei fontes & roscida prata valetis.
Daphnis amat Phyllin, redamat quoque Daphnida Phyllis,
Vtque Dryops Chlorin, Dryopem quoque sedula Chloris
Deperit; vna meos heu despicis Ida furores,
Vna meos spernis thalamos, dum sperno tuarum
Oblatos comitum thalamos; num candida Cydno,
Fusca Larix, dines Lepidina, proterua Dione
Ad mea continuis spirant connubia votis:
Sed procul este Larix, Cydno, Lepidina, Dione,
Pulcrior Ida suis totum me cepit ocellis,
Me niueo cepit gremio, roseisque labellis.
Ah potius durâ nascentur in ilice ficus,
Et dulci fragiles stillabunt melle geniste;
Natiuas potius viridis feret esculus vuas,
Crudáque maturis præstabunt sorba volemis,
Quam nostris alius deflagret in ossibus ignis.
Aspice quam molles patulum nemus explicat vmbras,
Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis;

Nec tamen illa magis sine te mihi læta videntur,
Quam cum tristis hyems agros aquilonibus vrit.
Hei mihi quid centum prosunt in ouilibus agni,
Quid totidem niueo præstantes corpore matres,
Quid numerosa pyrus, quid vitis amœna sub vlmo,
Si tibi despicior, si me fugis Ida sequentem:
Ah pereant ipsis teneri cum matribus agni,
Hirsutúsque meo regnet paliurus in agro,
Tu modo me posthac non auerseris amantem.
Non tibi prætulerim pecoris quodcunque feraces
Allobrogum campos, aut Helnia pabula tondet;
Non diti Rhodanus quas aduehit æquore merces.
Hei mihi quod nullâ conceptum corde dolorem:
Vi superare queo, nullis depellere succis;
Vtque furit densis admotus vepribus ignis,
Stridentéque vorant incendia feruida ruscos;
Sic me sæuus amor cæco depascitur igni.
Longinquas profugus terras orbémque remotum
Quærere sollicitor, patriósque relinquere fines;
Fors meus externis ardor mitescet in oris,
Nostráque fors alio suspiria sole tepebunt.
Sed quid ego vanas ad sidera fundo loquelas;
Quò me cunque furor ducet, puer ille sequetur,
Qui mea feruenti præsens face viscera torret:
Vitatur nimium frigus, vitatur & æstus;
Non vitatur Amor. Strictone flagrantia ferro
Ilia transadigam, quò scilicet effluat imis
Qui me torquet amor fuso cum sanguine venis:
An me præcipitem potius spumantis in imas
Demittam Rhodani latebras, quò largior hausfus
Fluminis extinguat nostras in pectore flammas.

Vos mihi vos obitum facilem præstabitis vdæ
Naiades, & molli dabitis succedere ripæ:
Prouidus hunc olim summâ de puppe magister
Aduertens scopulum, dextram flectamus in oram,
Inquiet, ô socij, locus est infamis acerbo
Funere Barberi, procul hinc impellite remos.
Irrigui fontes herbosáque prata valete,
Vósque mei testes ardoris viuite siluæ:
Non ego vos posthac Idam resonare docebo:
Viuite lanigeris blandi cum matribus agni;
Non ego vos posthac vlmi frondentis in vmbrâ
Prospiciam teneri carpentes graminis herbam.
Tityre, Mopse, Lycon, Dorila, Narcisse, Phileta,
Quos Amor imperio nondum parere coëgit,
Discite crudelem pueri vitare puellam.
Quid moror infelix? num se via plurima lethi
Pandit, & innumeros Charon excepit amantes.
Quid moror heu? stricto præcordia figere ferro,
Infestámque meo præstat conspergere fagum
Sanguine, quæ dulces Idæ modò præbuit vmbras.
Hoc precor, hoc vnum misero concedite Diui,
Scilicet incolumem quantùm me despicit Ida,
Tantùm me, Superi, tantùm suspiret ademptum.
Hæc ait, extremas firmarunt Numina voces;
Nec mora deprompto scrutatur viscera cultro;
Vnde per attonitos, visu mirabile, campos
Limpida purpureo pro sanguine lympha cucurrit,
Totus & irriguum mutato corpore pastor
Soluitur in fontem, flauâ qui mobilis vndâ

Seruat

Seruat adhuc priſcum nomen, veterémque figuram,
Et mentem recolens æquum ſe præbet auaris
Agricolûm votis & vates optimus audit.
Scilicet indomito præceps vbi gurgite riuus
Turget, & effrænis tardus impellit arenas,
Infelix lolium fallacia iugera latè
Occupat, & ſteriles vrit paliurus ariſtas:
Aſt vbi ſuppreſſis vndarum faucibus æres,
Nubilibúſque premi gaudes Barbere puellis,
Luxuriant vltro ſegetes, & curua laborant
Ilia meſſorum; depreſsáque pondere nutant
Horrea; Tunc videas innectere ſerta puellas
Crinibus, & feſtas agitare per arua choreas.
Quis dolor ô ſilua, quæ vos ô rura tenebat
Mœſtities, quanto ſqualebant omnia luctu,
Pronus vt incubuit ferro Barberus, & vdam
Fecit humum, ſubitò riguam reſolutus in vndam:
Nullum triſtitiâ teneram pecus attigit herbam,
Aut libauit aquæ laticem; fleuiſſe feruntur
Indigenæ Fauni; Dryades fleuiſtis, & Idam
Crudelem nimium, crudelia fata vocaſtis.
Ida ſimul fato mutatum vidit amantem,
Et querulum medios fontem manare per agros
Qui modò paſtor erat, ſenſit molleſcere pectus,
Effuſáſque tuis lacrymas Barbere fluentis
Miſcuit, vnde ferunt ipſum caluiſſe liquorem:
Et quæ viſa fuit duris prius edita ſaxis,
Nunc lacerata comas extinctum luget amantem,
Flebilibúſque leues incendit vocibus auras;
Qualis in Aonio bacchatur concita Manas
Vertice: Barberum ſonat vndique ſilua, gementes,

Barbe

Barberum pecudes, Barberum mœsta reclamant
Pascua; respondent è vallibus antra, sed Euro
Surdior ille, vago per gramina gurgite serpit.
Cœlicolis tandem miserantibus Ida canorum
Vertitur in volucrem, prima quæ conscia formæ
Nunc quoque pastores armentáque nota frequentat
(Bergeram patrio dixerunt nomine Galli.) Gallicè *la Bergere.* Item *Battiqueue.*
Barberique memor solitas circumuolat undas.
Quin etiam comites quâ vicerat ante puellas
Mobilitate vigens, caudam sine fine trementem
Motat, & Ausoniis hinc Motacilla vocatur.
Quódque magis mirum, flammis ardentibus Græcis ἰυγξ dicitur quà mulieres incantatrices vti solent ad amorem cõciliandum. Tzetzes in Lycophronẽ.
vstam
Illice vi duras perhibent mollire puellas;
Nec magis hippomanes sanos auertere sensus
Creditur, & lentum magico dare pectus amori.
Claudite Castalios Musæ iam claudite saltus.
Hic labor extremus, nostris hic terminus ausis;
Plura nec ipse Pater nobis concessit Apollo.
O tibi si nostræ placeant CHRISTINA Camœnæ.
Aërias feriam sublimi vertice nubes.
Hæc ego siluestri ludebam lentus in vmbrâ;
Quà celer Allobroges Isaræ secat alueus agros,
Voraisque rubens in collibus vritur Euan.
Dum fora iustitio cessarent clausa trimestri,
Colligerétque suas cantando vinitor vuas.
Scilicet infracti nobis hæc otia fecit
LESDIGVERI solers animus, regnique procellis
Inconcussa fides, longè dum martius horror Anno scilicet 1649.

Intonat,

Intonat, & Francos lacerat discordia ciues,
Tisiphone stygium laté quatiente flagellum.
Vna foues almam tellus Delphinia pacem.
Heu quantum potuit mauortia Gallia, quantum
Sanguinis Hesperij fundi, quantúmque parari
Hostibus excidij, si mens non læua fuisset,
Nec tua vertisses demens in viscera dextram:
Quâ toties animosus Iber, totiésque Britannus
Procubuit. Damnum quod nulla resarciet ætas.
Sic placitum Superis, ne Francica lilia totam,
Proh dolor, Europam stabili ditione tenerent.

DE V. C. DIONYSIO
SALVAGNIO BOESSIO
BAYARTII HEROIS
CONSANGVINEO.

SALVETE manes inclyti
Bayartij,
Et ſpes Nepotum diſcite;
Ille, ille veſter ſanguis, ille inſcitiæ
Clades futurus extima,
Perennitatis calculum Saluagnius,
Purique tradux ætheris s
Ne pœnitendus augeat Diuûm cohors,
MIRACLA iam ſeptem edidit.

P. ARNVLPHVS Criſtenſis.

P. M.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

MARIÆ DE VALERNOD DOM. D'HERCVLES, QVÆ POST RECEPTAM MIRACVLO SANITATEM PERPETVVM IPSA CONSVMMATÆ SANITATIS MIRACVLVM FVIT; QVIPPE FLOREM ÆTATIS ET FORMÆ DECVS OBLITA, INCREDIBILI ERGA DEVM PIETATE, ERGA OMNES CHARITATE, IN SEIPSAM ODIO EXQVISITIS AFFLICTATIONIBVS EXASPERATO, VITAM INTRA CONIVGII FOEDVS COELO QVAM TERRA PROPIOREM TANDIV VIXIT, DONEC AD CÆLESTEM SPONSVM INEXPLEBILI AMORE SVCCENSA EX CORPORIS VINCVLIS EVOLAVIT ÆTATIS ANNO XXXIII. SALVTIS M. DC. LIV. III. KAL. IVN.

I felix anima, & cœleſtibus addita Diuis
Intuitu Sponſi paſcere Sponſa tui:
Par fuit, ante tuos annos rapereris ab illo,
Auſus amor toties quem rapuiſſe tuus.
Par fuit, æquales eſſent ætatibus ambo,
Quos ſacer æterno fœdere iunxit hymen.

VOTVM

VOTVM EIVSDEM MARIÆ DE VALERNOD, quum incisâ brachio læuo Cruce cor suum amore Christi saucium profluente sanguine delinearet.

CRVX mea, CRVX ferro nostris impressa lacertis
Aptius in nostro corde recisa fores.
Fallor; ab hoc sanguis manat qui vulnere, nostri
Vtilior cordis pingere vulnus erit.
Non dolet hoc vulnus, sed quæ tibi Christe scelesti
Vulnera fecerunt, hæc mihi Christe dolent.
Ah mihi si liceat, confestim membra paterent
Tot mea vulneribus, quot tua Christe patent.
Hinc latus, inde pedes, hinc vtraq; palma nataret
Sanguine, spina meo vertice densa foret.
Saltem perpetiar liceat tot corde dolores
Christe, tot arumnas hac ego parte feram.

EPIGRAMMA.

De eadem, quum subditæ manibus flammæ cruciatum diutissimè sustineret.

ARDENTEM manibus teneris dum subderet ignem

Herculia in pœnas ingenioſa nouas.
Concipe dicebat maiores flamma calores,
Acrius in noſtro pectore flagrat amor.

De eâdem, quum amaritudinem cibo aloë intermiſtâ conciliaret.

INGRATIS aloës ſuccis dum temperat eſcas,
Et natat in triſti felleus ore ſapor.
Quanta ſerenatam pertentant gaudia mentem;
Scilicet ambroſiis roribus illa madet.

De eâdem, quum foliis vrticæ lectum ſubſterneret.

FRONDIBVS vrtica dum circunfuſa iaceret,
Et teneram mordax pungeret herba cutem.
Sponſe veni, dixit, noſtris hæſure lacertis,
Extruxi thalamum qui tibi gratus erit.

De eâdem, quum lecticâ quâ ferebatur in præcipitia delatâ, ipſa eodem mentis ſtatu præſentiſſimum Deum haberet.

DVM ruit in præceps flexu lectica viarum,
Immotâ ſtabilis mente Maria cadit.
Scilicet ancipitis cui mens eſt neſcia lapſus,
Præcipiti neſcit pertimuiſſe loco.

De ardore febris, & amoris Diuini quo ſuccenſa interiit.

Hinc amor, inde febris certant ardoribus æquis,
Artubus hæc, menti vim facit ille piæ.
Tandem vicit amor; dum frigent corporis artus,
Libera mens Sponſi flagrat amore ſui.

De

De piâ controuerſiâ, quæ fuit inter Canonicos B. Mariæ & Patres Societatis IESV de ſepeliendâ Mariâ Valernodiâ.

ESSE tuam clamas Ædes Mariana Mariam;
Eſſe tuam Ieſu nomine dicta domus.
Lis animoſa pio certamine diſcidit urbem;
Deduci Sponſo debuit illa ſuo.

DIONYSIVS SALVAGNIVS BOESSIVS Regi ab intimis Conſiliis, idémque Delphinatis Rationalium Curiæ Primarius Præſes, fœminæ honoribus æternis digniſſimæ parentauit.

EPIGRAMMA.

DE MIRACVLO NVPER edito ad pagum Vinaïcum, vbi ſacellum B. Mariæ Viminali poſitum eſt, poſtquam ſalix viminalis eò loci feſtâ die B. Mariæ ab hæretico inciſa multo ſanguine ſtillauit 25. Martij, anno 1649.

IMPIE, num miro ſtillantes ſanguine virgas
Indicium læſæ Virginis eſſe vides?
Quin tu Chriſtiparæ iuſtos perſoluis honores?
Ipſe dolet cultum ſtipes abeſſe Deæ.

Aliud de eadem ſalice ſuperſtite, ſed aridâ, poſtquam ſanguine vberrimo lacrymauit.

Nuper eram calathis & vitibus vtilis arbor,
Nunc ego ſum radix arida, truncus iners.
Impia quippe manus feſtâ me luce recidit;
Vt ſenſi vt perij, ſanguine viſa dolens.

Aliud.

Aliud.

Impie dum meritos Christi genitricis honores
Abnuis, arida sum crimine facta tuo.
Errores agnosce tuos, rediuiua virebo,
Quaque prius fluxi sanguine, lacte fluam.

Aliud de humore salicis in sanguinem mutato.

Qui fluit inciſi de vulnere viminis humor,
Fit cruor, & latè purpurat vber humum.
Impie, ſic vinum ſacrâ modo voce litatum
Fit cruor, errores inde fatere tuos.

PRECATIO
AD B. MARIAM VIMINALEM.

Domitrix Erebi, noſtra tutela ſalutis,
Auxilium nulli ſollicitata negans.
Virgo potens cœli, flos illibate pudoris,
Et tamen illæſâ virginitate parens
Dum tibi lenta ſalix demptos lacrymatur honores,
Et largo madidam ſangnine tingit humum.
Hei mihi quàm ſiccis areſcunt lumina malis,
Conſcia quàm ſceleris mens animúſque riget.
Durior inciſo ſum ſtipite, ſiccior ipſis
Quas ſecuit virgis impia falce manus.
Felix impietas quam propter Virgo frequentes
Damnati votis ad tua templa ruunt.
Da precor ô Virgo nullâ reſperſa parentum
Labe, ſed inſigni tota decore nitens.
Da precor admonitum molleſcat ab arbore pectus,
Da fletu madeant vberiore genæ.
Quin ego debuerim fuſo pro ſanguine Chriſti
Sanguineo vultus imbre rigare meos.
Vitibus ante ſalix fuit vtilis, vtilis hortis,
Vtilior fuerit, ſi mihi parta ſalus.

DIONYSIVS SALVAGNIVS BOESSIVS Regi ab interioribus Conſiliis & Rationalium in Delphinatu Curiæ primarius Præſes in honorem B. Mariæ Viminalis. P.

ELO

ELOGIA
ILLVSTRIVM
ALIQVOT
VIRORVM E GENTE
SALVAGNIA,
TVMVLIS IPSORVM
partim inſcripta, partim
inſcribenda.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

AYMONIS

DOMINI D'ALINGES DE SALVAING DE BELLERIVE, & de Seruette Equitis, anno 1012.

AYMONIS II. Domini d'Alinges & de Saluaing Equitis, anno 1045.

Aymonis III. Domini d'Alinges, & de Saluaing Equitis, anno 1074.

Raymundi Domini de Saluaing & de Bellerriue Equitis, anno 1102.

Aymonis IV. de Saluaing Equitis, & Beatricis Eynard, anno 1127.

Aymonis V. de Saluaing Equitis, & Annæ de Chasteau-neuf, anno 1152.

Aymonis VI. de Saluaing Equitis, & Magdalenæ Berenger, anno 1180.

Guifredi de Saluaing Equitis, & Margaretæ de Saluces, anno 1217.

Hugonis de Saluaing Equitis, & Odetæ de la Chambre, anno 1281.

Aymonis VII. de Saluaing Equitis, & Beatricis de Clermont, anno 1340.

Petri de Saluaing Equitis, & Sibyllæ de Poictiers, anno 1380.

Aymonis VIII. de Saluaing Equitis, & Claudiæ Allemand, anno 1429.

Arthaudi de Saluaing Equitis, & Catherinæ de Terrail, anno 1492.

Franciſci de Saluaing Equitis, & Iſabellæ d'Aualon, anno 1500.

Aymonis IX. de Saluaing Equitis, & Catharinæ Marc, anno 1546.

Guilielmi de Saluaing Equitis, & Franciſcæ du Cheſne, anno 1580.

Caroli de Saluaing Equitis, & Carolinæ d'Arces, anno 1614.

Parentum & maiorum ſuorum deducto ſupra ſexcentos annos Stemmate Dionyſius de Saluaing Eques Sacri Conſiſtorij Conſiliarius, hoc monumento parentauit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo trigeſimo quinto.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

GViffredi Saluagnij, Aymonis VI. filij, qui Hugonem Burgundiæ Ducem, & Gratianopolis Comitem in Syriam contra Fidei hostes pugnaturum secutus, cùm multis in præliis, tum maximè in obsidione Ptolemaidis strenuum se ac fortem præbuit: Ex quo decoratus Equestri dignitate in patriam cum eodem Hugone reuertit, in quâ plenus annis, plenus honoribus obiit anno reparatæ salutis supra millesimum ducentesimo trigesimo tertio: Eique Margareta Salucia primariæ nobilitatis femina, Humbertus, Hugo, Guiffredus, & Aymarus liberi parentarunt.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

Illustris Viri Guiffredi Saluagnij, Templariorum Equitum Magistri, qui tum à multo rerum vsu, tum ab egregiis contra Saracenos facinoribus, ad supremam illam Ordinis sui dignitatem euectus est: Verùm ingrauescente ætate paucis post initam Præfecturam mensibus ingenti totius Ordinis, atque adeo Christiani orbis desiderio è viuis excessit

sit Anno salutis M. CC. LXXXVI. cuius absentis memoriam, corpore Hierosolymis condito, Aymo Saluagnius Hugonis fratris filius cenotaphio celebrauit.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

Petri Saluagnij, Aymonis VII. filij, cum belli, tum pacis artibus peritissimi, qui cum Humberto Viennensium Delphinorum postremo, apud quem maximè gratia & authoritate valebat, ditionis suæ Regum Franciæ filiis natu maximis transcribendæ suasor in primis atque author fuisset, Philippum Regem Christianissimum demeritus, præmij longè amplissimi loco liliatum ab eo Gentilitij scuti limbum consecutus est, posteáque ductâ Sibylla Pictauiensi paternum genus ad Valentinos, maternum ad Sabaudos Comites referente, susceptóque ex ea Aymone fatis concessit Anno M. CCC. LXXXIII.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

Ioannis Saluagnij Petri filij, Blosseuillæ in Normania Vicecomitis, qui cum in ea incidisset

cidisset tempora, quibus non solùm Senatus Parisiensis, & Sorbonici Collegij Decreta, sed etiam plerique Regiæ stirpis Agnati Anglicis partibus fauerent, easdem secutus, Aymone contra fratre natu maximo Francicas tuente, præclaris & ingentibus factis primùm Equestris Ordinis honorem ipsius Edoardi Regis Angliæ manu promeruit, tum Senescalli Dieppensis, deinde Balliui Rotomagensis dignitatem adeptus, quod tum fuit honorum in Normania fastigium, multis præliis strenuè confectis, & nomine suo Annalibus consecrato vita functus est Anno M. CCCC. XXXII.

Dionysius Saluagnius Aymonis trinepos, ducentis & triginta post annis propter excellentem eius virtutem hoc Cenotaphio parentauit.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

Aymonis Saluagnij Francisci filij, qui bellicam artem adeò felicibus auspiciis amplexus est, vt ei iam tum ab adolescentia, pro ingenito animi ardore, quo strenuè aduersus fortissimum quemque in ludicris Equitum certaminibus ferebatur, Audacis cognomen obtigerit. Dein Petro Terrallio Bayartio non obscura sibi sanguinis propinquitate coniun-

cto in expeditione Mediolanensi fideliter adhærens, cum sæpè, tum in eo certamine quo Gallis vindecim ab Hispanis totidem prouocatis victoria cessit, egregium spectatæ virtutis specimen exhibuit, tandémque rerum præclarè gestarum gloria illustris anno M. D. XL. inter mortales esse desiit,

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

Gulielmi Saluagnij Aymonis VIII. filij, qui maiorum gloriam militari virtute partam ita sustinuit, vt nondum vigesimum sextum ætatis annum egressus, in illa nobili ad Ceresolam pugna, in qua Regius exercitus Cæsarianarum partium vires vehementissimè contulit, Guigonis Guifredi Botetij strenuissimi Equitum grauioris armaturæ Ducis Legatus, quatuor cum in facie tum in pectore decora vulnera susceptit, quibus & Francisci primi Regis Christianissimi gratiam, & Regij Ordinis insignia promeruit, ac postremo nomen ab egregiis facinoribus insigne consecutus septuagenario propior 4. Kalend. Aprilis Anni M. D. LXXXIX. extremum vitæ diem exegit.

P. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ.

PETRI SALVAGNII Franciſci filij, prudentiſſimi iuxta & ſtrenuiſſimi viri, qui multis legationibus obitis Philiberto Emanueli Sabaudiæ Regulo, egregiam in magni momenti negotiis operam nauauit; & Caroli Emanuelis dein rerum potiri nomine Catharinam Henrici tum Regis Nauarræ ſororem in matrimonium petiit; verum ſuperis aliud ſtatuentibus à Pyreneis ad Alpes reuerſus Mommeliani Anno M. D. LXXXXII. fato ſuo, an fraude, incertum, è vita migrauit.

P. M.

CAROLI SALVAGNII Gulielmi filij hominis ſupra ſagum & enſem eruditi, qui nimirum ad peritiam rei militaris, cui ſe maiorum inſtituto applicuérat, multiplicem omnis generis ſcientiarum, atque in primis linguarum Hebraïcæ, Chaldaïcæ, Syriacæ, Arabicæ, Græcæ, Latinæ, Germanicæ, Anglicæ, Hiſpanicæ, Italicæ cognitionem adiunxerat. Quo nomine literatorum æui ſui ex Equeſtri ordine literatiſſimus audiit. Mortuo VIII. Eid. Ianuar.

Ianuar. Anni M. DC. XIV. Carleta d'Arces vxor nobilissima, & Dionysius liberorum natu maximus hoc monumento parentarunt.

Quandoquidem Guifredi Saluagnij Templariorum Equitis Magistri Elogium hic adscriptum est, pretium operæ facturum me putaui, si Magistrorum omnium celebratissimi huius Ordinis seriem nondum editam ex vetustis Villanouani Carthusianorum Cœnobij Scriniis exscriptam hic attexerem.

SERIES

SERIES MAGISTRORVM EQVESTRIS Templariorum Ordinis.

ANNO A CHRISTO NATO.

1118. HVGO de Paganis.
1136. Robertus Burgundio.
1149. Ebrardus siue Euerardus.
1153. Bernardus de Tremulay, seu Bernardus de Trenellage.
1158. Bernardus de Blanchefort.
1165. Andreas.
1168. Philippus de Neapoli.
1171. Otho, siue Odo de Sancto Amando.
1179. Arnaldus de Torroge siue Troge.
1186. Gerardus de Ridefort.
1189. Terricus.
1190. Gualterius.
1195. Robertus de Sabloil.
1196. Gilbertus Horal, seu Erailus.
1198. Pontius Rigaldus.
12... Philippus du Plessiez.
12... Deodatus de Breisiaco.
1210. Petrus Montacutus.
1216. Gulielmus Monredonius.

1218. Gulielmus de Carnoto.
1244. Hermannus Petracoricenſis.
1250. Gulielmus Sonnat.
1264. Petrus de Belgiou.
1272. Robertus.
1285. Guifredus de Saluaing.
1288. Petrus de Belgiou, ſeu Belliuiſus.
1291. Gulielmus de Bellojoco.
1309. Iacobus de Molay.

TETRASTICHON

Inſcriptum Foribus Voreanis, ſub Gentilitio ſcuto Saluagniorum.

HÆC ſunt Arma quibus ſe Gens Saluagnia cœlo
Tollit, & illuſtres inclyta iactat Auos.
Exoriare Nepos, clari non degener ortus,
Antiquum generis qui tueare decus.

Aliud in Fonte Voreano.

Fons ego dines aquis, omnique volubilis æuo,
Per tua decliui ingera colle fluo,
Tu contra breuis es fundi poſſeſſor auiti,
Ipſéque mox nati, móxque nepotis erit.

ILLVSTRISSIMO D. DOMINO DIONYSIO SALVAGNIO BOESSIO, IN SVPREMA RATIONALIVM APVD DELPHINATES Curia Primario Præsidi.

O D E.

SIC est, BOESSI, maxima pars Virûm
Tantùm caducis fidit Honoribus,
Aut ad coruscantis metalli
Arbitrium sua vota fingit.

Sed nec Seuerâ præmia Gloriâ,
Suúmve speret post cineres diu
Nomen futurum, qui probrosæ
Ferre potest iuga dura Gazæ.

Quæcunque Ganges, & Mare Persicum
Tributa fundunt gemmifero sinu,
Quicquid repostis in cauernis
Luminibus fouet irretortis.

Auara

Auara serpens; quicquid & India
Euisceratis montibus effodit
In vota Regnantum, superbos
Non prohibet Dominos sepulchro.

Musis amicam sæua necessitas
Veretur vrnam Delius annuat,
Secum virtus, párque Olympo
Per memores volitabit annos.

Quæ Regna? quæ Gens nescia gloriæ
SALVAGNIORVM, seu dubius rapit
In bella Mauors, seu quietæ
Sollicitat studium Minervæ?

Prô quantus hastâ, quantus equo furit
Dux TARTARINVS, seu premit Italas,
Seu vexat Hispanas cohortes,
Seu licito socios duello.

Aymo Saluagnius cognomento bellico Tartarinus.

Victor fatigat! Haud aliter Leo
Impastus, altis exagitat pecus
Imbelle siluis, cum furentem
Vrget amor dapis in rapinam.

Inter cruentæ versor Adoreæ
Palmas, & inter Pierium decus
Rami triumphales, vtrinque
Magnanimis famulantur vmbris.

Sed vnus omnes laudibus anteis,
Ingens', BOESSI, iam tibi purpura,
Iam laurus æternos honores
Palladiis peperit triumphis

Adolescēs duodeviginti annorum scripsit Cōmētarios in Ibin.

Vix dum iuuenta primus honos tibi
Genis virebat, lumine cum tuo
Deuotus IBIS iam retectus
E tenebris micuit paternis.

Adhuc in ipsis carceribus sedens
Meta propinquos anteuolas Duces,
Gaudéſque ſublimis trophæi
Ante diem properaſſe palmas.

Miracula Delphinatus septem syluis celebrauit.

Exinde toto plenus Apolline,
Quæ MIRA iactant, aut Iſaræ uada,
Alpéſue Graiorum, & Voconti
Rura, nouis celebras Camœnis.

Luſtránſque nulli trita prius loca
Semper recentes floribus integris
Nectis coronas, collibúſque
Inſeris Aoniis Voræum.

B. Virginem Viminalem versibus ornauit. Ludouici XIII. Regis Christianiſſimi Orator fuit ad Vrbanū VIII. S. P.

Te, ſeu cruenti vulnera Viminis,
Inuſitato, ſeu patriam iuuat
Sonare plectro, ſeu ſtupentem,
Quo libuit, trahis ore Romam;

Miratur orbis; Te Tibris arduus,
Te bellicoſo flumine Sequana,
Te dives auratis arenis
Heſperiæ Dominator vnda.

CLAVDIVS GRATTE, è Soc. IESV.

TVMV

TVMVLVS
IVLII MAZARINI
CARDINALIS
Eminentissimi.

IVLIVS hîc iaceo Latius natalibus, ortu
Sicanius, summo Regni moderamine Gallus,
Alter ab Armando, sed enim quem nemo sequetur,
Mazaris, Europæ tam notum nomen, iniquæ
Arduus inuidiæ domitor, qui fœdere pacto
Francigenas inter, solertes inter Iberos,
TERESIAM, qua non augustior altera, iunxi
Connubio LODOICE tibi, propriámque dicaui;
Ille ego Mazarides, qui nulla cæde cruentus
Impauido vidi mortis confinia vultu,
Extinctum pullo quem Regia luxit amictu,
Nunc etiam è tumulo Francorum consulo rebus,
Vsque adeo fidis quæ verba nouissima dixi
Consiliis, memori LODOICVS pectore seruat.

DION. SALVAGNIVS BOESSIVS.

FINIS.

VA1
152158

Digitized by Google

73
83
1

Digitized by Google